
Digitized by Google

A 449729


1837
ARTES
VERITAS
SCIENTIA
LIBRARY OF THE
UNIVERSITY OF MICHIGAN
TUEBOR
CIRCUMSPICE

JC
156
.P7
1769

S. PUFENDORFII
DE
OFFICIO HOMINIS
ET CIVIS
SECUNDUM
LEGEM NATURALEM
LIBRI DUO.

Cum Obſervationibus

EV. OTTONIS ET GOTTL. GERH. TITII;

Cum Supplementis & Obſervationibus

GERSCHOMI CARMICHAELIS;

Et Annotationibus

GOTTL. SAM. TREUERI.

Accedit GERSCHOMI CARMICHAELIS Appendix continens Theſes Ethicas: adjectæ ſunt Cl. BARBEYRACII Obſervationes, nec non Epiſtola Cenſoria Anonymi in hoc *Pufendorſii* Compendium cum ejusdem *Barbeyracii* animadverſionibus.

TOMUS SECUNDUS.

LUGDUNI BATAVORUM
APUD SAM. ET JOH. LUCHTMANS.
M. DCC. LXIX.

Digitized by Google

SAMUELIS PUFENDORFII
DE
OFFICIO HOMINIS ET CIVIS
LIBER SECUNDUS.

CAPUT I.

De Statu Hominum Naturali. *

SUMMARIA.

I. *Officia ex diverſo ſtatu reſultantia.*
II. *Status naturalis*
III. *Conſideratur in relatione ad Deum,*
IV. *Nos ipſos*
V. *Et alios.*
VI. *Spectatur vel per fictionem, vel ut revera eſt.*
VII. *Verus paullatim obtinere cœpit.*

VIII.

* Doctrinam hujus Capitis, præter §. 10. (quæ ſola in majore opere hunc locum obtinet) Auctor tradit, *J. N. & G. lib. II. cap. 2.* CARMICK.

VIII. *Eſt ſtatus libertatis & æqualitatis*,
IX. *Sed graviſſimis incommodis expoſitus.*
X. *Controverſiæ in eo quomodo dirimendæ?*
XI. *Amicitia in hoc ſtatu parum firma.*

Conf. Grot. *de* J. B. & P. *l.* II. *c.* 23. §. 6–8.

I. Officia ex diverſo ſtatu orienda.

PROXIMUM eſt (*a*), ut inquiramus de illis OFFICIIS, quæ homini obeunda incumbunt EX DIVERSO STATU (*b*), in quo in vita communi degere deprehenditur. Vocamus autem STATUM (*c*) in genere illam conditionem, in qua homines conſtituti intelliguntur, ad certum genus actionum ob

§. I. Hactenus de officio Hominis; nunc officia Civis, pro diverſo ſtatu, ſequuntur. Vox *Status* a Phyſicis eſt petita: quemadmodum enim illi ſubſtantias in ſtatu ſuo operari dicunt; ſic homines etiam, in ſpatio morali conſiderati, diverſis juribus gaudent, quæ illos, ut umbra corpus, comitantur: ex eo quoque mariti, parentes, domini & cives variis obligationibus ſunt obnoxii. (2) Status ille vel *Naturalis* eſt, in quo quis ab ipſa natura ſine facto ſuo exiſtit: vel *Adventitius*, qui, mediante facto humano, eligitur, & a Latinis *perſona*, ſive larva vocatur: unde titulus, *Inſt. de Jure perſonarum.* vid. Ill. Bergeri commentatio *de Perſonis*, *vulgo larvis*, *ſeu maſcheris.* OTTO.

(*a*) *Proximum eſt*]. Hanc connexionem minus probam eſſe, nec alia præcepta ac officia, a præcedentibus diſtincta, nunc inculcari, jam not. ad Lib. I. c. 9. §. 22. lit. (*f*). diximus. Interim ambigua illa connectendi ratio aliquam peperit confuſionem, nam generalis de ſtatu Philoſophia, quæ §. I. 2. 3. 4. 5. 6. 7. proponitur, ad explicationem Legis Naturalis pertinet vid. not. ad. Lib. I. c. 3. §. 8. lit. (*s*). *n.* 8. comparatio autem ſtatus naturalis & civilis, quæ §. 8. *ſeqq.* habetur, ad materiam civitatis referri debebat. TITIUS.

(*b*) *Ex diverſo ſtatu*]. Vox ſtatus vel notat (1) modum eſſendi ſive diſpoſitionem, vel habitum naturæ rei alicujus ſpecialem, quem ſtatum phyſicum appellaveris, e. c. ſtatus ſanitatis & morbidus; vel notat (2) ſpatium morale, in quo homines certis fruuntur juribus, & ſtatus moralis indicatur. TREUER.

(*c*) *Vocamus autem ſtatum*]. De hoc diximus, *d.* not. lit. (*s*) *n.* 8. Nimirum ſicut homines *habitu* aliquo *phyſico* gaudent, ita natura & factum proprium ipſis etiam *habitum* aliquem *moralem*, juxta quem actiones, ex Legis Naturalis præſcripto, ſint inſtituendæ, velut circumpoſuit. Porro ſicut habitus ille phyſicus *ſpatium* aliquod requirit, ita homines, ob moralem habitum ſeu diſpoſitionem, in aliquo velut *ſpatio morali* concipiuntur, quod *ſtatus* nomine venit. Ita hujus indoles proprie concipienda eſt, ſed ſæpe illa accuratio negligitur, ac ſtatus & diſpoſitio, ſeu conditio, promiſcue accipiuntur. TITIUS.

(*d*)

Digitized by Google

obeundum. Quem etiam peculiaria fere jura comitantur (*d*).

J. N. & G. *l.* II. *c.* 2. §. I.

STATUS hominum eſt vel NATURALIS, vel ADVENTITIUS (*e*). NATURALIS TRIPLICI MODO conſiderari (*f*), ſolo prælucente rationis lumine poteſt, II. Status naturalis triplex conſideratio.

(*d*) *Comitantur*]. Eſt itaque *Status*, *Conditio Hominis moraliter conſiderata*, id eſt, quatenus certa Jura, vel certas Obligationes, includit; idque non ad unam aliquam tranſeuntem actionem, vel omiſſionem, ſed ad continuam feriem. Interim, cum omnes generales Jurium atque Obligationum fontes, in ſuperiore libro, noſtrisque in eum obſervationibus, ſint indicati; non ſunt Officia hoc libro inculcanda, a præcedentibus diverſa; ſed ex iis nonnulla, prout oriuntur a quibusdam recenſitorum fontium, ad particularem aliquam Societatem, atque adeo ſtatum adventitium, producendum, applicatis, ſpecialius circumſcripta. CARMICH.

§. II. Pufendorfius, tum in *Diſſ. de Statu hominis naturali*, tum in *op. maj. II.* 2. ſtatum illum, in quo homo per ipſam nativitatem conſtitutus concipitur, quemque non a lege, nec ſponte ſua ſuſcepit, poſt Grotium II. *c.* 7. §. 27. & Hobbeſium *de Cive. c.* I. §. 10. non male *naturalem* appellavit: nam veteres quoque naturalia vocant, quæ ſine facto hominis exiſtunt, ut *φύσει δοῦλοι*, *natura ſervi* Ariſtotelis I. *Pol.* 3. & agri *naturam* eſſe, ait Ulpianus, inferiori ſervire, *l.* I. §. *ult D. de aqua & aq. pluv.* Stoici quoque *σχέσιν*, id eſt affectionem, dividunt in naturalem & accerſitam, apud Arrianum *l. II c.* 14. Alias ſtatus naturalis varie in ſcholis Philoſophorum & Theologorum ſumitur; ſed noſter triplici modo eum conſiderat, ſolus autem tertius, in §. 5. hujus eſt loci. OTTO.

(*e*) *Status hominum eſt vel naturalis, vel adventitius*]. In illo per naturam homines exiſtunt, in hoc propria voluntate conſtituuntur, de quo not. ad Lib. I. c. 3. § 2. lit. (*l*) & §. 8. lit. (*s*) pluribus actum. Illud hic obſervandum, quod ſub ſtatu naturali contineatur (1) Status humanitatis, (2) Sexus, (3) Religioſitatis, (4) Philautiæ, (5) Socialitatis & (6) Æqualitatis. Juxta quinque priores ſignificatus, ſtatus naturalis opponitur adventitio, ſaltem ut *rei diverſæ*, hinc cum eo concurrit, juxta ultimum vero, ut *rei contrariæ*, hinc per adventitium ſpecialiter & generaliter, pro ratione facti præcedentis, tollitur. TITIUS.

Status *Naturalis* conſiderari poteſt, vel per modum *abſtrahendi*, quo ſenſu cum omnibus ſtatibus adventitiis concurrit; vel per modum *negandi*, quo ſenſu per quemlibet ſtatum adventitium aliquatenus ſaltem tollitur. Hujus diſtinctionis omiſſio, doctrinam Auctoris, hic & *ſeqq.* §§. traditam, confuſam admodum reddidit. Vide *Obſerv.* in §. *ſeq.* CARMICH.

(*f*) *Naturalis triplici modo conſiderari*]. Sed triplicis illius conſiderationis, prout hic inſtituitur, nullus eſt uſus, quin cauſatur illa potius aſſertiones falſas aut otioſas, dum connexa divellit, ac non neceſſaria comminiſcitur, ceu mox diſtinctius apparebit, quamvis alias, juxta verum ſenſum, diverſa illa conſideratio non male inſtitua-

Digitized by Google

teſt, vel in ordine AD DEUM CREATOREM, vel in ordine SINGULORUM HOMINUM AD SE IPSOS, vel in ordine AD ALIOS HOMINES.

Conf. *dict.* §. 1.

III. Vel in ordine ad

PRIORI MODO conſideratus (*g*) naturalis ſtatus ho-

tuatur, ceu ex iis, quæ ſupra ad Lib. 1. c. 3. §. 2. lit. (*l*) diximus, colligi poteſt. TITIUS.

§. III. Omnes homines, ratione præditi, in ordine ad Deum, improprie quidem dici poſſunt vivere in ſtatu naturali, quatenus ordinem naturæ in actionibus ſequuntur, nec inſtar brutorum affectibus indulgent, neque Sodomiam, αὐτοχειρίαν, aliaque peccata contra naturam committunt. Ejusmodi autem conſideratio humanitatis huc non pertinet, ubi de origine civitatis quæritur, & rectius officia erga Deum ex ſtatu religioſitatis petita ſunt, ſupra *l.* 1. *c.* 4. III. tamen Heineccius *Elem. Jur. Nat. II.* §. 4. obſervat, ſimile quid in mentem videri veniſſe Simplicio *ad Epictet. c.* 79. dum Deum precatur, ut recordari ſe faciat nobilitatis, qua ille nos homines dignatus ſit, ne obbruteſceret. OTTO.

(*g*) *Priori modo conſideratus*]. Status naturalis, in ordine ad Deum, cenſetur eſſe *humanitatis*, ac opponi *conditioni brutorum*, quæ recte quidem dicuntur, ſed non recte huic reſpectui ille ſtatus vindicatur, nam homo etiam in ſtatu humanitatis concipiendus eſt, ſi ad ſe ipſum & alios referatur, rectius igitur homo, in ordine ad Deum, in ſtatu *religioſitatis* concipitur. TITIUS.

Status *Naturalis*, uno quolibet trium reſpectuum, §. *præced.* recenſitorum, conſideratus, admittit bimembrem iſtam diſtinctionem, quam propoſuimus *Obſerv.* in *d.* §. Minus itaque accurate Auctor, ſtatum naturalem in ordine ad DEUM concipit tantum per modum *abſtrahendi*; in ordine vero cujusque hominis ad *ſe ipſum*, & ad *alios Homines* tantum per modum *negandi.* Rectius dixeris, *Statum* Hominis *Naturalem*, per modum *abſtrahendi* conſideratum, (qui in genere dici poteſt Status *Humanitatis*, *vitæ & conditioni Brutorum* oppoſitus) ſi ad DEUM referatur, eſſe ſtatum *Religioſitatis*, quo homo DEUM ſui auctorem agnoſcere & colere tenetur; ſi ad *ſe ipſum*, eſſe ſtatum regularis *Philautiæ*, quo quisque tenetur ſe curare, ſuamque innoxiam utilitatem promovere; ſi denique ad *alios Homines*, eſſe ſtatum *Socialitatis*, quo quisque inclinationem & vitam ſocialem inter Homines tenetur fovere. Quod ſi vero per modum *negandi Status Naturalis* intelligatur, ut excludat Status *Adventitios*, ſive omnes, ſive certos quosdam; hoc ſenſu, *Status Naturalis* in ordine ad DEUM dici poterit eorum conditio, quibus naturalia tantum DEUM cognoſcendi media ſunt conceſſa; vel latius, eorum in quibus nativum animi vitium non eſt divina gratia ſuperatum: quo poſteriore ſenſu, *Status Naturalis* appellatio apud Theologos uſurpatur: qui, licet ita acceptus includat pravam qualitatem, Naturæ humanæ adventitiam, dicitur tamen *Naturalis*, quatenus cujusque ortum comitatur. *Status* porro *Naturalis*, *negative* acceptus, in ordine cujusque ad *ſe ipſum*, & ad *alios Homines*, ab ipſo Auctore *ſeqq.* §§. deſcribitur. CARMICH.

(*b*)

hominis (*b*) eſt illa conditio, in qua a Creatore eſt conſtitutus, dum eximium præ cæteris animal eundem eſſe voluit. Ex quo ſtatu fluit, quod homo debeat auctorem ſui agnoſcere, colere, & ipſius opera admirari; ac diverſa plane ratione a brutis vitam ſuam exigere. Inde & ei ſtatui OPPONITUR VITA ET CONDITIO BRUTORUM. Deum Creatorem?

Conf. J. N. & G. *l.* II. *c.* 2. §. 9.

(*i*) ALTERO MODO (*k*) ſtatum hominis naturalem IV. Vel in ordine ſin-

(*b*) *Naturalis ſtatus hominis*]. Status ille rationalis & ex relatione ad creatorem reſultans apud plurimos ethnicorum citra creationis intuitum exiſtit: putabant enim,

Nequaquam nobis divinitus eſſe paratam
Naturam rerum:

& de creatione ſermonem inſtituentes Epicuræi apud CICER, *de natur. deor. l. I.* vocem edebant: *Quæ molitio? quæ ferramenta? qui vectes? quæ machinæ? qui miniſtri tanti operis fuerunt?* Vid. CENSORINUM *de die natali c.* 6. *pag.* 26. CURCELLÆI *inſtit. relig. Chriſt. l. I. c.* 2. BUDDEI *hiſt. eccleſ. vet. teſt. period. I. ſect.* 1. §. 8. *p.* 77. *ſeq. & de atheiſmo c.* 5. *pag.* 433. *ſeq.* In illo ergo ſtatu referebant ſe quidem ad DEUM, ſed non tamquam ad creatorem, potius naturali mentis humanæ, qua eſt, ſuperbia vel ſe particulas divini ſpiritus eſſe jactitabant, quarum finis ſit reditus ad eſſentiam DEI: hinc crepabant illud decantatiſſimum monitum: *Cogita te eſſe hominem!* vel ſe DEO coæternos fuiſſe prædicabant, aut per mechaniſmum aliquem, aut fortuito materiarum infinitarum concurſu pronatos quidem fuiſſe dicebant, ita tamen, ut DEI operationi nihil acceptum ferendum eſſe putaverint in origine ſua, & ex iis principiis vel nullus DEO cultus exhibebatur, vel negligentius, vel ambitioſe inſtituebatur: quum eumdem vel ut partem ſui, vel ut ens otioſum a ſphæra noſtra remotum intelligerent. Quod autem DEUS, ut creator, ex lumine naturæ perſpici poſſit, tot ſcriptores jam probatum dederunt, ut de iſta relatione hominum tamquam creaturæ ad DEUM in lumine naturæ dubitare non liceat. Vid. STILLINGFLEET *orig. ſacr. l. III. c.* 2. BUDDEUM l. c. CLERC *bibl. choiſ. T. VII. art.* 1. & auctores ſupra *ad c.* 4. §. 2. & 9. citatos. TREUER.

§. IV. Status quoque ſolitudinis, ſociali oppoſitus, non male naturalis dici poteſt: verum is rurſus non eſt hujus loci, nec hodie ſupereſt, præterquam in naufragis, qui nudi & egeni in inſulam vacuam ejiciuntur. Dira *illuvies, immiſſaque barba, conſertum tegumen ſpinis*, de Achæmenide, in ſilvis degente, Virgilius III. *Æn. vſ.* 593. & Ovidius XIV. *Metam.* 166. cecinere. Ceterorum vero, ſupra I. *c.* 3. §. 3. jam expoſitorum, inutilis hic eſt repetitio. OTTO.

(*i*) Vid. quæ *ad l. I. c.* 3. §. 5. adnotata ſunt. TREUER.

(*k*) *Altero modo*]. In ordine ad hominem ipſum, ſtatus naturalis perhibetur eſſe *ſolitudinis*, add. *l. II. c.* 2. §. 1.

gulorum ad ſe ipſos;

lem conſiderare poſſimus, *quatenus homo per nativitatem in eum pervenit*, *vere miſerum ſcilicet*, ſi animo fingamus, qualis ejusdem conditio futura eſſet, ſi quilibet ſibi ſoli relictus foret, ſine ullo adminiculo ab aliis hominibus accedente, & quidem poſita illa naturæ humanæ conditione, qualis jam deprehenditur. Quæ ſane miſerior (*l*), quam cujusvis belluæ, videtur futura fuiſſe; ſi expendatur, quanta cum debilitate in hunc mundum jam egreditur homo, periturus ſtatim ſine aliorum auxilio: & quam rudem ſit vitam idem exacturus, ſi nihil aliud cuique adeſſet, quam quod propriis viribus, ingenioque debeat. Quin potius quod ex tanta imbecillitate adoleſcere potuimus, quod infinitis jam commoditatibus fruimur, quod animum corpusque in noſtrum & aliorum uſum excoluimus, id omne ab auxilio aliorum hominum provenit. Et in hoc ſenſu ſtatus naturalis OPPONITUR VITÆ, PER INDUSTRIAM HOMINUM EXCULTÆ.

J. N. & G. *l.* II. *c.* 2. §. 2.

V.
Vel denique in or-

TERTIO MODO ſtatum (*m*) hominis naturalem con-

2. Verum licet ille ſtatus fingi, imo aliquando revera exiſtere poſſit, attamen uti illa fictio, ad explicandum Juris Naturalis fundamentum, nihil omnino confert, ceu not. ad Lib. I. c. 3. §. 2. lit. (*l*) *n.* 11. oſtendimus, ita, cum Deus hominem deſtinaverit ad ſocialitatem, adeoque, ex intentione Dei, ſtatus naturalis ſit ſocialis, oppido *ἀκύρως* ſtatus ſolitudinis naturalis eſſe dicitur, cum potius ſit præternaturalis. Rectius hominem, in ordine ad ſe ipſum, in ſtatu *philautiæ temperatæ* conceperis. TITIUS.

(*l*) *Quæ ſane miſerior*]. Confer ſupra *l. I. c.* 3. §. 3. Hic animadvertit *Titius*, improprie admodum ſtatum *Solitudinis* dici *Naturalem*; imo eum potius eſſe *Præternaturalem*, cum DEUS Hominem deſtinaverit ad ſocialitatem. Atqui *Naturale* non hic eo ſenſu ſumitur, quo coincidit cum *Connaturali*, atque adeo *Præternaturali* opponitur; ſed quo excludit *Adventitium*, id inprimis, quod a DEI extraordinario, vel aliorum Hominum qualicunque, ſubſidio ad Hominem excolendum & exornandum poteſt accedere: quemadmodum ipſe Auctor diſerte notat ab initio *c.* 2. *l. II.* de *J. N. & G.* CARMICH.

§. V. Hæc conſideratio ſola ſufficit, qua ſtatus naturalis omni adventitio, maxime autem civili, oppo-

conſideramus, prout intelliguntur homines ſeſe invicem habere ex nuda illa & communi cognatione, quæ ex ſimilitudine naturæ reſultat, ante pactum aliquod aut factum humanum, quo peculiariter unus alteri redditus fuit obſtrictus. Quo ſenſu in ſtatu naturali (*n*) invicem vivere dicuntur, qui neque communem habent dominum, & quorum unus alteri non eſt ſubjectus, quique inter ſe neque beneficio neque injuria ſunt cogniti. Quo ſenſu ſtatus naturalis OPPONITUR STATUI CIVILI (*o*). dine ad alios homines.

J. N. & G. *l.* II. *c.* 2. §. 5–11.

Hujus porro naturalis ſtatus (*p*) indoles conſide- VI. Hic ſpectari po-

opponitur. Deſcribi poteſt conditio hominum, inter ſe æqualium, in qua per ipſam nativitatem, abſtrahendo ab inventis hominum & corpore civitatis, ſunt conſtituti. Atque hujus ſtatus accurata conſideratio multa civitatum rectoribus ſuggerere poteſt, quæ & circa extraneos & in ipſa civitate obſervatu ſunt neceſſaria, uti A. in *dict. diſſ.* §. 19. & *ſeqq.* docuit. In eo etiam ſtatu hodie vivunt (1) Respublicæ, inter ſe, tanquam perſonæ morales, conſideratæ, & capita civitatum. (2) Subditi, ſi civitas in anarchiam eſt delapſa, & nullus nulli in nullo paret. (3) Si quis per tempeſtatem in vacuam inſulam fuerit ejectus. (4) Nautæ diverſarum civitatum, in oceano contrahentes, vel injuria ſeſe lædentes. OTTO.

(*m*) *Tertio modo ſtatum*). In ordine ad alios homines, ſtatus naturalis *æqualitas* eſſe cenſetur, quod recte quidem dicitur, ſed reliqua ſtatus naturalis facies, quod ſcilicet ſit *humanitatis*, *ſexus* & *ſocialitatis*, alios etiam homines reſpicit, quod implicite hic negari videtur, præterea ſtatus ille æqualitatis non *civili* tantum, ut Auctor cenſet, ſed generalius potius *adventitio*, ſub quo civilis, velut ſpecies exſtantior, continetur, opponitur. Denique oppoſitionis modus, quod naturalis adventitio hic, ut rei contrariæ, opponatur, merito quoque indicari debuiſſet. TITIUS.

(*n*) *Quo ſenſu in ſtatu naturali*]. GROTIUS *l. II. c.* 7. §. 27. *coll. cum l. II. c.* 20. §. 8. primus ſtatum illum naturalem dixit: idem fecit HOBBES *c.* 1. *de civit.* §. 10. Denominationem illam defendit PUFEND. *in erido Scandica pag.* 185. Qui ſignificatus in jure naturæ potiſſimum ſubintelligendus. TREUER.

(*o*) *Opponitur ſtatui civili*]. Recte animadvertit dictus modo Cl. Obſervator, Statum hominis *Naturalem* in ordine ad *alios Homines*, prout hic deſcribitur, non modo Statum *Civilem* excludere, ſed generalius, quemlibet *adventitium*, quo homini adverſus alium hominem jus vel obligatio naſcitur. CARMICH.

§. VI. Fictio illa ab Hobbeſio, *de cive c.* 8. §. 1. eſt deſumta: is enim, ut miſerias ſtatus naturalis repræſentaret, ait: *conſideremus homines, tanquam ſi eſſent ſubito e terra, fungorum more, exorti & adulti, ſine omni unius ad alterum obli-* ga-

Digitized by Google

teſt vel fictus vel verus,

derari poteſt, vel prout PER FICTIONEM (*q*) repræſentatur, vel prout REVERA exiſtit. Prius fit, ſi vel concipiamus, ab initio aliquam multitudinem hominum ſimul exſtitiſſe, ſine ulla unius ab altero dependentia; uti de Cadmeis fratribus in fabulis eſt: vel ſi fingamus, totum genus humanum jam ita diſſolutum eſſe, ut quilibet ſe ipſum ſeorſim gubernaret, & nemo ulli alio eſſet vinculo conjunctus, quam ſimilitudine naturæ. Sed ſtatus naturalis, qui revera exiſtit, id habet, ut quis cum aliquibus hominibus peculiari ſocietate jungatur; cum reliquis autem omnibus nihil, præter ſpeciem humanam, obtineat commune, nec alio nomine quidquam

gatione. Nec impietatis idcirco eum accuſamus; quia Philoſophi eſt ὑποτίθεσθαι, & intra rationis, ſibi relictæ, gyros ſe continere. (2) Sed ut controverſias, propter hanc fictionem motas, evitemus, præſtat, illam auctori ſuo relinquere; quia neque ad officiorum fundamenta & φιλανθρωπίαν explicandam, neque ad ſtructuram corporum civilium liquidius cognoſcendam multum confert; eadem quoque ab ethnicis eſt deſumta, qui primos homines, velut e terra enatos, & beſtias meras deſcripſere. Cicero *pro Sextio* c. 42. *Ita rerum natura tulit, ut quodam tempore homines, nondum neque naturali, neque civili jure deſcripto, fuſi per agros & diſperſi vagarentur, tantumque haberent, quantum manu ac viribus per cædem ac vulnera aut eripere, aut retinere potuiſſent.* & alibi I. *de Invent.* 2. *Fuit quoddam tempus, cum in agris homines paſſim beſtiarum modo vagabantur, & ſibi victu ferino vitam propagabant, nec ratione animi quidquam, ſed pleraque viribus corporis adminiſtrabant.* &c. (3) Nos Chriſtiani, certiora de origine hominum edocti, ab illa hypotheſi, Sacræ Scripturæ contraria, merito abſtinemus præſertim quia ipſe Auctor ſtatum naturalem, proprie ita dictum, ex intentione Dei, non eſſe ſtatum ſolitudinis, ſed ſocialem fatetur II. *c.* 2. §. 5. *fin.* De Cadmeis fratribus videatur Statius *Thebaid.* VIII. *vſ.* 601. OTTO.

(*p*) *Hujus porro naturalis ſtatus*]. Univerſaliter & abſolute ſtatus naturalis inter homines revera non exiſtit, ſed tantum per fictionem repræſentatur, cujus quidem fictionis, in explicanda officiorum diverſitate ac civitatum origine, aliqua eſt utilitas; particulariter vero aut temperate ſtatus naturalis exiſtere poteſt & ſolet, quod amplius, §. 6. 7. *b.* oſtenditur, add. *l. II. c.* 2. §. 4. TITIUS.

(*q*) *Per fictionem*]. An fingere liceat? diſceptatum fuit inter PUFENDORFIUM & ejus adverſarios. vid. *erid. Scand. p.* 183. *ſeqq. & paſſim.* Fingere hic non ſignificat falſi aliquid pro vero venditare, ſed ſupponere aliquid quaſi verum, quod ipſi falſum eſſe profitemur, certæ rei illuſtrandæ cauſſa. Conf. *erid. Scand. pag.* 301. & 362. Plerique poëtarum veterum ſtatum naturalem primorum hominum horride ſatis deſcripſerunt, ut oſtendit LACTANTIUS *inſtit. div. l.* VI. 10. Multa exempla gentium barbararum, quæ vita ſua a be-

Digitized by Google

quam ipſis debeat (*r*). Qualis ſtatus jam inter diverſas civitates ac cives diverſarum rerumpublicarum exiſtit, & quondam inter patresfamilias ſegreges obtinebat (*s*).

J. N. & G. *l.* II. *c.* 2. §. 4.

Manifeſtum quippe eſt, univerſum genus humanum nunquam ſimul & ſemel in ſtatu naturali exſtitiſſe. Qui enim ex protoplaſtis geniti erant, ex quibus quidquid eſt mortalium originem ducit, prout divinæ tradunt Scripturæ, eidem poteſtati patriæ (*t*) ſubjecti erant (*v*). Neque tamen eo minus poſtea ſtatus hicce naturalis inter quosdam ho- VII. Verus paullatim obtinere cœpit:

beſtiis proxime abſunt, ad illuſtrationem & probabilitatem hujus fictionis proponunt BECMANN *hiſt. geogr. c.* 9. §. 8. SCHILTERUS *manuduct. phil. mor. ad jurispr.* §. 15. *ſq.* ZENTGRAVIUS *de orig. jur. gent. art. I.* §. 9. *ſqq.* HERTIUS *elem. prud. civ. P. I. ſect.* 1. TREUER.

(*r*) *Nec alio nomine quidquam ipſis debeat*]. Scilicet, quod ſpeciali facto aut pacto humano, ſive jure perfecto exigi poſſit: debet tamen ipſis officia communia & abſoluta, quæ homini debentur, ut homini, ſecundum principia juſti & decori. IDEM.

(*s*) *Obtinebat*]. Exiſtit quoque in hominibus, qui caſu vel per naufragium, vel per itinerum errores abripiuntur a conſortio civitatis & hominum reliquorum. IDEM.

§. VII. Dividitur vulgo ſtatus naturalis in Univerſalem & Particularem: at prior ille merito rejicitur; quia nunquam exiſtit, ſed ex conceptu gentilium fluxit, quorum *otioſi & inepti ſenes*, hiſtoriæ creati generis humani ignari, ſuoque tantum ratiocinio ducti, talia *fabulantur*, uti Diod. Sic. I. 8. Lucretius V. *vſ.* 923. Horatius I. *Sat.* 3. *vſ.* 100. aliique, a Lactantio notati VI. 10. (2) Status vero Particularis olim inter ſegreges familias fuit, genere humano nondum multiplicato; ut tamen liberi immaturæ ætatis, in poteſtate patrum, & ſervi in poteſtate dominorum fuerint; ſed patribus mortuis, nexus ille ſolvebatur; etiam filii, illis vivis, novas ſedes quærentes, mox iterum in ſtatu naturali, cum ceteris patribusfamilias vivebant. (3) Hodie familiæ illæ, ſeorſim agentes, tantum non ubique redactæ ſunt ſub ditionem rerumpublicarum. OTTO.

(*t*) *Poteſtati patriæ*]. Hoc eſt, poteſtati ejusdem Patris: quam (ut credibile eſt) etiam maturum rationis uſum adepti, quamdiu in familia paterna, vel ejus vicinia, manerent, expreſſe aut tacite prorogatam voluerunt. CARMICH.

(*v*) *Subjecti erant*]. Hoc non obſtante vixerunt in ſtatu naturali, non quidem *abſoluto*, ſed *hypothetico*: patria enim poteſtas non tollit libertatem & æqualitatem naturalem: neque patres vim imperii habent naturaliter in liberos. TREUER.

Digitized by Google

homines emerſit (x). Nam primi mortalium, ut orbem adhuc vaſtum implerent, & laxiorem ſibi ſuisque pecoribus habitationem quærerent, relictis laribus paternis, in diverſa diſceſſerunt, ſuamque ſibi fere ſinguli mares familiam conſtituerunt. Inter quorum poſteros, itidem ſeſe diſpergentes, peculiare cognationis vinculum, & ortus inde affectus, paullatim exolevit, & commune tantum illud, ex ſimilitudine naturæ reſultans, remanſit. Donec poſtea, cum genus humanum inſigniter fuiſſet multiplicatum, deprehenſis vitæ ſegregis incommodis, paullatim proximi quique cohabitantes in civitates coivere, minores primo, dein majores, ex pluribus minoribus ultro aut per vim coalitis. Quas inter civitates, utpote nullo alio, quam communis humanitatis vinculo junctas, ſtatus naturalis utique adhuc exiſtit.

dict. §. 4.

Eorum

(x) *Inter quosdam homines emerſit*]. Hoc eſt, per manifeſta effecta ſe prodidit: alias enim non potuit non exiſtere, niſi quatenus aliquo facto humano fuit ſublatus, vel impeditus; quod ipſa *Status Naturalis* appellatio ſupponit. Breviter, res ita ſe habet. Qui ex Protoplaſtis, aut ſuccedentibus Patriarchis, geniti erant, cum in mundum prodirent Infantes, atque adeo ſuis actionibus dirigendis impares; licet pari eſſent, cum Parentibus, naturalis libertatis jure præditi, eo tamen haud ſtatim uti potuerunt; ſed durante rationis immaturitate, ut Parentum intellectu dirigi, ita eorundem quoque voluntate duci, egebant: quin & maturam ætatem conſecuti, evitare non poterant, quamdiu in patris familia, vel etiam territorio, (imo vix, ſalvo pietatis officio, dum in ejus vicinia) degerent, quin patri, conſenſu ſuo expreſſo, vel tacito, illud in ſe imperium permitterent, quod in univerſos penes aliquem conſtitui, ad mutuam pacem conſervandam, & ſecuritatem adverſus exteros præſtandam, videretur pro tempore neceſſarium. Confer *Lockii Tract. Poſt. de Imperio*, §. 73. 74. & *ſeqq.* Quam primum vero, vel Patris obitu, iſta unio (ſive ut pendens a communi Domino Terrarum, nunc inter plures diviſarum, ſive ut alias in ipſius Patris perſona radicata) eſſet ſoluta; vel filii, quod ſæpius fiebat, relictis paternis, novas ſibi ſedes, præſertim remotiores, quærerent, quas alieno imperio ſubjicere non placeret; tum demum filiorum naturalis libertas cœpit ſe exſerere: atque ita plures independentes Homi-

Eorum autem (*y*), qui in ſtatu naturali vivunt, hoc eſt præcipuum JUS, quod nemini, præterquam Deo, ſint ſubjecti atque obnoxii. Quo reſpectu etiam ille ſtatus nomine LIBERTATIS NATURALIS venit; per quam quilibet, citra antegreſſum factum humanum, ſui juris poteſtatisque, ac nullius homi-

VIII. Status naturalis eſt ſtatus libertatis & æqualitatis;

minum Societates ſunt exortæ; quemadmodum ipſe Auctor hic explicat. CARMICH.

§. VIII. Duo præcipue jura ex ſtatu naturali, civili oppoſito, reſultant (1) *Libertas* agendi quicquid legibus naturalibus & divinis non eſt vetitum: ſeu privatio ſervitutis publicæ & privatæ, propter quam in ſtatu hoc viventes, nec imperio, nec ſubjectioni, nec legibus aut pœnis humanis ſunt obnoxii; nec alii, quam Deo, actionum ſuarum rationes reddere debent, Tryphoninus, in *l.* 64. *D. de cond. ind. Libertas naturali jure continetur, & dominatio ex gentium jure introducta eſt.* (2) *Æqualitas* moralis, quæ facit, ut alter non ſit arbiter actionum alterius, utque jura omnibus eadem competant; niſi conventio aut vetus poſſeſſio obſtet. *Quod ad jus naturale attinet, omnes homines æquales ſunt*, ait Ulpianus *l.* 32. *D. de R. J.* Sat multa de hac æqualitate ſupra diximus ad *l. I. c.* 7. §. 2. eoque pertinet, quod Arioviſtus Cæſaris legatis, I. *B. G.* 24. maſcule reſpondebat: *Si quid ipſi a Cæſare opus eſſet, ſeſe ad eum venturum: ſi quid ille ſe velit, illum ad ſe venire oportere.* Quod ſi ergo pares, ut pares, non tractentur, omnia dat, qui juſta negat, & gladio ſuum vindicare licet. (3) Utrumque ſecus eſt in ſtatu adventitio familiæ & civitatis, ubi juſſa domeſtica & leges regum poſitivæ ſervitutem quandam & relationem inæqualem inter liberos & parentes, dominos & ſervos, imperantes & ſubditos inducunt. (4) Ceterum recte Auctor, in verbis, *quæ ſanæ rationi congruunt*, & in fine §. in vocibus: *juxta dictamen rectæ rationis*, temperat licentiam ſtatus naturalis Hobbeſianam, quæ juſtitiam & injuſtitiam naturâ non agnoſcit, ſed injuriam in pacti violatione ponit; quum tamen homo nunquam ſit ſine norma, & officia abſoluta, in ſtatu naturali non minus, quam in adventitio, ſint præcepta. (5) Tolerari quodammodo poſſet abſurda hæc doctrina, ſi de eo, quod in ſtatu naturali impune fit, acciperetur; nec aliam Malmeſburienſis mentem fuiſſe, contendit Cl. Gundlingius, in *Statu naturali Hobbeſii, ex l.* 5. *D. de J. & J. defenſo:* verum occurrunt loca, maxime in ejus *Leviathane c.* 13. ex quibus concludas, ſtatum hoſtilem a natura ei conſtitutum videri: cum tamen contradictionem implicet, poſitis pluribus, jure ſibi æqualibus, jus omnibus in omnes & in omnia competere, quia alter eodem jure uti poſſet. v. Pufend. *Op. maj.* I. *c.* 7. §. 13. & Diſſert. ejusdem *de ſtatu hom. nat.* §. 10. Joh.Chriſt. Becmanus *in Polit. parall. c.* 1. §. 5. ita de Hobbeſio judicat: *Principia vitæ ſocialis vere explicat, ſed male applicat: unde omnis illa in doctrina ejus perverſitas.* OTTO.

(*y*) *Eorum autem*] Hoc facile liquet, in ſtatu naturali ſummam eſſe libertatem & æqualitatem, non tamen omnimodum, cum utique Leges Naturales multa, etiam in hoc ſtatu, exigant, atque hac reſtrictione abſurdam Hobbeſii ſententiam recte correxit Auctor, *h.* & *l.* II. *c.* 2. §. 3. Cæterum libertas ſumma dicitur, quoad ſingulos, nam alias Imperantis libertas, in ſtatu civili, longe major eſt, pro-

minis imperio ſubjectus eſſe intelligitur. Quo ipſo etiam quivis cuivis alteri, cui neque ipſe ſubjectus eſt, neque eundem ſibi ſubjectum habet, ÆQUALIS cenſetur. Cum porro homini lumen rationis ſit inſitum, quo prælucente actiones ſuas temperare poſſit; conſequitur, quemlibet, qui in naturali libertate vivit, in regundis ſuis actionibus à nullo mortalium dependere; ſed ex proprio judicio atque arbitrio omnia, quæ ſanæ rationi congruunt (z), agendi habere poteſtatem (a). Et cum homo ob communem inclinationem, omnibus animantibus inſitam, non poſſit non ad conſervationem ſui corporis vitæque, nec non ad diſpellenda ea, quæ eandem deſtruere videntur, omnibus modis incumbere, mediaque ad eum finem adhibere; & vero in ſtatu naturali nemo habeat alterum hominem ſuperiorem, cui voluntatem judiciumque ſuum ſubmiſerit, inde in eo ſtatu quilibet ex proprio judicio definit de aptitudine mediorum, an ad conſervationem ſui conducant, nec ne (b). Nam ſi

propter plura objecta, circa quæ illa verſatur. Titius.

(z) *Quæ ſanæ rationi congruunt*] Hac cautela, ut & ea quæ diſertius additur in fine h. §. recte innuit Auctor, *Libertatem naturalem* cum *Licentia Hobbiana* minime eſſe confundendam. Carmich.

(a) *Agendi habere poteſtatem*] Agit ex proprio arbitrio omnia; attamen ſecundum normam præcepti naturalis. Status ante naturæ præcepta practica fingi poteſt, ſed numquam exſtitit, norma enim agendi rationi connata eſt, & ipſa ratio, quam homo, ſimulac exortus eſt, ſecum attulit: ſtatim igitur, atque ratio exſtitit, poſitus homo ſub norma fuit; numquam ſine norma. Pluribus materiam hujus §. expoſuit Houtuyn *polit. contracta generali p.* 1. & 23. *ſq.* Treuer.

(b) *An ad conſervationem ſui conducant, ne ne*] Hoc ita demonſtrari poteſt: In ſtatu naturali æqualia habemus jura: quapropter plus alii in me non licet, quam mihi licet in alium. Mihi vero non licet eſſe arbitrum alterius actionis & arbitrii: ergo quoque alii non licebit ſe arbitrum mearum actionum conſtituere. Quicumque hoc fecerit in ſtatu naturali, ille mihi eo ipſo jus concedit eadem in ſemetipſum exercendi. Jus ergo quisque habet abſolutum de ſuis rebus diſponendi & ſtatuendi pro lubitu: & nemo hominum limites hic ponere jure poteſt. Etiamſi aliquis ratione ſua minus recte utatur: exinde jus ſuum non amittit, neque alteri jus accreſcit illud minuendi: aliud enim eſt de jure aliquid facere, aliud recte facere. Id quidem licebit, & prin-

Digitized by Google

ſi vel maxime alterius conſilium audiat, penes ipſum tamen eſt, an velit alienum conſilium probare vel non. Ut tamen iſthæc propria ſui gubernatio recte ſeſe habeat, requiritur, ut ea juxta dictamen rectæ rationis, legemque naturalem ſuſcipiatur.

J. N. & G. *l.* II. *c.* 2. §. 3.

IX. Status naturalis

Status naturalis; utut libertatis nomine (*c*) & immu-

principia humanitatis quemvis eo obligant, ut conſilio errantem adjuvet: ſed penes ipſum tamen eſt, monente auctore noſtro, alienum conſilium probare vel rejicere, nec remediis coactivis poterit compelli ad conſilium admittendum. Quibus ex rationibus non obſcurum eſt, quod vita gentium barbara, a regulis humanitatis plane abhorrens, propoſitumque eos mores emendandi & ad normam rationis felicis componendi injuſta belli cauſſa ſit, quam minus juſte Græci olim & poſt Hiſpani cruentiſſimis bellis prætexuerunt. Idem.

§. IX. Ut Hobbeſius, *de Cive c.* 10. §. 1. ſtatum naturalem adeo miſerum, & hoſtilem depingeret, patriæ calamitas, ſub Carolo I. effecit: ſperabat enim, infelice illius conditione depicta, fore, ut natio diſcors ſub unius imperio damna belli civilis repararet, & ad ſtatum civilem conſervandum majori ſtudio incumberet; ideoque, quod ipſe in fine præfationis rogat, *pacis ſtudio & juſto dolori, propter præſentem patriæ calamitatem, aliquid ei condonari, æquum eſt.* Nil autem cauſæ erat, cur Auctor, deſertis principiis illis horridis, floſculos oratorios, in odium ſtatus naturalis, & laudes ſtatus civilis, hic pariter ac ſupra I. *c.* 3. §. 3. depromeret: quamvis enim ſtatus civilis, per media humana, felicior fieri poſſit naturali; multa etiam utriusque ſtatus ſint diſcrimina, quæ Hertius, *in Diſſert. de Diff. jur. in ſtatu nat. & advent.* diligenter excuſſit, Fruſtra tamen (1) de ſtatu ficto abſolutæ æqualitatis, ſolitudinis & ruditatis omnium hominum ſumus ſolliciti, cum talis poſt lapſum non fuerit, niſi ad breve tempus, dum ſolus eſſet Adamus. (2) Status particularis ſegregum familiarum rudior, & moleſtiis obnoxius, hodie ceſſat; magis vero fuit beatus, quam multarum nunc eſt conditio civitatum, quum & ratio in eo excoli & pactorum religione ſecuritas parari potuerit; nec tot in eo vitia, nec in tanto gradu. (3) Incommoda ſtatus naturalis a vitiis hominum, non ab ipſo ſtatu, ſunt repetenda, eademque in ſtatu etiam civili nimis conſpiciuntur. (4) Denique licet civitates ſint medicina quædam humanæ imperfectionis, & tutus bos in iis rura perambulet, ſocioque timore urſa & lupus ſimul manſueſcant; ſtatus tamen naturalis libertatis & pacis a natura intendi videtur, quia ſocialis eſſe poterat, & civili ſtatui multorum civium longe eſt præferendus, uti Titius *ad h.* §. & Lockius, *de Imp. civ.* pluribus monuerunt. Otto.

(*c*) *Status naturalis, utut libertatis nomine*] Inſtituitur comparatio ſtatus naturalis & civilis. Ille hoc libertate præſtat, ſed hic, vice verſa, variis commodis gaudet,

quæ

Digitized by Google

graviſſimis incommodis expoſitus.

immunitatis ab omni ſubjectione inſigniter blandiatur; idem tamen, antequam ab hominibus in civitates fuerit conceſſum, plurima habet adjuncta INCOMMODA; ſive fingamus, omnes & ſingulos in eo exiſtere, ſive conſideremus conditionem patrumfamilias ſegregum. Nam ſi animo concipias (*d*) hominem, etiam adulta ætate, in hoc mundo deſtitutum ſolum, & ſine omnibus commodis & adminiculis, quibus vitam cultiorem & molliorem reddidit ſolertia hominum; videbis animal nudum, mutum, inops, famem radicibus & herbis, ſitim obvia aqua, injurias aëris antris utcunque diſpellens, feris beſtiis expoſitum, & ad cujusvis occurſum pavidum. Paullo cultior (*e*) vita potuit eſſe inter eos, qui in familiis ſegregibus degebant. Sed quæ tamen cum vita civili nullo modo comparari poterat; non tam ob indigentiam, quam inter coërcitas cupiditates familia ſic ſatis vi-

quæ ab illo exulant. Cæterum aſſertio illa non penitus quidem rejicienda eſt, parum apte tamen hic deducitur & probatur. TITIUS.

(*d*) *Nam ſi animo concipias*] Primum argumentum, quo incommoda ſtatus naturalis probantur, deſumitur a *ſolitudine*. Sed illa ſolitudo ſaltem fingitur, revera autem non exiſtit, niſi aliquando inter paucos homines & ad breve tempus, nam alias ſtatum naturalem eſſe ſocialem, manifeſtum eſt, ac ab ipſomet Auctore contra diſſentientes adſtruitur, *l. II. c.* 2. §. 5. *in fin.* Utut igitur, ex hypotheſi ſolitudinis, ſtatum naturalem miſerum dicere liceat, attamen, cum præſuppoſitum ſaltem fingatur, nec id, quod inde elicitur, vere adeſſe poteſt. IDEM.

Quæ hic repetuntur ex *Lib. I. Cap.* 3. §. 3. minus ad rem faciunt; cum poſſit eſſe ſociabilis Hominum convictus, absque ullo particularis Societatis vinculo; ut recte docet ipſe Auctor de *J. N. & G. Lib. II. Cap.* 2. §. 5. *prope finem.* CARMICH.

(*e*) *Paullo cultior*] Alterum argumentum petitur a *ruditate & ſecuritatis defectu.* Enimvero, quod ultimum attinet, gratis omnino tantus metus in ſtatu naturali allegitur, cui ab hominibus, per familias diſtributis, non potuerit occurri, id, quod *c.* 5. pluribus oſtendam. Primum vero quod concernit, obſervandum eſt, quod vita exculta, vel elegantia & ſplendor converſationis civilis, in civitatibus non ubique occurrat, ſed tantum in urbibus magnis & populoſis, hinc generaliter ſtatui civili præ naturali prærogativa tribui nequit, præterea obſervandum, quod ſæpe vita ſimplex, candida, doli & fuci expers, nomine vitæ inexcultæ aut barbaræ traducatur; vanitas vero, ſtultitia ac fucata malitia pro morum elegan-

videtur poſſe diſpellere, quam quod ſecuritati parum ibi ſit conſultum. Et ut in pauca rem conferamus (*f*), in ſtatu naturali quisque propriis tantum viribus protegitur; in civitate omnium (*g*): ibi fructus ab induſtria ſua nemini certus; heic omnibus (*h*): ibi imperium affectuum, bellum, me-

gantia habeatur, ut hactenus ſtatus civilis naturali non valde præſtare videatur. TITIUS.

(*f*) *Et ut in pauca rem conferamus*] Non in ſummam hactenus dicta contrahuntur, ſed potius comparatio longe largior, inter ſtatum naturalem & civilem, nunc inſtituitur. Sed dum Auctor Philoſophiam Hobbeſii *de Civ. c.* 10. §. 1. ſecure nimis ſequitur, & veritati & ſibi ipſi quodammodo obloquitur; videamus diſtinctius. IDEM.

Quæ ſequuntur, ad finem hujus §. ex *Hobbio* deſumpſit Auctor, forte nimis ſecure; eo certo nomine Cl. Viris *Titio* & *Barbeyracio* jamdudum dedit pœnas. Horum quidem ego ſeveriores cenſuras nolim temere meas facere; multo minus dubitare, quin Status Civium, ſub Imperio non plane nequiter adminiſtrato (amplius quid affirmare non audeo) longe ſit præferendus conditioni ſingulorum Hominum, vel etiam ſingularum familiarum, in libertate invicem naturali degentium: diſſimulari interim non oportet, Hobbianis iſtis verbis, ab Auctore hic adoptatis, peſſimam Status naturalis faciem, conferri cum Statu Civili, qualis hic eſſe debet, magis, quam in hac Hominum pravitate, usquam eſt. CARMICH.

(*g*) *In ſtatu naturali quisque propriis tantum viribus protegitur; in civitate, omnium*] Sed cur non liceat in ſtatu naturali, pacta, quoad mutuam defenſionem, inire? Sic ſane defenſio viribus conjunctis ſiet, & licet illa cum defenſione, quam civitas bene compoſita præſtare apta eſt, conferri nequeat, attamen illa repellendis malis, quæ in ſtatu naturali, ante exortas civitates, occurrere posſunt, ſufficit, præterea id etiam obſervari meretur, quod in civitatibus ſæpe omnium viribus ſinguli opprimantur, quod malum in ſtatu naturali haud metuendum. TITIUS.

(*h*) *Ibi fructus ab induſtria ſua nemini certus; heic omnibus*] Sed utrumque probandum erit. In ſtatu naturali ſæpe ſecurius induſtriæ ſuæ fructu quis gaudet, quam civili, in quo non raro per malos imperantes ad ſanguinem usque miſeri ſubditi exhauriuntur. Percurramus cætera, inſperſa brevi paraphraſi: *ibi imperium affectuum*, (pravos affectus in ſtatu naturali non penitus eſſe ceſſaturos, ex indole hominum facile intelligitur, ſed quod ibi ſit imperium affectuum, id eſt, affectus ibi in ſummo gradu dominentur, nec tam pravi in ſtatu civili occurrant, illud utique gratis dicitur) *Bellum*, (ſed ex accidenti, nec tam grave, ſicut exortis civitatibus, geri ſolet, nam ſtatum naturalem non eſſe hoſtilem, ſed ſocialem, ex genuinis principiis certum eſt, ac ab ipſo Auctore, §. 11. *b.* aſſeritur, latiusque contra ineptas Hobbeſii ſtrophos deducitur, *l.* II. *c.* 2. §. 5. *ſeqq.*) *Metus*, (ſed ſuppetunt etiam media, illum reprimendi, præterea, exortis civitatibus, major metuendi cauſa exiſtit) *Paupertas*, (quoad ignavos aut prodigos, nam labore & parſimonia neceſſaria vitæ adminicula facile parari & conſervari poterunt) *Fœditas*, *ſolitudo*, *barbaries*, *ignorantia*, (hæc ex falſa Hobeſii hy-

po-

Digitized by Google

metus, paupertas, fœditas, ſolitudo, barbaries, ignorantia, feritas: heic imperium rationis, pax, ſecuritas, divitiæ, ornatus, ſocietas, elegantia, ſcientiæ, benevolentia (*i*).

J. N. & G. *l.* II. *c.* 2. §. 2.

In

potheſi, qua ſtatus naturalis hoſtilis eſſe contenditur, fluunt, qua negata, conſectaria quoque ceſſant, quin interim ex accidenti illa incommoda ſtatum naturalem infeſtare poſſint & ſoleant, non negatur; ſed nec eadem a ſtatu civili penitus abſunt. *Heic imperium rationis*, (hoc ſcilicet ambitionis, avaritiæ, voluptatis, injuſtitiæ ac inhumanitatis monſtra, quæ in aulis dominari ſolent, ac inde in ſubditos quoque maximam partem deveniunt, oſtendunt) *Pax*, *ſecuritas*, (hoc ex horrendis perſecutionibus, quas nonnunquam ſubditi patiuntur, & bellis crudeliter geſtis intelligitur) *Divitiæ* (de quibus innumerus mendicorum numerus, ſubditique, ad ſanguinem usque exhauſti, teſtantur) *Ornatus*, *ſocietas*, *elegantia*, *ſcientiæ*, *benevolentia:* Sed his nominibus ſæpe vanitatem & ſtultitiam, pedantismum, pravos affectus ac ſubtiles fallendi artes tegi, certum eſt, ſi quid autem boni iis ineſt, id a ſtatu naturali etiam non penitus exulat.

2. Hactenus igitur comparatio ſtatus naturalis & civilis non ſatis recte vel inſtituta. vel explicata videtur. Rectius forſitan eam juxta triplicem quæſtionem expedies, (1) *Qualis*, *tam naturalis quam civilis*, *ſtatus ex intentione Dei eſſe debeat?* Uterque ſocialis & felix, (2) *Qualis juxta malitiam humanam eſſe ſoleat?* Uterque inſocialis & infelix, (3) *Qualis per media humana eſſe queat?* Heic fatendum eſt, quod civis magis ſocialis & felicior eſſe poſſit naturali, cum per imperium civile malitia humana efficacius reprimi, ac adeo ſocialitas conſervari & felicitas promoveri queat. Sed illa vera ſunt, ſi legitimus imperii civilis ſit uſus, ſi vero ejus occurrat abuſus, qui ſane frequentiſſimus eſt, tum ſtatus civilis naturali longe infelicior cenſeri debet, quod tot bella, calamitates & vitia, ex abuſu illo provenientia, ac a ſtatu naturali abſutura, ſatis demonſtrant. Idem.

(*i*) *Benevolentia*] Auctor hic nimium abripitur philoſophia Hobbesii, cujus verba etiam appoſuit *ex cap.* 10. *de cive* §. 1. Mala enim, quæ hic de ſtatu naturali enarrantur, non ex ejus natura, ſed ex adfectionibus, bellum, metus, paupertas, fœditas, ſolitudo, barbaries, ignorantia, feritas non ſunt neceſſarii comites ſtatus naturalis, in quem & ſcientiæ & commoditates vitæ cadunt. Hic enim ſtatus ratione intentionis Dei ſtatus pacis eſt (1) a Deo pacis cauſſa conditus (2) pacis fundamentis: Neminem lædas &c. ſuperſtructus: (3) mediis ad pacem conſervandam, officiis ſcilicet ad illam normam præſtandis, non deſtitutus: (4) noſtræ felicitati & conſervationi nulla ratione contrarius, quæ (5) eas ob cauſſas in ſtatu naturali poſſibilis eſſe intelligitur. Quid? quod natura hunc ſtatum maxime intendit, quæ homines liberos procreat. adeoque & liberos eſſe voluit. Iſta tamen felicitas ſtatus naturalis impeditur ab ipſo homine per malitiam & infinitæ corruptionis indolem, quæ tanto errore migravit agendi normas, ut extraordinariis adminiculis opus fuerit, homines intra cancellos externi ſaltem officii coërcendi & detinendi, inter quæ civitas tamquam re-

Digitized by Google

X. Controverſiæ, in eo ortæ, quomodo dirimendæ.

In ſtatu porro naturali (*k*), ſi vel quis alteri ultro non præſtet, quæ ex pacto debet, aut ſi injuriam intulit, aut ſi alias controverſiæ quid oriatur; nemo eſt, qui pro imperio alterum ad præſtandum debitum, reparandamve injuriam adigere, litemque decidere poſſit, uti in civitatibus, ubi judicis communis auxilium implorare datur. Quia tamen non ob quamvis cauſam natura in bellum ruere permittit, etiam ubi quis de juſtitia ſuæ cauſæ ampliter ſit perſuaſus: igitur prius tentandum, num

remedium aptiſſimum non tam inventa, quam intruſa in genus humanum, cujus reſpectu inſtar boni extraordinarii conſideranda, quod homini corrupto aliquam medicinam parat; licet etiam multa adficiatur moleſtia, & ſuis defectibus morbisque laboret. Veriſſimum enim eſt, multa vitia fore incognita, immo in tanto gradu vix fuiſſe exſtitura, ſi homines ſtatum naturalem conſervare potuiſſent. Vid. HOUTUYN *polit. contr. gen.* §. 3. *p.* 8. BARBEYRAC. *ad Pufend. op. maj. lib. II. c.* 2. *p.* 153. LOCK *du gouvernement civil. T. II. c.* 1. §. 10. Si auctor Anglus, qui edidit *the fable of the bees* ea intentione fabulam de apibus ſcripſiſſet, ut oſtenderet, apes in ſtatu naturali felicitatem obtinere potuiſſe; contra in ſtatu civili ad ſummam paupertatem & miſeriam potuiſſe redigi, qui multas imbecillitates ſecum habeat conjunctas; probari poſſet ingenioſiſſima fabula. Sed quum docere ea velit, virtutem generi humano pernicioſam & ad politica inventa referendam eſſe; ingenii male luxuriantis maculam ſibi inuſſit. Vid. *bibliotheque Angloiſe T.* XIII. *art.* 2. TREUER.

§. X. Illud etiam incommodum ſtatus naturalis addit Auctor, quod controverſiæ, quas Principes *Prætenſiones* vocant, non judice, ſed Marte arbitro decidi debent; ut tamen non deficiant media amica lites illas componendi: *Omnia vero prius experiri, quam armis, ſapientem decet*, ait Terentius. Huc pertinent (1) *Colloquia*, ſi hoſtis nondum inſtet, & ſpatium deliberandi ſuperſit. (2) Si animi nimis ſint exulcerati, *Arbitros* intervenire neceſſe eſt, qui non ſub conditione, ſi juſtam tulerint ſententiam, ſed puro compromiſſo conſtituantur. (3) Grotius, II. *c.* 23. §. 9. addidit *Sortem*. Verum ſicut is, qui manifeſto læſus eſt, Colloquium expetere aut exſpectare non tenetur; quod ad vires colligendas, vel temporis lucrandi gratia, ſæpe rogatur; ita mollior Compromiſſi via potentioribus plerisque ſpreta, quia non facile reperitur arbiter indifferens, &, ſi reperiatur, deficit exſecutio: quapropter compromiſſum in privatis quoquo culpatur, in *l.* 56. §. 1. *D. de evict.* Denique Sors juſtum ab injuſto non diſtinguit, neque Deus revelavit, ſe ſorti illi aſſiſtere velle; Tres itaque hæ viæ aliquando ſunt utiles, ſed non ſunt neceſſario ineundæ: quamobrem plerumque, viribus utrinque bello exhauſtis, ad pacem & transactionem demum pervenitur. OTTO.

(*k*) *In ſtatu porro naturali*] De modo litigandi, juxta præſcriptum Juris Naturalis, tam intuitu ſtatus naturalis quam civilis, alio loco agendum erit, ſed uti, hujus reſpectu, nihil omnino propoſuit Auctor, ita ejus intuitu, nonnulla hic inſerere voluit, quæ poſſi-

num molliori via (*l*) res poſſit componi, diſceptatione ſcilicet partium amica (*m*), & puro (non conditionato) compromiſſo (*n*), ſeu PROVOCATIONE AD ARBITROS (*o*). Qui arbitri æquos ſeſe

tiſſimum ſpectant ad civitates, in ſtatu naturali exiſtentes. Id facile liquet, opus eſſe modo hoc litigandi, *orta controverſia*, cum enim hanc communis judex decidere nequeat, & tamen regulæ humanitatis in bellum ſtatim ruere prohibeant, hinc de molliori proceſſu prius laborandum, §. 10. *b.* add. *l.* V. *c.* 13. §. 1. 2. 3. TITIUS.

(*l*) *Num molliori via*] Vide *Grotium Lib. II. Cap.* 23. §§. 7. 8. CARMICH.

(*m*) *Diſceptatione ſcilicet partium amica*] Poſſunt igitur lites tolli per communium amicorum interpoſitionem, quæ uti inter ſanctiſſima officia merito ab Auctore, *in fine b.* refertur, add. *d. c.* 13. §. 3. ita inter gentes ambitioſas viribusque ac potentia ſubnixas raro effectum habet, frequentius vero, poſtquam armis fuit certatum, animorumque vigor belli malis eſt fractus, controverſiæ, amicorum interventu, per tractatus & transactionem componi ſolent. TITIUS.

Cujus effectum promovere ſolet communium Amicorum, ſeu Mediatorum, interpoſitio; de qua Auctor *in fine b.* §. CARMICH.

(*n*) *Et puro, (non conditionato) compromiſſo*] Deinde etiam per arbitros controverſiæ terminari poſſunt, qui compromiſſo non conditionato conſtituendi eſſe perhibentur, quod eo ſenſu verum eſt, quod conditio ſententiam arbitri a voluntate & ratihabitione compromittentium ſuſpendere non debeat, nam, alio ſenſu conditiones adjici, nihil prohibet, add. *d. c.* 13. §. 3. TITIUS.

Hoc eſt, non tantum non ſuſpenſo ab iſta conditione, *Si compromittentes, Arbitri ſententiam ratam habuerint*, quemadmodum *Titius* interpretatur; ſed nec ab hac, *ſi Arbiter juſtam ſententiam tulerit*, ut ipſe Auctor ſe explicat, de *J. N. & G. Lib. V. Cap.* 13. §. 4. quippe, quæ conditio admiſſa, novo arbitrio locum relinqueret in infinitum: nec tamen abſolutum Compromiſſum impedit, quo minus, ſi fraudulentæ colluſionis, inter Arbitrum & alterum litigantium, manifeſta exſtiterint indicia, ſententia Arbitri ab altero rejici potuerit; fatente ipſo Auctore *d.* §. *circa finem.* CARMICH.

(*o*) *Provocatione ad Arbitros*] Caſus hic bene diſcernendi ſunt. Si in ſtatu naturali hoſtis inſtet, periculum in mora ſit, neceſſitas urgeat, mens attonita & peturbata ſit ab hoſtis violenta læſione; ad molliorem aliquis viam tentandam, tamquam ad impoſſibile, non obligatur: alia vero res eſt, ſi deliberandi ſpatium permittatur; ſi mora non cum internecione noſtra ſit conjuncta, & tutioribus remediis res poſſit componi. His enim poſitis circumſtantiis, ſatius erit, ſecuritatem noſtram & pacem externam per amicas vias recuperare, quam bello eamdem majoribus turbis & ancipiti bellorum aleæ exponere. Non tamen jure perfecto, ſed per principia decori & prudentiæ ad molliorem viam ineundam obligor: æquum eſt ſic agere: licet, ſi velis, jure tuo perfecto in injuſtum invaſorem ſevere uti poſſis, belloque injuriam inlatam vindicare: quamquam hoc nec decore nec utiliter fieri, poſitis iis momentis circumſtantibus, judicandum ſit. Quod uberius pateſcet, ſi cogitemus, ad arbitros recipiendos neminem cogi poſſe in ſtatu naturali. TESMARUS *quidem ad Grot. L. II. cap.* 23. §. 8. *lit. a.* inter principes ſecus eſſe

Digitized by Google

ſeſe (*p*) utrique parti gerere debent (*q*), & in ferenda ſententia nihil odio aut gratiæ dare, ſed unice merita cauſæ reſpicere (*r*). Quam ob rationem etiam non ſolet (*s*) quis capi arbiter in ea cauſa, in qua ipſi commodi, vel gloriæ peculiaris ſpes major adparet ex victoria unius partis, quam alterius; adeoque ubi ipſius intereſt, alterum quocunque modo cauſam obtinere. Hinc & nullum pactum (*t*) aut promiſſum intercedere debet inter arbitrum & partes, cujus vi pronunciare in gratiam alterius teneatur. Quod ſi arbiter (*v*) neque ex communi partium confeſſione, neque ex certis in-

eſſe exiſtimat ob maxima incommoda, quæ ex rejecto arbitrio ſequentibusque inde bellis oriuntur etiam in innocentes. Sed hæc juri belli nihil detrahunt: quod eam ob cauſſam juſtum manet, licet vel læſo, vel lædenti grave ſit & moleſtum. Jura humanitatis omnino poſcunt, ut ſæpius principes abſtineant etiam a juſto bello: poſcit id prudentia: exinde vero nihil decedit illorum juri, nec juſtitia belli labefactatur. TREUER.

(*p*) *Qui arbitri æquos ſeſe*] De officio & poteſtate arbitrorum ex prævio compromiſſo judicandum, quod naturale eſt & latius diducitur, *d. c.* 13. §. 4. 5. 6. 7. Poteſt etiam de poſſeſſione arbiter pronunciare, ſi jus poſſeſſionis ſit evidens, quod, contra Grotium, in *Obſerv. ad Lauterb.* jam adſtruxi *Obſ.* 1081. *n.* 2. add. *d. c.* 13. §. 6. TITIUS.

(*q*) *Utrique parti gerere debent*] De officio arbitrorum & mediatorum vid. WILLENBERGII *diſſ. Gedani* 1706. *hab. de arbitris & mediatoribus belligerantium:* COCCEII *diſſ. de officio & jure mediatorum pacis. Francof.* 1702. TREUER.

(*r*) *Sed unice merita cauſæ reſpicere*] Et quidem regulariter, ſecundum rigorem juſtitiæ expletricis; prout is, in ſtatu naturali legibus naturæ ſolis, in civitate legibus etiam civilibus, definitur. Qui vero adhibentur ad laxius definiendum, quid alter alteri, ex obligatione licet imperfecta, præſtare omnino debeat. dicuntur vulgo *Arbitratores*. CARMICH.

(*s*) *Quam ob rationem etiam non ſolet*] Hæc ad regulas prudentiæ pertinent, ſi quis ſecus fecerit, ac arbitro ſuſpecto cauſam ſuam committat, is imprudenter quidem agit, eam ſolam tamen ob cauſam, ſi dolus ac ſordes arbitri non appareant, ſententiam latam improbare non poteſt. TITIUS.

(*t*) *Hinc & nullum pactum*] Tale pactum ſcopo compromiſſi contradicit, adeoque cum eo ſimul conſiſtere nequit. Sed ita ſolent gentes agere: controverſias majoris momenti arbitrorum ſententiæ non facile committunt, ac, eo forte facto, ſententiam tacitis artibus eludere conantur, aut, ſi hac via res non procedat, eam aperte ſpernunt. IDEM.

(*v*) *Quod ſi arbiter*] Inter partes officii, quod arbitro incumbit, quoque eſſe, ut de facti veritate, ac genuina probatione ſit ſollicitus, facile liquet. De cætero probatio vel confeſſione partium vel teſtibus peragitur. Poterit etiam partibus jusjurandum deferri, & quidem, ſi circumſtantiæ & æquitas id exigant, etiam ſine alterius con-

Digitized by Google

inſtrumentis, aut indubiis rationibus & ſignis, quid in facto ſit, cognoſcere valeat, ex effatis TESTIUM (x) id erit cognoſcendum. Quos licet ad verum dicendum (y) lex naturalis, & plerumque juramenti religio adſtringat; tutiſſimum tamen fuerit tales non admittere, qui erga alterutram partem ita ſunt affecti, ut conſcientiæ ipſorum cum gratia, odio, vindictæ libidine, alioque violento animi motu, aut etiam arctiore quadam neceſſitudine ſit velut luctandum: quibus ſuperandis non omnibus ſat conſtantiæ eſt. Aliquando etiam per communium amicorum interpoſitionem lites tolluntur; quod merito inter ſanctiſſima officia habetur. Cæterum in hoc ſtatu (z) exſecutionem, ubi ultro ab altero non præſtatur, quod debetur, ſibi quisque facit.

J. N. & G. *l.* v. *c.* 13. tot.

Quam-

conſenſu, quamvis aliter ſentiat Auctor, *l.* V. *c.* 13. §. 8. ſed de hoc fruſtra forte diſputatur, cum feroces gentes nec juramentum tale facile ſubeant, nec arbiter, invitis partibus, illud temere decernat. IDEM.

(x) *Ex Effatis teſtium*] Recte obſervat Auctor, de *J. N. & G. d. Cap.* §. 9. rationi naturali quam maxime congruere, ut ad fidem faciendam, in re, quæ ſola teſtium fide nititur, duo ad minimum teſtes requirantur; non ſolum, quia unus facilius decipi aut corrumpi poteſt, quam plures; ſed etiam, quia a cordato Judice mendacia teſtium deprehendi poſſunt, ſi diverſi interrogentur: cujus rei lepidam inſtantiam ſuppeditat, ſive Hiſtoria, ſive Fabula *Suſannæ v.* 51. & *ſeqq.* CARMICH.

(y) *Quos licet ad verum dicendum*] Quid Lex Naturalis teſtibus injungat, aut prudentia in iis admittendis exigat, (de quo *h.* add. *c.* 13. §. 9.) id facile intelligitur. Numerum vero quod attinet, ratio naturalis etiam inſinuare videtur, quod unius teſtimonium non ſufficiat, duorum tamen, non ſuſpectorum, & omni exceptione majorum (quales cenſeri nequeunt, niſi etiam de dicenda veritate juraverint) effato fides fieri poſſint, add. *d. c.* 13. §. 9. TITIUS.

(z) *Cæterum in hoc ſtatu*] Exſecutio rei judicatæ non ab arbitro, ſed victore ipſo fit; verum ubi ad vim deventum fuerit, raro intra terminos exſecutionis conſiſtitur, quin potius condemnatus non ſegnius vim repellit, quam alter infert, ut facile liqueat, inter gentes bellicoſas, raro molliori aliquo remedio controverſiam componi, ſed, Marte judice, omnia fere peragi, add. *d. c.* 13. §. 10. IDEM.

§. XI.

Digitized by Google

XI. Hominum amicitia in ſtatu naturali parum firma.

Quamquam autem natura (*a*) ipſa inter homines aliquam cognationem eſſe voluerit, cujus vi nefas ſit, alteri homini nocere, & potius fas ſit, cuivis aliorum commodis ſeſe diſpenſare: tamen inter eos, qui in naturali libertate invicem vivunt, hæc cognatio ſat debiles fere exſerit vires (*b*), ita ut quivis homo, qui non eſt noſter civis, ſeu quicum in ſtatu naturali vivimus, non quidem pro hoſte, ſed tamen pro AMICO PARUM FIRMO ſit haben-

§. XI. Recte contra Hobbeſium cognationem humani generis in ſtatu naturali agnoſcit, quæ hominem homini inſidiari vetat; quamvis plerumque hic, ob malitiam humanam, aut bellum ſit, aut belli præparatio, aut pax infida, auctore Vellejo Paterc. I. 12. Neque enim cognatio illa ſatis attenditur, propter facultatem & voluntatem nocendi, ex avaritia & ambitione prognatam, ad quam imperantes, in magna illa licentia, ſua ſponte invitantur. Maxime quia cognatio illa non tam valide jus adſtruit, quam Oratoribus declamandi argumentum præbet. vid. Cl. Treuerus *ad hunc* §. quæque ſupra diximus *ad l.* 1. *c.* 8. §. 1. (2) Prudens eſt monitum, de vulgari & ollari amicitia, a Biante, Sophocle & Ariſtotele deſumtum, ita credendos eſſe amicos, ut iidem mox hoſtes fieri poſſint: fronti enim nulla fides. Si vero de vera & perfecta virorum bonorum ſibique conſtantium amicitia loquimur, recte negabat Scipio, ullam vocem inimiciorem amicitiæ potuiſſe reperiri, quam ejus, qui dixiſſet, ita amare oportere, ut ſi aliquando eſſet oſurus, apud Ciceron. *de Amicit. c.* 16. OTTO.

(*a*) *Quamquam autem natura*] Rectius hic Auctor de ſtatu naturali philoſophatur, quam §. 9. *b.* Eſt ſcilicet ſtatus *ſocialis*, ſed *parum tutus*, cujus cauſa generalis eſt *malitia humana*, quæ vincula legum facile perrumpit, niſi præſentaneo aliquo malo reprimatur. TITIUS.

(*b*) *Exſerit vires*] Apud STOICOS quidem in magni ponderis argumentum adhibebatur naturalis hominum cognatio ad inſtigandos homines ad officia honeſta, ut videre licet ex ANTONINO *de rebus ſuis lib. II.* §. 1. *lib. III.* §. 9 *lib. IX.* §. 27. & alibi paſſim: ARRIANO *lib. I. cap.* 9. *lib. III. c.* 24. ſed ex falſis principiis maximam partem deducebatur. Sic enim ANTONINUS l. c. in cujusque lædentis natura ſe noſſe ait, quam congener ſibi ſit non tam, quod ſanguinis ſeminisque ejusdem, quam quod mentis ac portionis divinæ ſecum particeps. Palmarium ergo fundamentum quærebant in eo, quod omnes homines ratione animæ ſint particulæ divini ſpiritus ex DEI eſſentia profectæ, & in eamdem rurſus transeuntes. Quem nefandum Stoicorum errorem alii dudum refutarunt, & quidem ethnicus ipſe CICERO *l. I. de natura deorum* BUDDEI *diſſ.* 1. *de erroribus Stoicorum in analectis hiſt. phil. p.* 92. *ſqq.* Aliter LACTANTIUS *inſtit. div. lib. VI.* 10. iſtam cognationem demonſtrat: *Si ab uno homine, quem* DEUS *finxit, omnes orimur; certe conſanguinei ſumus.* Quidquid iſtius fundamenti ſit; cognatio tamen jus perfectum non adſtruit, & ad pias magis & oratorias meditationes & perſuaſiones pertinet, quam ut juris perfecti materiam fulcire queat. TREUER.

bendus (*c*). Cujus rei ratio eſt, quod homines non ſolum ſibi invicem maxime poſſint, ſed & variis de cauſis ſæpiſſime velint nocere (*d*). Alios quippe pravitas ingenii, aut dominandi & ſuperflua habendi libido ad lædendos alios incitat; alii, modeſto licet ingenio, ſtudio ſe conſervandi, & ne ab aliis præveniantur, in arma ruunt. Multos ejusdem rei deſiderium: alios ingeniorum contentio committit. Inde in iſto ſtatu tantum non perpetuæ vigent ſuſpiciones, diffidentia, ſtudium aliorum vires ſubruendi, libido alios præveniendi, aut ex aliorum ruina vires ſuas augendi. Ergo uti probi eſt hominis (*e*), rebus ſuis contenti, alios non laceſſere, nec aliena adpetere; ita cauti eſt, ſuæque ſalutis amantis, ita omnes homines amicos credere, ut tamen iidem mox hoſtes fieri queant: ita pacem cum omnibus habere, quaſi quæ mox bello mutari poſſit (*f*). Qua de cauſa & felix habetur reſpublica, quæ etiam in pace de bello cogitat.

J. N. & G. *l.* II. *c.* 2. §. 12.

(*c*) *Pro amico parum firmo ſit habendus*] In ſtatu naturali homo quivis non quidem pro hoſte, qui nos actu læſit, vel invaſionem præparat: vivitur enim in ſtatu pacis: attamen pro amico parum firmo habendus: quia non tantum habet potentiam nocendi, ſed propter malitiam & corruptionem hominum etiam inclinatio nocendi adeſſe præſumitur: id eſt, pro non hoſte, qui nos neque læſit, neque nobis auxilium præſtitit: a quo tamen utrumque proficiſci poteſt. Idem.

(*d*) *Nocere*] Vide ſupra *Lib. I. Cap.* 3. §. 4. Carmich

(*e*) *Ergo uti probi eſt hominis*] Egregium hoc eſt ſocialitatis & prudentiæ monitum, de cætero, pro diverſo ſtatus naturalis habitu, intenditur aut remittitur, nam ſi homines, in ſtatu naturali diſperſos, aut per familias exiguas diſtributos, ſupponas, tum, quia tam valide nocere non poſſunt, tanta circumſpectione non ſunt obſervandi; quodſi vero in valida corpora, ſeu civitates, digeſti ſint, tum in pace ſemper de bello, non inferendo, ſed repellendo, cogitandum eſt, add. *l. II. c.* 2. §. 12. Titius.

(*f*) *Bello mutari poſſit*] Ex iis omnibus, quæ dicta ſunt, colligendum eſt, ſtatum naturalem reſpectu hominis indifferentem eſſe, cui contingere poterat eſſe felicem vel infelicem: erat enim ſtatus *hominis* ſive creaturæ liberæ in utramque partem flexilis, adeoque ſtatus ejus aliter diſponi non poterat. Quapropter neque per ſe malus eſt, nec miſer, nec ſtatus belli: neque per ſe bonus eſt, nec felix, nec ſtatus pacis; ſed & metum belli alere poteſt & ſpem pacis. Treuer.

C A-

Caput II.

De Officiis Conjugalibus.

Summaria.

I. *Status adventitius primus Matrimonium,*
II. *Extra quod omnis libido vetita.*
III. *Obligatio ad ineundum matrimonium.*
IV. *Pacti conjugalis capita.*
V. *Præſtantia monogamiæ.*
VI. *Matrimonium inſolubile eſt,*
VII. *Permittitur quibuslibet,*
VIII. *Niſi ſanguine, aut affinitate nimis vicinis.*
IX. *Solemnia juris civilis ſunt.*
X. *Officia conjugum.*

Grot. *de* J. B. & P. *l.* II. *c.* 5. §. 8—16.

I. Status adventitius primus Matrimonium.

Inter Status Adventitios, ſeu in quibus homo, facto aliquo humano antecedente, conſtituitur, primo loco venit Matrimonium (*g*). Quod ipſum

§. I. Inter quatuor ſtatus adventitios, qui nunc ſequuntur, primus & ſimpliciſſimus eſt conjugalis, omnium reliquarum ſocietatum ſeminarium & amoris fundamentum. Quemadmodum igitur alia compoſita ad ſimplices usque partes dividere oportet, ita Politicus civitatem pernoſcere nequit, niſi cognitis ejus partibus. Omnis autem civitas e domibus conſtat: in his rurſus vir & uxor, pater & liberi, herus & ſervus; quæ tria Ariſtoteles etiam ſeparatim, etſi alio ordine, expoſuit, I. *Polit.* 3. *ſeq.* Cicero, I. *de Offic. c.* 17. *Cum ſit hoc natura commune animantium, ut habeant lubidinem procreandi, prima ſocietas in ipſo conjugio eſt: proxima in liberis: deinde una domus, communia omnia: id autem eſt principium urbis & quaſi ſeminarium reipublicæ.* (2) Minus plena eſt Grotiana conjugii definitio, quod ſit cohabitatio viri cum femina, quæ hanc. fide ſe oſtringentem, conſtituat ſub oculis & cuſtodia maris. Alia eſt Modeſtini, in *l.* 1. *D. de ritu nupt.* alia Juſtiniani, in §. 1. *Inſt. de patr. pot.* quam

ipſum etiam eſt primum velut ſpecimen vitæ ſocialis, ſimulque generis humani ſeminarium.

J. N. & G. *l.* VI. *c.* I. §. I, 2.

Circa

Alexander III. repetiit in *c.* 11. X. *de Præſumt.* niſi quod, pro *continens*, ſcripſit *retinens.* Canoniſtæ matrimonium dicunt eſſe ſacramentum, Laicis proprium, quo vir & mulier ſecundum præcepta Eccleſiæ conjunguntur, *c.* 2. C. 32. *qu.* 2. *c.* 9. *X. de hæret.* Rectius definiri poteſt, conjunctio maris & feminæ, ad procreandam & educandam ſobolem inita. (3) Variæ circa illud quæſtiones de divortio, inceſtu, polygamia, concubinatu & cœlibatu occurrunt difficiliores, partim quia principia juſti, honeſti & decori, tum juris naturalis & plenioris divini confunduntur; partim ob varias definitiones matrimonii & quæſtiones obſcuras, ad *Levit.* XVIII. partim etiam ob præjudicium, vel ejus ſaltem concluſiones retentas, quod matrimonium ſit Sacramentum; cum tamen id fiat actibus externis, &, mediis externis, ad finem externum tendat, &, judicio Synodi Dordracenæ, opus politicum videatur. vid. Brouwerus *de Jur. connub. II c. ult. n.* 6. Moſes Amyraldus, *de jur. nat. quod connubia dirigit*, cum notis viri Ampl. Gerh. von Maſtricht, Strykius de *Reliquiis ſacram. in matrim.* juncto Griebnero *de Illis, quæ perperam ad reliquias Sacram. referuntur*, & notis ad Böckelmanni *Diſſ. Jur. Civ. & Can. c.* 25. Otto.

(*g*) *Primo loco venit matrimonium*] Circa hoc, initio obſervandum, quod duplex Jus Naturæ ſeparari debeat; *Commune*, quod inter conjuges læſionem prohibet, ac damnum reſarciri, aut fidem datam ſervari jubet; & *Proprium*, quod unice ad propagationem pertinet, ac explicatu ſatis difficile eſt. Summam retulimus, in *Obſerv.* ad l. 1. c. 3. §. 8. lit (*s*). Nempe *homines genus ſuum propagare debent, eo modo, qui & naturæ propagantium ſociali convenit, & homines natos, ad religioſitatem, philautiam temperatam & ſocialitatem, quam optime diſponit*, ex quo concluſiones ſpeciales hic deducere conabimur. Titius.

Hanc circa matrimonium doctrinam perdifficilis eſſe explicationis ex variis momentis patet: non enim tantum (1) jus divinum ſingulari cura & ſpecialibus præceptis poſitivis ſocietatem conjugalem munivit, quæ a jure naturali ſollicite diſtinguenda ſunt, ſed quoque (2) mores & conſuetudines gentium hic negotium faceſſunt, quæ ſæpiſſime cum jure naturali confunduntur. (3) Nec inſtinctus naturalis, qui tamquam cauſſa impulſiva matrimonii a nonnullis adferri ſolet, cum norma juris naturæ miſcendus erit; multo minus obligatio hominis circa matrimonium ex eodem deducenda. (4) Impeditæ quoque tractationis cauſſa eſt confuſio principiorum juſti, honeſti & decori, quæ circa hanc materiam eo accuratius diſtinguenda, quo magis id, quod juſtum eſt circa conjugium diſtincte concipiendum, & tandem (5) fines ipſi ſocietatis matrimonialis, qui plerumque in propagatione ſobolis, exſtinctione libidinis, mutuo adjutorio poni ſolent, varia ſententiarum ambiguitate mentem ita irretiunt, ut e labyrintho inextricabili quomodo ſe expediat, neſcire videatur. His difficultatibus accedunt varia præjudicia, quæ animos hominum occupant. (1) Putant, conjugium eſſe rem mere ſacram extra ſphæram humani juris & facti poſitam, cujus fundamenta magis credenda,

quam

Circa hoc initio conſtat (*b*), ardentem illam ſexuum

II. Extra hoc vetitum

quam inveſtiganda ſint. Quorum errorem ipſa doctrina de conjugio, ex pacti mutuo conſenſu initi regulis & conditionibus dependente, luculenter enodabit. (2) Alii præjudicio pudoris ſui ex inſtitutione, vel educatione, vel temperamento exorti incitantur, ut id, quod circa matrimonium juſtum eſt, ex ejus impetu dijudicent. (3) Nonnulli ſtatum conjugalem poſt lapſum ad normam conjugii in ſtatu integritatis revocant & præjudicio confuſionis ſtatus integri & corrupti miſere laborant; quum alia plane quæſtio ſit, quid juſtum dicendum circa actiones lapſi hominis; alia, quid convenerit homini perfectiſſimo. (4) Multi propagationem humani generis in toto rectæ rationis ambitu circumſpicientes, & ſecundum omnes ejusdem regulas examinantes, doctrinæ exinde reſultantis farraginem omnem plena manu in jus naturæ transferendam eſſe judicant, præjudicio communiſſimo occæcati, quod quidquid rectum videatur rationi, ad jus naturæ pertineat. Hæc & talia partim corrigenda, partim perdiligenter & ſumma attentione diſtinguenda, ne forum ethicum cum juris naturæ cancellis quodam quaſi acervo confundamus, & in dijudicandis officiis hominum nobis ipſis imponamus. Treuer.

§. II. Stimuli, quos homo adultæ ætatis ad alterum ſexum, cum brutis communes habet, internam quidem mentis quietem turbant, & ad indecoras actiones ſæpe impellunt; quinimo Democritus & Hippocrates concubitum cum morbo comitiali compararunt, apud Laërtium IX. & Gellium XIX. *c.* 2. Deus autem eos nobis indidit, ut incitamenta eſſent honeſtæ propagationis, quæ finis primarius eſt matrimonii, uti ex *Gen. I. vſ.* 28. *Matth. XIX. vſ.* 5. atque ex formula Romana, *Liberorum quærendorum gratia uxorem duci*, ſatis conſtat. (2) Ex hoc fine creatoris ſimul liquet, omnem conjunctionem, quæ ſolius libidinis explendæ cauſa ſit, eſſe illicitam, & prærogativæ hominis præ brutis, atque ſocialitati repugnare: quia hominis generatio in ea non intenditur, quique præter votum natus a patre non educatur. v. Beverland. *de Fornicat. cav.* & Amyrald. *Diſq. II pag.* 87. (3) Inprimis autem deteſtanda eſt libido, quæ ſenſus humanitatis adeo exuit, ut marem in feminam convertat, vel hominem ad ſortem brutorum monſtroſe abjiciat, *Exod.* XXII. *vſ.* 19. *Levit.* XVIII. *vſ.* 22. *Rom.* 1. *vſ.* 27. Prius vero iſtud muliebris patientiæ ſcelus, inter probra naturæ merito referendum, ab effeminatis Phrygibus, ut Servius, *ad* IV. *Æn. vſ.* 215. vel a Laio, ut Ælianus XIII. 6. vel ab Italiotis, ut Suidas, in Θάμυρις ſcribit, inventum, & à Græcis ad Perſas delatum eſt, Herodot. I. 135. Romæ etiam frequens, levique aut nulla pœna vindicatum fuit, Lamprid. *Heliog. c.* 32. Aurel. Victor. *Cæſ. c.* 28. donec Impp. Chriſtiani in crimen nefandum juſſerunt inſurgere leges, & flammis vindicibus illud expiari, *l.* 6. *C Th. ad L. Jul. de adult.* poſtea jura gladio ultore armari voluerunt, *l.* 31. *C. ad Leg. Jul. de adult.* & denique Juſtinianus in ſexum ſuum ardentes punivit, natura abſciſſa, auctore Zonara, Malala & Procopio, *Anecd. p.* 53. Jus Canonicum, ſtylo Patrum, *Sodomiam* vocat, & peccatum *contra naturam*, *can.* 11. 13. 14. *C.* 32. *qu.* 7. ſicut Tertullianus *de Pudicit. c.* 4. *libidinum furias in corpora & in ſexus, ultra jura naturæ*, appellavit. v. Judic. pœnitent. apud Mabillon, *Itin. Ital. p. II. pag.* 392. (3) Grotius Concubinatum cœlibis perpetuum jure naturæ haud illicitum eſſe putat: quia partes ita diſpoſuerunt, proles non ſit incerta, nec educatio ceſſat, II. *de J. B. c.* 5. §. 15. Alibi vero, II. *c.* 20. §. 42. tem-

omne libidinis genus.

xuum inter ſe proclivitatem (*i*) à ſapientiſſimo Creatore inſtitutam, non ad inanem voluptatem ſatiandam: (quippe quæ unice ſpectata ſummam fœditatem & confuſionem in genere humano excitatura erat) ſed, tum ut eo jucundior inter conjuges eſſet converſatio, tum ut eo lubentius homines propagationi ſobolis operam darent ac moleſtias tolerarent, quæ iſtius ſuſceptionem atque educationem comitantur. Ex quo conſequitur, naturali legi repugnare omnem uſum membrorum genitalium, qui ab hiſce finibus abit. Quo nomine etiam vetita libido (*k*) in diverſam ſpeciem, aut eundem

porarium, quive facillime poſſit diſſolvi, jure divino voluntario, ſi non κατὰ ῥητὸν, ſaltem κατὰ διάνοιαν prohibitum cenſet, *Matth.* XIX. *vſ.* 5. 6. 1. *Cor.* VI. *vſ.* 9. quia omnis innuptus concubitus ſcortatio vocatur, *Hebr.* XIII. *vſ.* 4. Honeſtas quoque jubet, ab eo abſtineri, quia ſtatus imperfectus eſt, ſexum femineum vilipendit, familias extinguit, & temperantiæ adverſatur. Leo *Nov.* 91. ait: *deſipere, qui malint lutum, cum liceat puras ex fonte aquas haurire*, vid. Cl. Van der Muelen *de Jure poli p. I. qu.* 4. & ſcripta eriſtica Breithauptii, Jægeri, Stoltzii aliorumque adverſus Thomaſii *Diſp. de Concubinatu*, & quæ dixi ad Böckelmanni *Diff. Jur. Civ. & Can. c.* 27. Otto.

(*h*) *Circa hæc initio conſtat*] Primo igitur ex illo præcepto conſequi videtur, *libidinem*, ſeu *Venerem*, *inanem*, *jure Naturali prohiberi*, ceu Auctor *h.* contendit, add. *l.* VI. *c.* 1. §. 2 4. nam ex fine de moralitate medii videtur judicandum, hinc omnis uſus membrorum genitalium, qui *contra & præter* finem propagationis eſt, Jure Naturali prohibitus cenſeri debet, licet alii diſſentiant, vid. Thomaſ. *J. J. D. l. III. c.* 2. §. 21. *ſeqq.* Habet igitur voluptas, Veneri addita, rationem incitamenti vel præmii, quo homines ad moleſtam generis ſui propagationem eo magis permoveantur, quam adeo ſeorſim, ſine ſcopo principali, vel obtinendo vel obtento, expetere fas non eſt. Titius.

(*i*) *Sexuum inter ſe proclivitatem*] Illa proclivitas hominis & in anima & in corpore reſidet: in corpore eſt emotio ſanguinis & ſpirituum animalium, ut in brutis animantibus: in anima amor beſtiis plane incognitus, quo in benevolentiam cujusdam hominis alterius ſexus rapitur. Originem ejus, quam natura trahit, Plato ridicule *androgynorum* ſuorum hiſtoria delineare voluit in *convivio Ariſtophaniſque laudatione p. m.* 398. *T. II. opp a* Ficino *edit. Lugd.* 1550. Finem iſtius proclivitatis ſive propagationis rationem, ad quam tendit, non tantum epilepſiæ ſimilem dixit Democritus; vid. Menagium *in Laërtium lib.* IX. *n.* 43. *p.* 410. ſed illa nihil ineptius aut viro ſapiente indignius eſſe, nihil mentis celſitudinem turpius dejicere putarent Augustinus *ſolilequ. cap.* 10. Th. Brow. *relig. medici P. II. ſect. IX. p. m.* 397. Sadeurs *Neu-entdecktes Südland:* La Bourignon *dans ſa vie continuée p.* 315. Conf. Mr. Bayle *diction. T. I. tit.* Adam. *lit. G. & T.* 3. *lit.* Sadeur. *lit. E.* Treuer.

(*k*) *Vetita libido*] Omnis libido per

dem ſexum ruens; quævis fœdæ pollutiones, & denique omnis commixtio, ſive mutuo conſenſu ſuſcepta, ſive invitæ feminæ intentata, extra matrimonium (*l*).

J. N. & G. *l.* VI. *c.* I. §. 4.

OBLIGATIO AD CONTRAHENDUM MATRIMONIUM (*m*) con- III. Obligatio generis

per principia honeſti prohibetur, non per jus naturæ, & ejus ſpurcities ex iisdem cognoſcenda: quemadmodum BEVERLAND oſtendit, qui ſeculi, ut ipſe fatetur, deliciis ineſcatus in lubrica illa ſemita cecidit non ſemel, & ut publicum, quod dederat ſcriptis ſuis libidinoſis, ſcandalum tolleret, admonitionem edidit *de fornicatione cavenda*, *Londini* 1691. cui poſtmodum acceſſit Jo. BRANDII *deteſtatio nefandiſſimi ſceleris Onanitici graviſſima*. Vide & OSTERWALD *tr. contre l'impurité*. Contra nequiſſimæ libidinis fœditatem argumenta partim a pudore naturali, partim ab eo, quod membra contra naturam applicentur, nullius roboris eſſe oſtendit THOMASIUS *inſt. J. D. l. III. c.* 2. §. 152. *ſqq.* BAYLE *dict. hiſt. T. I. tit.* HIPPARCHIA not. D. Quibuſcum conferantur, quæ opponit HOCHSTETTERUS *coll. Puf. p.* 396. IDEM.

(*l*) *Extra matrimonium*]. Patet inprimis, omnes eas, ab Auctore ſupra memoratas, pollutiones, quæ a procreatione humanæ ſobolis toto genere abeunt, ut Naturæ inſtituto adverſantes, Jure naturali damnari: ſed ab homine inſuper Lex Socialitatis exigit, ut & naturalem Sexuum conjunctionem ad humanæ Societatis commodum attemperet: quod cum non tam in eo vertatur, ut in immenſum creſcat hominum numerus, quam ut hominum identidem naſcentium recte corpora & mentes efformentur, quo inſtructiores perſonæ in mundi theatrum prodeant; patet, non aliam eſſe honeſtam prolis generandæ rationem, quam quæ ad ejusdem generatæ idoneam formationem & educationem tendit: quem ad finem requiritur, inter eos qui proli generandæ dant operam, *Pactum matrimoniale*, conſtans articulis §. 4. *& ſeqq.* deſcribendis. CARMICH.

§. III. Bona eſt Auctoris diſtinctio, ſed in ejus explicatione tres confundit quæſtiones, *an*, *quomodo*, *& a quibus* genus humanum propagari debeat? Prima ex Dei intentione, per ſtimulos coëundi, homini inditos, declarata, ſatis aperta eſt. Seneca *Hippol. vſ.* 466. *Providit ille maximus mundi parens, cum tam rapaces cerneret fati manus, Ut damna ſemper ſobole repararet nova*, & *vſ.* 478. *Cælibem vitam probet ſterilis juventus, hoc erit, quidquid vides, unius ævi turba & in ſemet ruet. Proinde vitæ ſequere naturam ducem.* (2) Neceſſitas educationis quoque monſtrat, non per vagos concubitus, ſed pacto & ſocietate conjugiali circumſcriptos, propagationem eſſe faciendam. Unde communio uxorum Platonica & promiſcuus uxorum uſus, apud Nomades, Garamantas aliosque barbaros admiſſus, probari non poteſt. vid. Ariſtot. II. *Polit.* 2. Cæſar. V. *B. G. c.* 14. & Strabo *l.* XVI. (3) Singuli vero ad ineundum matrimonium non obligantur, uti Hebræi apud Seldenum *de J. N.* V. *c.* 3. ex ſolenni illo, *Creſcite & multiplicamini*, *Gen. I. vſ.* 38. collegerunt: non magis enim illa benedictio omnes obligat,

Digitized by Google

humani & ſingulorum ad contrahendum matrimonium.

conſiderari poteſt, vel in RESPECTU AD TOTUM GENUS HUMANUM, vel IN RESPECTU AD SINGULOS (*n*). ILLA in eo conſiſtit (*o*), quod propagatio ſpeciei humanæ haudquidquam ſit inſtituenda per vagos & ſolutos concubitus; ſed utique legibus connubialibus circumſcribenda, adeoque

gat, quam maledictio omnibus neceſſitatem non imponit, in ſudore faciei comedendi panem. Præterea jam ſupra *l.* I. *c* 1. §. 22. vidimus, omnia præcepta affirmativa commodam requirere occaſionem. Nec a paucis illis, qui uxores averſantur, interitus generi humano mutuendus eſt: præſertim ſi qualitas corporis, aut circumſtantiæ temporum illis cauſam præbeant, monente Paulo, 1 *Cor.* VII. *vſ.* 8. Denique Metellus uxorem *malum neceſſarium* appellavit, ſicut ſervum Ulpianus *domeſticum malum* appellavit, *l. un.* §. 5. *D. furti adv. naut.* Theophraſtus quoque, in libro *de Nuptiis*, negavit, viro ſapientiæ ſtudioſo uxorem eſſe ducendam, pluresque ſapientium liberis caruiſſe utilius duxerunt, quia Ἡρώων παῖδες λῶβαι: heroum filii ſunt noxæ. v. Spartian. *Sev. c.* 20. & Victor. *Cæſ. c.* 3. (4) Aliquando vero obligatio ducendi vel nubendi, per honeſtatis, decori & prudentiæ regulas, in illis, v. gr. qui donum caſtitatis non habent, vel in unico herede regiæ ſtirpis, intenditur. Per leges etiam civiles aliquando, ut populoſa ſit reſpublica, ſterilibus & cælibibus pœnæ imponuntur. Hinc ἀγαμίου δίκη: apud Athenienſes, & ὀψιγαμίου δίκη, apud Lacedæmonios, auctore Stobæo, *Serm.* 73. Romæ *uxorium* & *viduvium* pendebatur; eaque de re lex maritalis, Julia & Papia lata eſt, quam erudite Jacobus Gothofredus & curatius Ill. Heineccius explicarunt. Ambroſ. in *Lucæ c.* 3. *Erat deforme liberos non habere, quod etiam legum civilium fuit auctoritate mulctatum.* De Hageſtolziis, qui in cælibatu conſenuerunt, in terris Brunsvicenſibus & Palatinis, teſtamenti factionem non habentibus, Schottelius *de Ant. Germ. jur. c.* 1. nec non Ill. Ludewigii & Pauli Kreſſii *Diſſertationes* inter ſe pugnantes videantur. OTTO.

(*m*) *Obligatio ad contrahendum matrimonium*]. Porro ex præcepto præſuppoſito judicandum, *an* & *quomodo* homines genus ſuum propagare debeant. Circa primam quæſtionem recte quidem Auctor monet, quod illa vel *in reſpectu ad totum genus humanum*, vel *ſingulos* conſiderari poſſit, ſed dum eam, juxta primum reſpectum, decidere vult, quæſtionem *an* & *quomodo* confundit, ſeu ab illa ad hanc delabitur. TITIUS.

(*n*) *Ad ſingulos*]. Aut ſi mavis, ita rem accipe. Speciem humanam eſſe propagandam, ſupponitur: ejus propagationem non eſſe inſtituendam per vagos & ſolutos concubitus, ſed Legibus connubialibus circumſcribendam, hic docetur; & ex ſingulorum articulorum, de quibus pacto matrimoniali caveri oportet, ſpecialiore conſideratione. luculentius infra oſtenditur. Hinc oritur *Matrimonii* contrahendi obligatio, tum *conditionata*, ſingulis incumbens, ex hypotheſi quod proli generandæ operam velint dare; tum *abſoluta*, qua ii demum tenentur, in quibus concurrunt circumſtantiæ in poſteriore hujus §. parte memoratæ. CARMICH.

(*o*) *Illa in eo conſiſtit*]. Hæc a ſcopo abludere, jam dixi, hoc potius quærebatur: *An homines genus ſuum propagare debeant*? Quod dubio procul aſſerendum, nam alias genus

Digitized by Google

que per matrimonium duntaxat exercenda: citra hoc enim decora & bene diſpoſita inter homines ſocietas, vitæque civilis cultus intelligi nequit. Singuli autem (*p*) ad matrimonium ineundum tenentur, quando commoda ſeſe ejus occaſio offert: quam tamen non ſola ætas generandique facultas abſolvit; ſed ut copia quoque ſit decentis conditionis, nec non facultas alendi uxorem & prolem naſcituram: ac ut mas quoque ſit idoneus ad gerendam perſonam patrisfamilias. Niſi tamen aliquis compoſitus ſit ad exigendum caſtum cælibatum, ſentiatque, plus ſe utilitatis poſſe procurare humano generi, aut civitati cælibem, quam uxoratum; præſertim ubi nulla prolis penuria ſit metuenda (*q*).

J. N. & G. *l.* VI. *c.* I. §. 5—7.

Inter

genus humanum, contra finem, a Deo intentum, interiret, nec etiam hac in parte ulla ſubeſt difficultas aut ſcriptorum diſſenſus, add. *d. l.* VI. *c.* 1. §. 3. De altera vero quæſtione, *Quomodo propagatio facienda ſit?* quam Auctor hic intempeſtive immiſcuit, mox dicemus. Titius.

(*p*) *Singuli autem*]. In quantum ſinguli ad generis ſui propagationem teneantur, ſatis hic exponitur, quæ etiam ex fine, a Deo intento, eique ſurrogato præcepto, antea relato, facile deduci poſſunt; aliquando obligatio propagandi, pro ratione ſtatus, in hoc vel illo intenditur, add. *l.* VI. *c.* 1. §. 6. 7. 8. Thomaſ. *J. J. D. l. III. c.* 3. §. 9. *ſqq* Idem.

(*q*) *Nulla prolis penuria ſit metuenda*]. Jure naturali nemo præceptive obligatur ad matrimonium ineundum; ſed jus tantum conceditur homini, ut poſſit legitimo modo ſobolem procreare: hominis ergo arbitrio relinquitur, an velit jure ſuo uti, vel in cælibatu vivere. Secundum honeſtatis tamen, decori & prudentiæ regulas varie obligari poteſt homo poſitis his vel illis circumſtantiis, ut matrimonio ſe ſubjiciat. Beyerus quidem *delin. J. N. c.* 26. §. 9. 10. *p.* 161. obligationem aliquam ex fundamento juris naturalis ſocialitate derivari putat. *Scilicet tot*, inquit, *homines procreati ſunt, quorum auxiliis utor: ergo viciſſim procreanda ſoboles, quæ aliis utilis eſſe poſſit. Uti vero omnia officia adfirmativa requirunt occaſionem agendi: ita potiſſimum matrimonium. Nam ut ſoboles proximo meo commodo generetur, requiritur prudentia educandi, & opes tolerandis matrimonii oneribus ſufficientes: alias vel mendicos, vel maleficos reipublicæ darem, quales non proſunt, ſed nocent: & ubi proximo majora commoda ex cælibatu meo proveniunt per matrimonium impedienda; ibi ille præ hoc eligendus.* Ipſe tamen hæc ad humanitatis officia refert paullo poſt adjiciens; *Omnium vero horum determinatio dependet a ſolo agente:*

unde

Digitized by Google

IV. Pacti conjugalis perfecti capita præcipua.

Inter eos, qui matrimonium (r) inituri ſunt, intervenire ſolet & debet PACTUM (s), quod ubi RE-

unde ſequitur, neminem ad matrimonium cogi poſſe; ſicut nec ad reliqua humanitatis officia. Pleraque, quæ ab auctore in hoc §. adferuntur, non ad jus naturæ, ſed ad decorum pertinent. Treuer.

§. IV. Jure naturæ nuptias conciliat affectus, perficit conſenſus, concubitus conſummat; ſolennes ritus aliaque jus civile requirit. An vero ſponſus ſponſam, an hæc illum ambire debeat, neutro jure ad eſſentialia hujus pacti capita pertinet, ſed prius ex regulis decori fluxit. Hinc honeſtum habebatur, filiam, quaſi invitam, e ſinu matris rapi; & pater, frater vel tutor ſpondebat ſponſam, Gellius IV. 4. Heroides vero, earumve parentes, nuptias virorum ſæpe rogarunt. vid. Servium ad Virgil. VII. *Æneid. vſ.* 268. Generale igitur Conjugum officium (1) eſt *Mutua caſtitas*, qua ſine procreatio ſobolis recte & ordine peragi nequit: plus vero hac in re marito, quam uxori, indulſerunt Hebræi, Græci & Romani; quia uxor injuriam violati lecti non patiebatur, cujus domina non erat. Sed *aliæ ſunt leges Cæſarum, aliæ Chriſti: aliud Papinianus, aliud Paullus noſter præcipit*, ait Hieron. *ad Ocean.* reſpiciens ad Papin. libros de Adulteriis, ex quibus eſt *l. 6. D. ad L. Jul. de adul.* (2) *Promiſcua cohabitatio* requiritur; ut uterque de alterius caſtitate ſit certior, & liberorum educationi una incumbat; præcipue vero quia ambo, figura & numero diſtincti, unam conſenſu, vita & moribus conſtituere debent perſonam, & *duo eſſe in carne una*, *Matth.* XIX. *vſ.* 5 *Marc.* X. *vſ.* 7. Hinc JCti aliique ſapientes eos divini & humani juris, proſperæ & adverſæ fortunæ conſortes appellarunt, *l.* 1. *D. de rit. nupt. l.* 4. *C. de crim. expil. her.* Liv. I. *c.* 9. & Tacit. III. *Ann.* 15.

(3) Jure naturæ ſocietas conjugum æqualis, vel, ut Ariſtoteles I. *Polit.* 8. ait, ariſtocratica eſſe videtur, neque ex imbecillitate aut imprudentia ſexus feminini jus imperandi derivari poteſt. Ideoque vir iis rebus præeſt, quæ dignæ ſunt viro, quæ autem feminam decent, illi tribuendæ videntur. Huc vetus referri poteſt formula: *Ubi tu Cajus, ibi ego Caja*, quodque conjuges *compares* dicuntur, apud Gruter. *Inſcript. p.* 741. *n.* 1. 793. *n.* 9. & 804. *n.* 1. Sed quia in omni ſocietate directione opus eſt, & in nonnullis negotiis dubium eſt, quænam viri aut uxoris ſint, quinimo mas natura magis aptus ad regendum, quam femina; ipſaque uxor maritum, vel ſola corporis forma & robore, ad ſui tutelam, curam bonorum, ad laborem & negotia foris obeunda perfectiorem agnoſcit; hinc ultro ſeſe ei, tanquam digniori & ad communem familiam regendam prudentiori, in rebus conjugii & familiæ, cujus pars eſt, ſubjicit: ut adeo imperium mariti ex conſenſu & lege civili, maxime vero eccleſiaſtica, apud Judæos & Chriſtianos, ex *Gen.* III. *vſ.* 16. XVIII. *vſ.* 12. 1 *Corinth.* XI. *vſ.* 7. & 1 *Petri* III. *vſ.* 6. derivari debeat. Sic Attici paſſim *κύριον* ponunt pro marito, & Papinianus eundem abſolute *dominum* vocat, *l.* 25. *D. de uſu & uſufr. leg.* An vero uxor dotata in pactis dotalibus ſtipulari poſſit, ut auctoritas maritalis ceſſet, vid. Bodin. I. *de Rep* 3. & Huber. *ad tit. D. de pactis dot n.* 4. Quid ſi maritus ſit durus Nabal, & malis actionibus deditus, uxor autem præſtante mente Abigail? 1 *Sam.* XXV. *vſ.* 3. & 25. Otto.

(*r*) *Inter eos, qui matrimonium*]. Poſtea etiam quæritur: *Quomodo homines genus ſuum propagare debeant?* Non per vagos & ſolutos con-

Digitized by Google

REGULARE & PERFECTUM fuerit, hiſce capitibus abſolvitur. Primo, quia vir (*t*), (abs quo ut contractus (*v*) incipiat, utriusque ſexus indoli magis congruit,) propriam utique ſibi (*x*) ſobolem intendit quærere, non ſuppoſititiam, aut adulterinam, igitur FIDEM DARE VIRO DEBET FEMINA, quod

concubitus, ceu recte Auctor §. 3. *b.* dixit, ſed pacto & ſocietate conjugali circumſcriptos, §. 4. *b.* add. *l.* VI. *c.* 1. §. 5. nam belluina illa propagandi ratio nec naturæ propagantium rationali & ſociali convenit, nec ſobolem natam, ad Legis Naturalis obſervantiam, reddit aptam; hinc merito Jure Naturali prohibita cenſetur. Titius.

(*s*) *Intervenire ſolet & debet pactum*]. Vel potius inter eos, qui corpora rite miſcere velint, requiritur *Matrimonium*: quo nomine intelligitur, vel pactum hic deſcribendum, vel ſocietas potius ex eo pacto reſultans. Quibus equidem articulis *Pactum matrimoniale*, juxta merum naturæ jus, conſtare debeat, non æque convenit apud omnes: nec ulla in parte, Juris naturalis dictamina, longius infra Chriſtianam morum diſciplinam, videntur plerisque ſubſiſtere, quam in re connubiali. At forte non adeo latum videbitur hoc diſcrimen, ſi quis rite perpenderit, ex ipſa rerum natura conſtare, non aliter humanum genus eſſe propagandum, quam ſub iſtis legibus, ſeu conditionibus, quæ naturæ propagantium rationali & ſociali conveniunt, quibusque ſobolem naſcituram ad juris naturalis obſervantiam recte formatum iri eſt veriſimile; de his itaque conditionibus pacto matrimoniali eſſe cavendum. Quæ vero eæ ſint, *b. & ſeqq.* §§. oſtenditur. Carmich.

(*t*) *Primo quia vir*]. Sic ergo, ex præſcripto Juris Naturalis, futuram propagationem antecedere debet pactum, quo ſobolem propagaturi in arctiorem quandam ſocietatem conjungantur. Hoc pactum, uti cum aliis id habet commune, quod verus ad illud requiratur conſenſus, (de quo *l. I c.* 9. *b* generaliter actum, confer *l.* VI. *c.* 1. §. 26. Thomaſ. *J. J. D. l. III. c.* 2. §. 87. *ſeqq.*) ita quæ ejus capita eſſentialia ſint, ad quæ ſcilicet conſtituenda, Jus Naturale, ex hypotheſi pacti ineundi, antecedenter obliget, hic inquirendum eſt. Titius.

(*v*) *Abs quo ut contractus*] Hoc ad eſſentialia capita non pertinet, ſed conſuetudinis & ſolennitatis eſt, add. *l.* VI. *c.* 1. §. 9. 10. Eſt igitur (1) Caput eſſentiale, *Quo conjuges corporum conjunctionem ſibi mutuo promittunt*, nam ſine hoc finis intentus obtineri nequit, atque de hoc nullum etiam eſt dubium. Idem.

(*x*) *Propriam utique ſibi*] Porro (2) *Quo fœmina ſoli marito uſuram corporis pollicetur*, id quod non tantum ex *affectu mariti*, quem Auctor hic urget, ſed & *præſcripto Juris Naturalis antecedente* fieri debet. An vero, vice verſa, maritus idem fœminæ promittere debeat, quæſtionis magis dubiæ eſt, ſed utrumque ad §. 5. *b.* diſtinctius paululum expediemus. Idem.

Imo uterque, ſive a viro ſive a fœmina contractus incipiat, propriam ſibi ſobolem quærere eſt cenſendus; utrique ſaltem ejus conſervandæ & educandæ cura incumbit; eaque amborum Parentum, ut infra notatur, conjunctas requirit operas. Carmich.

quod nemini, præterquam ipſi, corporis ſui uſuram velit concedere (*y*). Quod itidem A MARITO FEMINA VICISSIM ſolet ſtipulari. DEINDE, cum nihil magis (*z*) ab indole vitæ ſocialis & civilis abhorreat, quam vita vaga ac deſultoria, incerto lare, nulla fortunarum ſede; cumque communis ſobolis educatio commodiſſime inſtituatur conjunctis utriusque parentis operis: ac cohabitatio continua plurimum contineat jucunditatis inter conjuges bene compoſitos, per quam etiam marito certius de caſtitate uxoris conſtare poteſt; igitur in id quoque fidem marito dat uxor, quod VIRO CONTINUO COHABITARE, adeoque in arctiſſimam vitæ ſocietatem, eandemque familiam cum ipſo coaleſcere

(*y*) *Velit concedere*]. Quo Pater, vere paterno affectu, paterno erga prolem fungatur officio, neceſſe eſt genuinam ſuam prolem noverit; atque hunc in finem, mulierem tantiſper ſaltem ſibi propriam & peculiarem habeat. Hanc porro ob cauſam, tum præcipue ob communis prolis educationem, debent, qui corpora mutuo conjungunt, in eandem familiam concedere, eosdemque habere lares, a primo usque congreſſu, ſaltem quamdiu communes liberi ſunt educandi: de ulteriore enim hujus vinculi duratione, infra diſpicietur. Quemadmodum vero hujus ſocietatis indoli manifeſte adverſatur, ut mulier, ea durante, aliis ſe adjungat viris; ita eidem non minus congruit continuatus inter conjuges corporum uſus; præſertim, cum mulier plures partus ſucceſſive poſſit edere, priusquam primus ad maturam ætatem ſit perductus, ut ſibi ipſe queat conſulere. Confer *Lock. Tract. Poſt. de Imperio*, §. 78. 79. 80. Hactenus igitur intelligimus, *Pacto matrimoniali*, ipſo naturæ jure, ineſſe debere *mutuum promiſſum de cohabitatione in eadem familia, eousque ſaltem continuanda, quoad futuræ proli debita cura exegerit; deque mutuo corporum uſu per illud tempus præbendo*; nec non *promiſſum Mulieris, quod nemini præterquam illi viro corporis ſui copiam ſit factura*. Utrum vero ad juſtum naturali jure matrimonium pertineat, ut vir etiam nullius alterius fœminæ conſuetudine uſurum ſe promittat, dicetur ad §. *ſeq.* IDEM.

(*z*) *Deinde cum nihil magis*]. Denique (3) *Quo fœmina viro cohabitationem continuam promittit*, quod præcedens conſequitur, add. *d. c.* 1. §. 10. Tria hæc capita, per præceptum, a nobis, ſupra §. 1. lit. (*g*). præſuppoſitum, requiri omnino videntur; hinc ſi promiſſio accedat, duplici vinculo conjuges obſtringuntur: interim alii ex ſuis hypotheſibus diſſentiunt, ac duo poſteriora capita eſſentialia negant, vid. Thomaſ. *J. J. D. l. III. c.* 2. §. 100. *ſeqq.* ſed quamdiu principium, antea præmiſſum, ſubſiſtit, tamdiu de concluſionibus, hic allatis, non deſpero. TITIUS.

(*a*)

re velit (*a*). Cui ipſi & mutua promiſſio de tali invicem converſatione, qualem indoles ejus ſocietatis requirit, ineſſe intelligitur. Quia autem non ſolum (*b*) naturali utriusque ſexus conditioni maxime congruit, ut in matrimonio viri conditio ſit potior, ſed & maritus familiæ, a ſe utique conſtitutæ, caput ſit (*c*); conſequitur, ut uxor in negotiis, matrimonium ac familiam concernentibus, directioni mariti ſit obnoxia (*d*). Inde & mariti eſt, de

(*a*) *Coaleſcere velit*]. Ex quibus omnibus manifeſtum eſt, nihil hic deprehendi in pacto conjugali, quod ſanctitatis ideam involvat; ſed matrimonium eſſe actum mere humanum, & quæ ad res ſacras idem refert, ſententiam ex Pontificiorum doctrina emanaſſe: uti uberius hoc exponunt ODELEMUS *diſſ. ſub præſidio J. S.* STRYCKII *Halæ hab. de reliquiis ſacramenti in matrimonialibus*: BOEHMERUS *not. ad Schilter. p.* 270. THOMASIUS *diſſ. de uſu practico tit. Inſtit. de nuptiis c.* 2. §. 9. *lit. m.* & *not. ad Lancellottum p.* 783. 792. PUFEND. *von der geiſtlichen Monarchie des Stuhls zu Rom* §. 13. TREUER.

(*b*) *Quia autem non ſolum*]. Imperium proprie dictum conjugalis ſocietas non requirit, directio tamen ut ſit penes conjugem prudentiorem, id naturale eſt, cumque ut plurimum ſexus maſculinus fœminino animi & corporis robore præſtet, hinc, hoc ſenſu, directio marito tribuitur. TITIUS.

(*c*) *Caput ſit*]. Cum conjuges in unam familiam coaleſcant, atque adeo unum quaſi morale corpus conſtituant; neceſſe eſt uni illud ſubeſſe directioni: quod aliter fieri non poteſt inter duos, quam ſi voluntas unius, in rebus ad communis familiæ adminiſtrationem ſpectantibus, alterius voluntati ſubjiciatur: hæc autem ſubjectio, ſepoſitis Legibus poſitivis, non aliter quam ipſorum conjugum conventione poteſt conſtitui: de cujus conventionis tenore, nihil aliud jure naturali videtur definitum, quam ut (demptis Legibus & Moribus) conjugi prudentiori familiæ poteſtas deferatur. Cum interim viro hanc prærogativam omnium ſeculorum & gentium uſus tribuerit; etiam illi, qui in libertate naturali matrimonium contraherent, ſi vel maxime Divinam Legem (ex qua uniformis ille uſus videtur fluxiſſe) ignorarent, haud ſatis decore in aliam conditionem conſentirent. CARMICH.

(*d*) *Directioni mariti ſit obnoxia*] Imperium mariti in uxorem non eſſe juris naturæ ſatis oſtendit THOMASIUS *inſtit. J. D. l. III. c.* 2. §. 105. *ſqq. diſſ. de crimine bigamiæ* §. 33. Paciſcentes enim ſunt æquales, nec ulli eorum ex alterius imbecillitate, imprudentia, moribus incultis &c. naſcitur jus eidem imperandi & obſequium ab eo poſtulandi. PROELEUS quidem *Grund-Sätze des Natur-Rechts P. III. c.* 30. *p.* 68. *ſqq.* imperium conjugale illi conjugi adjudicat, qui majoribus ingenii & judicii viribus polleret: nam omni rationi putat adverſari, hominem abſurdum & inſipientem ſapienti imperare debere. At vero hæc ſapientia jus tantum imperfectum conſtituit, & nil aliud innuit, quam ſapientem aptum eſſe ad imperium; non autem jure perfecto id ſibi adſumere poſſe demonſtrat. Infinitæ exinde lites eſſent exorituræ inter liberos ſapientiores & parentes ſimpli-

de domicilio conſtituere; nec uxor, iſto invito, peregre abire aut ſecubare poteſt. Tale tamen imperium (*e*), quod jus vitæ & necis, gravemque coërcitionem, nec non plenam poteſtatem circa quævis bona uxoris diſponendi, comprehendat, ad eſſentiam matrimonii neceſſarium non videtur: ſed iſtud ex peculiaribus pactis inter conjuges, aut ex legibus civilibus alicubi conſtituitur.

J. N. & G. *l.* VI. *c.* I. §. 10–13.

Porro

pliciores; nec ulla ſecuritas publica exſtitura, ſi ſapientia, de qua quilibet facile perſuaſus eſſe ſolet, nec alterius arbitrio deciſionem relinquit, jus perfectum ad imperium inferendum & poſcendum ſuppeditaret. Quare non video, quomodo Hochstetterus imperium maritale ex conſenſu conſociationis deducere velit: conſenſus enim in ſe conſideratus mutuus eſt, & nihil inæqualitatis includit; quum uterque conjugum promittat de corpore ſibi invicem præbendo. Id tantum exinde ſequitur, juri naturæ non repugnare, ut alter conjugum, & quidem femina æque, ac mas, per conſenſum conſociationis ſibi imperium conjugale adquirere poſſit. Idcirco male Bodinus *l. I. de republ. c.* 3. contendit: ſi aliquis in contrahendis nuptiis mediante juramento feminæ imperandi poteſtatem promiſiſſet; pactum illud ſervandum non eſſe: nil enim obſtat, quo minus fides ſervanda ſit in pacto, cui nullum vitium ineſſe deprehenditur. Nec ad ſexuum prærogativam & præſtantiam hic provocare integrum erit: quæ nihil evinceret, quam ſolam aptitudinem ſubeundi imperii: licet vel maxime adhuc dubium ſit, an natura ejusmodi prærogativam ſtabiliverit? multi enim jam oſtenderunt, feminarum imperfectiones ab educationis neglectu, conſuetudine vitæ ſolitariæ &c. pendere. Vid. Henrici Cornelii Agrippæ *decl. de nobilitate & præcellentia feminei ſexus opp. T. II. p.* 377. ubi tamen multa præcellentiæ argumenta parum firma adducuntur. Felicius materiam petractat & accuratius *de la* Barre *tr. de l'égalité de deux ſexes*: Bellegarde *lettres curieuſes de litterature & de morale lett. IV.* Cleantis *apologie de la ſcience des dames a Lion* 1662. 12. Alium quidem Fechtius *theſ. moral. P. I.* §. 4. characterem adducit imperii matrimonialis, adſerens, hodierna virorum, & vaſta quidem ac terribilia capillamenta, & feminarum noſtrarum non mitris, ſed turribus, innumeris faſciarum fimbriis bene comtis munitisque, onuſta capita adſcendentem earum ſupra viros poteſtatem citra dubium arguere: ſed ingenio luſiſſe tunc temporis videtur Vir ſumme reverendus. Treuer.

(*e*) *Tale tamen imperium*]. Hoc mero Jure Naturali merito negatur, vid. *d. l.* VI. *c.* I. §. 9. 10. 11. 12. 13. de Jure tamen divino poſitivo univerſali aliquod imperium marito tribui ſolet, vid. Thomaſ. *J. J. D. l. III. c.* 3. §. 35. *ſeqq.* ſed forte hoc nomine nihil aliud innuitur, quam directio, ex præſtantia ſexus reſultans. Illud certum nobis videtur, quod imperium iſtud non involvat poteſtatem pro lubitu uxorem inſultandi,

Porro uti illud manifeſte (*f*) legi naturali repugnat, UNAM MULIEREM PLURIBUS VIRIS SIMUL coha- V. Matrimonium unius cum

tandi, aut eam, ob delictum, per judicii modum, coercendi, nam ſi uxor, ob convitia aliasque injurias, marito illatas, ab eodem male habeatur, id jure belli fit, ac ex communi defenſionis jure reſultat, nec ſpecialem permiſſionem præſupponit. Titius.

§. V. Tres Polygamiæ ſpecies ſunt diſtinguendæ: (1) *Polyandria* multorum maritorum juri naturali adverſatur, nulloque modo eſt toleranda; quia impedit propagationem generis humani, patrem ſobolis facit incertum, ipſaque virorum natura ab ea abhorret. Forſan etiam ad fabulas Mileſias referendum eſt, quod matronæ Romanæ oraſſe dicuntur, *una potius ut duobus nupta fieret, quam ut uni duæ*, apud Gell. I. 23. (2) De *Polygamia* multarum uxorum a temporibus Philippi, Haſſiæ Landgravii, acerrime diſputatum eſt. Ejus patrocinium primo Bernardinus Ochinus *in Dial.* dein Joh. Lyſerus, concionator caſtrenſis apud Danos, ſub nomine Theophili Alethæi, in *Polygamia triumphatrice*, ſuſceperunt; de quorum fatis Bayle, in *Ochin.* & *Lyſer*, nec non *Obſ. Halenſ. t. V. O.* 1. videantur. Beza vero, Gerhardus, Muſæus, Brunsmannus, Heideggerus, Brouwerus, *de Jure connub. II.* 5. Titius *in Diſſ. de Polygamia, inceſt. & divort.* & Hochſtetter. *Colleg. Pufendorf. Exerc. IX.* §. 12. jure naturali Polygamiam permitti negarunt. Noſter *Op. maj.* VI. *c.* 1. §. 16. utrorumque rationibus enumeratis, judicium Lectori relinquit, ut tamen monogamiam Polygamiæ præferat. (*β*) At vero, deficiente pacto, quo maritus facultatem ſuam in uxorem tranſtulit, de quo ſupra I. *c.* 9. §. 19. Polygamia ſocialitatem non turbare aut deſtruere, ſed eam, pariter ac procreationem ſobolis, promovere videtur, quia mas potentia coëundi cum pluribus eſt inſtructus. Hinc contraria Grotii II. *c.* 5. §. 9. Pufend. *Elem. II.* §. 7. Thomaſii *Juriſpr. div. III. c.* 2. §. 200. & Gribneri *Princip. Juriſpr. nat. I. c.* 8. §. 5. ſententia eſt, Polygamiam jure naturæ vetitam non eſſe, quia Deus eam non modo in Patriarchis & viris ſanctis toleravit, ſed & leges dedit his, qui plures haberent, *Deut.* XXI. *vſ.* 15. XVII. *vſ.* 16. 17. 2 *Sam.* XII. *vſ.* 8. quæ & Judæis in uſu, donec a Theodoſio, Arcadio & Honorio vetarentur, *l.* 7. *C. de Judæis. Nec contra naturam hoc faciebant, cum non laſciviendi cauſa, nec gignendi contra præceptum, pluribus fœminis uterentur, quod nulla lege erat prohibitum*, ait Auguſtinus in libro *de Virgin.* Præterea, ſi conſenſio gentium jus naturæ eſt putanda, gentes Orientales, ſub climate calidiore, eam fere omnes, ut & hodie Turcæ, Syri, Perſæ & Thraces, tanquam honeſtam, probarunt. De Ægyptiis Diodor. Sicul. I. 80. de Judæis Joſeph. XVII. 1. de Græcis Gellius XV. 20. De Perſis, Getulis, Africanis aliisque Rad. Fornerius VI. *rer. quot.* 22. Faber II. *Sem.* 1. Barth. *ad Statii Theb. IV. vſ.* 279. Romæ M. Antonius primus duas habuit uxores, auctore Plut. *ej. vit. in fin.* Cæſar quoque, ad rempublicam, bellis civilibus exhauſtam, reparandam, Romæ legem habuit paratam, ut quot quisque vellet, ducere liceret, Sueton. 52. & Valentinianus ſenior, captus amore Juſtinæ, ut bigamus eſſe poſſet, duas habere uxores lege permiſiſſe fertur apud Socratem IV. *hiſt. eccleſ.* 31. ſed quia nulla hujus legis alibi fit mentio, & Zoſimus Juſtinam, mortua uxore Severa, demum adſcitam, ait, ideo Baronius *Ann. A.* 370. Valeſ. *ad. d. c.* 31. Selden. *ux. hebr. I.* 9. S. Basnage *Ann. A.* 375. & Binghamus *orig. eccl.* XVI. *c.* 11.

Digitized by Google

una præſtantiſſimum.

cohabitare: ita ut UNUS SIMUL DUAS (*g*) PLURESVE UXORES habeat, apud plurimas gentes, & in ipſo quondam Judaico populo receptum (*h*). Nihilo-

§. 5. hanc narrationem ad fabulas retulere. (γ) Ex Chriſti vero & Apoſtolorum doctrina, & praxi primorum Chriſtianorum Polygynia improbatur, 1 *Cor.* VII. *vſ.* 2. & 4. Euſeb. *Præpar. Evangel.* VI. 10. licet conſentiat uxor; quicquid Hoppius cum Struvio in contrarium diſputarint *ad* §. 6. *Inſt. de Nupt.* (δ) Magis certe honeſta atque decora eſt monogamia, quia convenit archetypo matrimonio arctæque conjunctioni conjugali, ſervat ſexui feminino honorem, vitat rixas uxorum, liberis majorem conciliat amorem, exſtinguit uſtiones, facilem reddit educationem, & imitatur naturam, quæ tot fere feminas, quot viros producit. Atque ideo Cecrops Athenis Polygamiam vetuit, teſte Athen. XIII. *pr.* & Romani Polygamos infamia & pœna adulterii mulctarunt, *l.* 1. & 13. *D. de his qui not. l.* 2. *C. de inceſt. nupt* & *l.* 18. *C. ad L. Jul. de adult.* (3) Ut *Polygamia ſucceſſiva* licita habeatur, & ratio, & ſacri humanique juris auctoritas ſuadet, 1 *Cor.* VII. *vſ.* 39. 1 *Tim.* V. *vſ.* 14. *tit. C. de ſec. nupt.* quia morte ſolvitur ſocietas; ſi vero liberi adeſſent, univiræ magis laudatæ, & multorum matrimoniorum experientia, quaſi *legitimæ cujusdam intemperantiæ* ſignum, viſa fuit Romanis, Val. Max. II. *c.* 1. *n.* 3. unde Pontifici Maximo apud eos nuptias non iterare, ſicut nec apud Hebræos eidem viduam ducere licuit, *Levit.* XXI. *vſ.* 13. Nimis rigide vero Patres, in Jure Canonico, & Leo, *Nov.* 90. omnes promiſcue ſecundas nuptias, ut fornicationem & adulterium, inſectantur. vid Cotelerius ad Hermam & Auctorem Conſtit. *pag.* 87. & 275. quæque notavi ad Böckelmann. *Diff. jur. civ. & can. c.* 25. §. 32. Otto.

(*f*) *Porro uti illud manifeſte*]. De ſecundo pacti matrimonialis capite, quod ſupra §. 4. lit. (*x*). laudavimus, paulo diſtinctius hic agendum. Quærebatur ſcilicet, *an conjuges ſibi ſolis uſuram corporis promittere debeant?* Quæ quæſtio etiam ſic proponi poteſt, *an polygamia ſit prohibita?* Nam de Venere vaga & ſoluta, a conjugibus exercenda, non opus eſt quærere, cum ea in genere Jure Naturali ſit prohibita, ſeu ſupra §. 2. lit. (*b*). & §. 4. lit. (*r*). adſtruximus.

1. Auctor igitur cenſet, *polyandriam* Jure Naturali eſſe prohibitam, add. *d. c.* 1. §. 15. Quod probamus, nam hujus conjunctionis nullus legitimus finis allegari poteſt, ſed fit, vel ob ſolam libidinem, vel propagationem impedit, vel incertam ſobolem dat, ac in univerſum a natura hominis rationali & ſociali abhorret, corruptiſſimosque mores præſupponit. Titius.

(*g*) *Ita ut unus ſimul duas*]. De *polygynia* nota eſt controverſia, dum eam nonnulli non tantum licitam, ſed & præceptam pronunciant. Quod illa multis gentibus in uſu fuerit, imo adhuc ſit, hic recte aſſeritur, ampliusque *d. c.* 1. §. 16. illuſtratur; ſed inde ſolum patet, quid fiat, non, quid fieri debeat. Idem.

(*h*) *In ipſo quondam Judaico populo receptum*]. De habitu polyandriæ & polygamiæ, ad pacem externam ſi diſpiciamus, non deprehendimus, haſce ſpecies matrimonii per ſe pacis naturam turbare: nec in meditatione ejus, quod naturaliter juſtum eſt, ſtatim præcepti alicujus conſcii ſumus, marem unum uni feminæ tantum eſſe jungendum; inprimis quum cognoſcamus, ſecuritatem externam alicujus hominis ſubſiſtere poſſe, licet vel pluribus feminis, vel pluribus viris, vel uni tantum homini

hilominus ſi vel maxime (*i*) a primæva matrimonii inſtitutione in divinis literis tradita abſtrahamus; ex ipſa tamen recta ratione conſtat (*k*), lon-

ni ſolus, vel conjunctim cum aliis ſociatus eſſe intelligatur. Nec obſtant iſtæ lites, diſcordiæ, moleſtiæ, quæ ex ejusmodi ſtatibus reſultare nobis videntur: ulterius enim rem inveſtigantibus apparet, ea incommoda per accidens obvenire, & ſtatus illos ſine talibus moleſtiis commodiſſime exiſtere poſſe: quare colligimus, conjugia iſtiusmodi jure naturæ eſſe permiſſa, ideoque etiam ab aliis juribus humanis ac divinis reſtringi & circumſcribi poſſe: quod etiam factum eſſe & quotidie fieri, ne quidem ignariſſimum latebit. Quæ quum ita ſint, non opus eſt, ut in emaculanda *patriarcharum* polygamia anxie deſudemus, & ad inadæquatas ac iniquas, ne quid acerbius dicam, excuſationes cum nonnullis Theologis dilabamur, *quod nimius patriarcharum ad maturandam Meſſiæ nativitatem zelus rem alias per ſe illicitam fecerit quodammodo excuſatam:* quæ ſententia eſt Jægeri *obſerv. ad Grot. p.* 106. Danhaveri *theol. conſc. P. II. ſect.* 2. *A.* 5. *p.* 791. Sane ſi polygamia ſit contra jus naturæ, uti illi adſtruunt, impium erit, crimine aliquo voluiſſe maturare adventum Meſſiæ: quæ intentio ad fornicationem facile applicabilis adgravat magis, poſita illa hypotheſi, delictum patriarcharum, quam ut excuſandi ſubſternat argumentum. Nec locum hic inveniet diſpenſatio, ad quam Jægerus l. c. & alii provocant: ipſe enim paſſim adfirmat, diſpenſationem in lege naturæ locum non habere: quomodo ergo in polygamia, quæ contra jus naturæ ab eo eſſe dicitur, ſtatuenda erit? Optandum profecto eſſet, ut tandem quieſcerent ſcripta tot eriſtica circa hanc materiam: cujus non tantum controverſia, monente Kulpisio, parum utilitatis habet; quod de ejus, quod tot juribus interdictum eſt, licentia fruſtra disputetur: ſed etiam maxima ejus pars ad logomachias circa terminum juris naturæ referenda. Scriptorum hac de re numeroſum catalogum exhibent ſcripta, quæ a Willembergio & ejus adverſariis edita ſunt, præſertim Stoltz de quæſt. *an concubinatus ſit tolerabilior polygamia? Lubben.* 1715. 4. *pag.* 4. *ſeq.* Treuer.

(*i*) *Nihilominus ſi vel maxime*]. Communior eſt ſententia, quod, extra caſum ſpecialis pacti, polygynia Jure Naturali ſit licita, vid. *d. c.* 1. §. 17. 18. Thomaſ. *J. J. D. l. III. c.* 2. § 200. *ſeqq.* prohibeatur tamen jure divino poſitivo univerſali, quod ejusdem cum Jure Naturali ſit auctoritatis & effectus, vid. Thomaſ. *d. tr. l. III. c.* 3. §. 76. *ſeqq.* Hanc ſententiam ejusque fundamentum Auctor hic innuit egoque ipſam etiam approbavi in *Specim. Jur. Eccleſ. l. IV. c.* 2. §. 7.

2. De cætero, in aſſerenda illa prohibitione, ob defectum diſpoſitionis expreſſæ, non levis ſubeſt difficultas; mihi alias breviter ſic viſum eſt: Poſtquam Deus, *Geneſ.* I. præceptum naturale, de propagando genere ſuo, hominibus dederat, deinde monogamiam inter protoplaſtos *Gen.* II. inſtituit, quo ipſo adeo libertatem ineundi polygamiam ſuſtuliſſe cenſendus eſt, cum alius finis, æque commodus, inſtitutioni monogamiæ aſſignari non poſſe videatur. Illa vero prohibitio univerſalis deinceps, quoad Judæos, limitata fuit, ſed in Novo Teſtamento univerſaliter iterum vim ſuam exſeruit, quo referas 1 *Cor.* 7. 2 *Tim.* III. 2. Titius.

(*k*) *Ex ipſa tamen recta ratione conſtat*]. Non inſubidum eſt, ſi ipſo Jure Naturali polygyniam pro-

longe decentius juxta atque utilius eſſe, unum una eſſe contentum (*l*). Id quod & uſus omnium, quas novimus. gentium Chriſtianarum a tot ſeculis comprobavit.

J. N. & G. *l.* vi. *c.* i. §. 15—19.

VI. Matrimonii vinculum inſolubile eſt. Nec minus natura tam arctæ (*m*) conjunctionis oſten-

prohibitam dicas, quo collimat doctrina Auctoris *b.* add. *d. c.* 1. §. 19. Nam (1) nullus legitimus polygyniæ ſcopus allegari poteſt, cum monogamia conſervando generi humano abunde ſufficiat, (2) Repugnat indoli tam arctæ conjunctionis, qualis eſt conjugalis. (3) Suſcipitur ob ſolam libidinem, (4) Habet originem a gentibus, voluptati deditis, aut quæ alias pravis moribus vixerunt, ac penes quas tyrannis libertatem & æqualitatem naturalem nimis oppreſſit, (5) Contraria eſt æqualitati ſexus, ut non crediderim, ullam erectioris ingenii fœminam ea lege marito eſſe nupturam, ſi integra illa gaudeat libertate, quæ naturalis inclinatio Juri Naturali conveniens cenſeri debet, cum ei nihil obſtet, (6) Turbat ſocialitatem cæterosque fines, a Deo intentos, cum unus pater educationi tot liberorum non ſufficiat, nec eos etiam, ſine aliorum injuria, alere poſſit, ſed civitatem vel mendicabulis repleat, vel aliorum bona, ſub ſpecie recti, ad ſe trahat, quo tam numeroſa proles laute vivere queat. Juxta hæc igitur, tam concubitus fæminæ, quam mariti, juxta Jus Naturale, in crimen adulterii incidit, ſicut etiam conſenſus mariti in uxoris concubitum lenocinii notam incurrit, nam hæc res ejus arbitrio non ſubeſt, licet alii aliter ſentiant, vid. Thomaſ. *J. J. D. l. III. c.* 2. §. 218. Titius.

(*l*) *Unum una eſſe contentum*] Quippe cum mulier, ut ſupra oſtenſum, per conjugalis Societatis indolem ac finem, quamdiu ea durat, ad conſortium unius viri ſit reſtricta, naturalis æqualitas poſtulat, ut *Vir* etiam *unius Fœminæ thoro ſit contentus*; præſertim cum, propter æqualem circiter virorum ac fœminarum numerum, *Polygamia ſimultanea*, præ *Monogamia*, ad hominum genus multiplicandum, teſte experientia, nihil conferat; at contineat contra iniquiſſimam oppreſſionem, non modo uxorum, quæ exigua quaſi maritalis conſortii parte jubentur eſſe contentæ; ſed & aliorum virorum, quorum plurimi iſta ratione uxoribus coguntur carere; & præcipue Natorum, quibus tanto numero ſollicite educandis unius patris cura non ſufficit; ut ex iſta licentia, ἀςοργία Patrum, ingratitudo Liberorum, rixæ denique & adulteria uxorum, vix poſſint non pullulare. Carm.

§. VI. Divortii quæſtio tempore Caroli Ludovici, Electoris Palatini, fuit ventilata, & Joh. Miltonus, in propria cauſa, pro ejus licentia ſcripſit. v. Bayle in *Milton.* Separandi autem hic rurſus ſunt fontes diverſi. (1) Omnes in eo conveniunt, *honeſtius* eſſe non temere divertere: nam ſi alia quævis amicitia ob levem cauſam non eſt diſſolvenda, hæc multo minus, ne educatio liberorum impediatur, & ſeparati, odio ceſſante, ad priſtinam conſuetudinem redeant. (2) Jure *naturali* autem homini competit libertas, donec ea reſtricta probetur. & pacis intereſt, ut divertant, quorum mores non

oſtendit, MATRIMONIUM DEBERE ESSE PERPETUUM (*n*), & non niſi alterutrius conjugum morte finien-

non conveniunt, ipſeque Deus Judæis divortium, ob duritiem cordium, permiſit. Alii addunt, ſicut ſocietas utriusque, &, ob graves cauſas, etiam unius voluntate ſolvi poteſt; ita nihil magis ſecundum naturam videri, quam ut mutuo diſſenſu tollatur, quod mutuo conſenſu erat colligatum. Sed hoc quidem in ſocietate mercatoria & politica, non vero in hac, quæ phyſicam unitatem operatur, procedit. v. *Nov.* 140. (3) Jure *Gentium*, apud Hebræos, Græcos, Romanos, etiam inter Chriſtianos, usque ad Caroli M. tempora, divortium fuit permiſſum: ut tamen uxor divertens Athenis tabulas ad Archontem deferre, & Romæ ſeptem teſtes, ob rei gravitatem, adhiberi deberent. v. Selden. *de Jure nat. V.* 7. & *uxor Hebr. III.* 18. *ſeq.* (4) Chriſtus autem, propter unicum *Adulterium*, ſeparationem vinculi admiſiſſe videtur, *Matth.* V. *vſ.* 32. XIX. *vſ.* 9. *Marc.* X. *vſ.* 4. quum enim conjugium marem & feminam conglutinet in unam carnem, per adulterium maxime fœderis vinculum rumpitur, dum plures, quam duæ perſonæ, fiunt; ſic quoque, fide rupta & debito interverſo, amor conjugalis vertitur in odium; ſupponuntur falſi heredes; domus totæ implentur probris; & ipſa fundamenta civitatis, quæ conjugiis conſtat, evertuntur. (5) An Paulus 1 *Cor.* VII. *vſ.* 15. addiderit *malitioſam deſertionem*, Viri Cl. Toullieu & Roſſalius in dubium vocarunt: at mores communem Bezæ ſequuntur interpretationem; quia deſerta privatur individua vitæ conſuetudine, & deſerens tanto pejor eſt adultero, quod in perpetuum debito auxilio fraudat ſociam, & educationem liberorum refugit. (6) Praxis primitivæ Eccleſiæ multo plures cauſas admiſit, *l.* 8. *C. de repud. Nov.* 117. *c.* 8. 9. hac ratione, quod *παρεκτὸς λόγου πορνείας*, *Matth.* V. *vſ.* 32. turpitudinem interpretarentur, quæ par ſit adulterio, & omnia delicta majora comprehendat. Sic ut Chriſtus interpres fuerit *Deut.* XXIV. *vſ.* 1. de cujus ſenſu Sammæi & Hillelis ſcholæ disputabant, & veram tantum turpitudinem, cauſamque, quæ æque turpis ſit, atque adulterium, probaverit: repudiata priſcorum Magiſtrorum ſententia, qui ex *Gen.* XVI. *vſ.* 3. colligebant, nefas eſſe viro, ultra decem annos morari cum uxore, ſi nulla eum prole beaverit. v. Maimonid. *de connub. c.* XV. *ſect.* 7. & Selden. *ux. Ebr. III.* 7. (7) Nec deſunt recentiores, omnium formularum, qui, ob inſidias, vitæ ſtructas, vel pertinacem debiti denegationem, procuratum ſæpius abortum, impietatem in Deum, morbum Venereum, mores intolerabiles, aut ſterilitatem desperatam, adito magiſtratu, divortium concedant; ſicut Carvillius Ruga primus apud Romanos uxorem dimiſit, quod ſterilis eſſet. Gell. XVII. 21. Dagobertus, Rex Francorum aliique, vid. Alciat. VI. *parerg.* 20. Connan. VIII. 12. Grot. *ad Matth.* V. *vſ.* 32. Selden. *ux. Hebr. III.* 23. & 31. Stryk. *de Inſid. vitæ ſtruct.* Titius *Specim. jur. eccl.* IV. *c.* 4. §. 17. *ſeqq.* & Laur. Reinhardi *comm. epiſtolica in Matth.* V. *vſ.* 32. *de juſtis divortiorum cauſis.* (8) Denique Ill. Leyſerus *medit. ad D. ſpec.* 315. *O.* 1. hanc regulam commendat: Quicquid omnes, propter quos matrimonium inſtitutum eſt, fines & effectus, mutuum ſcilicet adjutorium, procreationem ſobolis & exſtinctionem libidinis, penitus & in perpetuum tollit, hoc ad matrimonium diſſolvendum, aut naturaliter irritum declarandum ſufficit. In exemplis autem velim ſemper ante oculos verſari funda-

Digitized by Google

niendum (*o*): niſi principalis pacti (*p*) matrimonialis capita fuerint violata per adulterium & malitio-

menta, quibus Chriſtus prohibitionem ſuam ſuperſtruit (*α*) quod Moſes ob duritiem cordium divortia permiſerit, (*β*) quod dixit, ab initio rem ita ſe non habuiſſe. Invito ergo Moſe & Chriſto, immo Paulo gentile II. *tit.* 19. §. 7. Ulpianus *l.* 22. §. 7. *D. ſol. matr.* & Leo *Nov.* 111. & 112. ob ſupervenientem furorem, tam diuturnum, ut ſpes ſanitatis nulla ſuperſit, divortium conceſſerunt. Jure Canonico furor nuptias impedit contrahendas, non dirimit contractas, *C.* 24. *X. de ſponſ. can.* 25. & 26. *C.* 32. *qu.* 7. quia calamitas eſt, non culpa, quæ magis commiſerationem, quam deſertionem meretur. Vide Brouwer. II. *c. ult. n.* 21. Moſen Amyraldum *de jure nat. connub. diſq.* 3. Cl. Boehmeri, *Diſput. de jure Principis Evangelici circa divort.* & quæ dixi ad Böckelm. *diff. jur. civ. & can. c.* 26. OTTO.

(*m*) *Nec minus natura tam arctæ*] Illud quoque diſputatur, *an pactum & ſocietas conjugalis ſint indiſſolubilia?* Ut plurimum hoc mero Jure Naturali negatur, ac divortium, id eſt, *conjugii, legitime contracti, ac per copulam quoque carnalem conſummati, utroque conjugum ſuperſtite, plena ſolutio*, eodem aſſeritur. Prohibitio vero ejus ex jure divino poſitivo univerſali iterum repetitur, vid. Thomaſ. *d. l. III. c.* 2. §. 124. *c.* 3. §. 49 *ſeqq.* quam ſententiam hactenus ſemper ſecutus ſum, eamque, in *Specim. jur. eccl. l. IV. c.* 2. §. 46. *c.* 4. §. 16. propoſui.

2. Verum ſicut, juxta communem pactorum naturam, unius diſſenſu matrimoniale pactum, ſi ſuis illud conſtet requiſitis, naturaliter ſolvi nequit, ita non improbabile eſt, ſi, ne quidem mutuo diſſenſu, ob ullas vel leves cauſas, illud dirimi poſſe, dicamus, modo concubitu illud conſummatum fuerit, nam levitas illa naturæ hominum ſociali haud convenit, præterea adulteriis locum facit, quam facile enim fuerit, cum uxore dimiſſa & alii juncta antiquos repetere amores; Denique bonum aliquem finem iſti divertendi licentiæ non temere aſſignaveris, add. *l.* VI. *c.* 1. §. 20. TITIUS.

(*n*) *Matrimonium debere eſſe perpetuum*]. Conſtat inprimis, Liberorum educandorum neceſſitatem haudquaquam permittere, ut leves ob cauſas, quales quotidie facile poſſunt contingere, Societas conjugalis ſolvatur: quæ idcirco ea lege ineunda eſt, ut ejus duratio a nulla conditione poteſtativa, cujus defectus præcipuum ejus ineundæ finem non fruſtretur, dependeat; multo minus ab ulla conditione non poteſtativa, quæ poteſt deficere, quamdiu communes Liberi ſunt educandi.

Quodſi vero iſtud vinculum, ex communium Liberorum educandorum obligatione natum, deficere aut ceſſare contingat; ſive nulli fuerint Liberi, ſive extincti ſint, vel ad maturitatem educati, aliis non ſuccedentibus, forte nec ſperatis; annon tum ſaltem, ubi lex poſitiva non aliter præcipit, matrimonium poſſit abrumpi, multi dubitant. Vide *Lock. Tract. Poſt. de Imperio* § 81. Varios, qui hic occurrere poſſunt, caſus ſeorſum perpendere, & rationes quæ in ſingulis matrimonii ſtabilitatem ſuadent ſigillatim urgere, nimis eſſet prolixum. In genere notamus, arctam illam animorum non minus quam corporum conjunctionem, quæ ad hujus ſocietatis finem requiritur, non pati, ut vel ad tempus ea ineatur, vel a conditionibus, quas præſtare eſt ſupra humanam ſortem, ejus duratio ſuſpendatur. Finem præcipuum, & qui regulariter intendi eſt præſumendus, hic ſupponimus generatio-

litioſam deſertionem. Ob mores autem male compoſitos (*q*), & qui cum malitioſa deſertione eundem non producunt effectum, ſeparatio duntaxat quoad thorum & menſam inter Chriſtianos recepta eſt, ſine permiſſione ad ſecunda vota transeundi. Cujus inter alias etiam hæc ratio eſt, ne facultas di-

tionem & educationem communis ſobolis: quod ſi nonnunquam hujus finis conſecutio, propter provectiorem alterius, vel utriusque conjugis, ætatem, non ſperetur; quousque talia conjugia, præſertim prioris generis, in civitate tolerari debeant, Legum Conditores poſſunt diſpicere: quo faciebat olim unus articulus Legis *Juliæ* & *Papiæ:* at ſi omnino tolerentur, poſtulat humanæ naturæ dignitas, eadem ea ſanctimonia velari, quam in conjunctionibus magis regularibus eſſe adhibendam, ſupra oſtendimus. Denique, cum ſocietas conjugalis ejus ſit indolis, ut haud facile unius conjugum voluntate, altero invito & obmurmurante, conſervari poſſit; ne ea perpetuis ſollicitationibus in hac hominum pravitate ſit obnoxia, atque lubrico nimis nitatur fundamento, ita ſanciri debet, ut, præter communem pactorum inter homines initorum legem (vide *ſupra lib. I. cap.* 16. §. 4. *cum Obſerv.*) ne quidem ipſorum conjugum mutuo conſenſu, vel ſi mavis diſſenſu poſſit dirimi: quam ſanctionem, ſi eam Lex Dei poſitiva non tribueret, conciliare deberent ipſi paciſcentes, pactum matrimoniale, per modum voti, Deo nuncupando.

Ex omnibus itaque hactenus diſputatis conſtat, *Matrimonium*, quod ipſo jure naturali ad legitimam humani generis propagationem requiritur, eſſe *Viri ac Mulieris conjunctionem*, *individuam vitæ conſuetudinem continentem;* quam definitionem ab Imperatore traditam *Inſt. lib. I. tit.* 9. §. 1: meritò probat Cl. *Huberus*, præ illa, quam, juxta laxiores ſuas hac in parte hypotheſes, tradidit *Grotius lib. II. cap.* 5. §. 8. Carmich.

(*o*) *Morte finiendum*]. Perpetuum debere eſſe matrimonium, ex jure naturæ non patet: tota enim natura conjugii abſolvitur pacto ad propagandam ſobolem: pactum autem ad tempus iniri poteſt, & finis hujus pacti intra certum temporis ſpatium obtineri. Sæpius quoque pacis externæ intereſt, ut illi a ſe invicem diſcedant, qui nolunt eſſe conjuncti: nec diſſolutio iſtius pacti juſtitiæ repugnat, per cujus regulas liberum eſt pactum mutuo conſenſu initum rurſus mutuo diſſenſu diſſolvere: nec ex ratione conſtat de aliquo impedimento, quo minus hæc pacti conditio etiam quadrare debeat in pactum matrimoniale. Quod de educatione moneri ſolet, eam in perpetuo matrimonio felicius poſſe inſtitui, quam ſi ejus duratio interrumpatur; hoc quidem nonnumquam verum eſt: ſæpius tamen educatio feliciter procedit, licet a patre vel matre tantum ſit ſuſcepta: quando ſcilicet alter conjugum morte diſceſſit. Educatio inſuper non eſt de eſſentia matrimonii: pertinet potius ad officia humanitatis parentum in liberos. Levitas divortiorum exinde oriunda hic objici nequit: divortia enim in ſtatu naturali mutuus metus propinquorum, vel amiſſionis bonorum, vel aliorum malorum impediturus eſſet: quod inter principes e. c. in Henrico IV. & Sigismundo imperatoribus obſervare li-

divortii contumaciam morum alat; ſed potius alterius conditionis deſperatio ad commoditatem morum, mutuamque tolerantiam conjuges incitet. Cæterum ob violata (*r*) pacti matrimonialis capita pars læſa tantum vinculo exſolvitur (*s*); quod in altero continuatur, ſiquidem pars læſa velit, & cum altero in gratiam redire dignetur.

J. N. & G. *l.* VI. *c.* I. §. 20—24.

VII. Contrahere matri- Contrahere licite matrimonium (*t*), ubi lex civilis

licet: in ſtatu civili vero magiſtratus licentiam iſtorum circumſcribit: quæ ſi vel nimis libera ſit, vel nimis reſtricta; reipublicæ noxia eſſe videtur. HERTII argumentum, quod pro indiſſolubilitate matrimonii adfert *ad Pufend. l.* VI. *c.* I. §. 20. *lit. a. p.* 829. *Si ceteræ amicitiæ ſine gravi culpa diſſui non poſſint; tanto minus illa, quæ tot pignorum vinculo continetur: unde pendet honeſta tum propagatio, tum educatio nobiliſſimi animantis:* pertinet ad principia decori, quæ multa circa divortii actum a jure naturæ permiſſa arctius limitant, & apertius decidunt. Conf. KAYSERI *diſſ. de jure principis evangelici circa divortia ſub præſidio Boehmeri Halæ* 1715. *hab.* & ſcripta, quæ THOMASIUS, JÆGERUS, BREITHAUPT, STOLTZ &c. *de concubinatu* ediderunt: ex quorum argumentis ſibi invicem oppoſitis veritas eo clarius elucebit. TREUER.

(*p*) *Niſi principalis pacti*]. Si capita eſſentialia pacti matrimonialis fuerint violata, tum læſo facultas recedendi dubio procul competit, id autem non tantum contingit per adulterium & malitioſam deſertionem, ſed etiam aliis modis, quos retuli in *Specim. Jur. Eccleſ. l. IV. c.* 4. §. 17. 18. 19. 20. qui ad Jus Naturale omnino etiam referri poſſunt, imo mores intolerabiles, ſi nulla emendationis ſpes, morali æſtimatione, ſuperſit, dirimendo matrimonio ſufficere poſſunt, add. *d. l.* VI. *c.* I. §. 21. 22. 23. 24. TITIUS.

(*q*) *Ob mores autem male compoſitos*]. Si leviores cauſæ intercedant, ſeparatio a thoro & menſa conceditur, quæ hactenus rationem habet, quatenus per eam majora mala impediuntur, ac conjuges ad concordiam revocantur, de qua plura dixi, in *Specim. Jur. Eccleſ. d. c.* 4. §. 23. *ſeqq.* IDEM.

(*r*) *Cæterum ob violata*]. Hoc ex generali pactorum natura fluit, nam abſurdum foret, ſi quis ſuo delicto ab obligatione, legitime conſtituta, ſe liberare poſſet, hinc ea res ab arbitrio læſi dependet. IDEM.

(*s*) *Pars læſa tantum vinculo exſolvitur*]. Vide *Obſ.* in *l. I. c.* 16. §. 5. CARMICH.

§. VII. In perſonis conjungendis requiritur facultas phyſica & moralis. Ad illam pertinet, (I) Juſta *ætas*, ut maſculi ſint puberes, & feminæ viripotentes, *l.* 9. *D. de ſponſal. l.* 32. §. 27. *D. de donat. int. vir.* ſenibus vero effœtis diſſuadendum eſt *honorarium*, ut A. lepide in *Op. maj.* vocat, matrimonium: maxime vero juveni cum anu, ne ſemen inutiliter effundatur, perpetuo peccato, Seneca

vilis non obſtat, poteſt QUILIBET CUM QUALIBET, ſi ætas (*v*) corporisque conſtitutio matrimonio habilis

monium licet quibusvis.

neca *Hippol. vſ.* 451. *Propria deſcripſit Deus officia & ævum per ſuos ducit gradus. Lætitia juvenem, frons decet triſtis ſenem.* v. Cl. Leyſer. *Medit. ad D. ſpec.* 297. *n.* 9 (2) Corporis *conſtitutio*, ad generandum apta: quia implementum matrimonii in concubitum deſinit. Excluduntur ergo nimis arctæ, quam ut mulieres fieri poſſint, & eunuchi, etiam legibus Romanis, *l.* 39. §. 1. *D. de jur. dot. l.* 60. *D. de donat. int. vir.* Licet enim apud veteres & recentiores non deſint exempla ejusmodi conjugii, propter mutuum adjutorium permiſſi, Juvenal. *Sat. I. pr.* Martial. V. *Epigr.* 42. Claudian. II. *in Eutrop. vſ.* 88. & Delphin. *de Nuptiis caponum;* hodie tamen in Italia, Gallia & Belgio caſtratis matrimonium negatur, teſte Strykio, *de Diſſens. ſponſal. ſect.* V. §. 63. Bayle in *Quellenec. lit. F.* & Huber. *ad tit. D. de rit. nupt.* §. 12. (3) Uſus *rationis*; quia cum furioſo non eſt ſocietas, & licet generare poſſit, tamen infantes produceret infelices, & Reipublicæ moleſtos, *l.* 16. §. 2. *D. de rit. nupt.* (4) Morali facultate deſtituitur, qui alteri jam junctus eſt; adeo ut ipſa etiam ſponſalia, ab eo eave, qui conjugem habet, ſub conditione mortis inita, non tantum ex lege civili, ſed etiam naturali irrita ſint, quia ducunt ad adulterium, & continent votum captandæ mortis, uti contra Grotium, *c.* II. 11. §. 8. Huberus evicit *de Jure civit.* II. *ſ.* 6. *c.* 3. §. 13. Otto.

(*t*) *Contrahere licite matrimonium*] In perſonis paciſcentibus requiritur (1) *Aptitudo generandi*, hinc eunuchis matrimonium inire non licet, vid. *d. c.* 1. §. 25. Thomaſ. *J. J. D. l.* III. *c.* 2. §. 174. quamvis alii diſſentiant, vid. Bruckner. *Deciſ. matrimon. c.* 11. (2) *Uſus rationis*, *ejusque liberum ſeriumque exercitium*, vid. *d. c.* 1. §. 26. (3) *Facultas moralis*, quam leges, tam divinæ quam humanæ, definiunt. Titius.

(*v*) *Si ætas*] Aetas ad conjugium ineundum habilis J. N. non determinatur, nec apud nationes diverſas eadem eſſe ſolet. Mira ſunt, quæ de Bengalis referuntur. Andersen *itinerario p.* 28. teſtatur: *Dieſer Tage hat ein Benianiſch Weib, ſo nur 9. Jahr. alt, 2. lebendige Cinder zur Welt gebracht, welche ich ſelbſt geſehen. Und ſol allhier gar gemein ſeyn, daſſ Kinder von 7. und 8. Jahren Kinder zeugen, wie obgedachter Ober-Kaufmann Trilingen mich berichtete, und ſoll daher kommen: die Benianen verheyrahten ihre Toechter im 5. Jahre ihres Alters an Knaben und Jünglinge von 15. 16. Jahren: die ſpielen durch dergleichen Beyſchlaf ſo lange, bis die Natur zu ſolchem Wercke thatig und bequem wird.* Conjugia ſæpe approperat avaritia imperantium vel voluptas: illud de Hiſpanis adfert Gage *itiner. P. II. c.* 16. *p.* 331. *Damit die Schatzung ſich immer mehre; ſo müſſen alle, die das 15. Jahr erreichet haben, ſich verheyrathen: Ja man hat die Zeit zu heyrathen den Indianern auf 14. Jahr für die Knaben, und für die Maegdlein auf 13. herab geſetzt: denn die Spanier ſprechen es ſey kein Volck, das zeitlicher zum Kinder zeugen tuechtig werde, und das zeitlicher zum Verſtande komme, und zur Arbeit geſchickt ſey, als die Indianer.* Hoc vero de Armeniis teſtatur *Paulus* Lucas, qui A. 1702. Perſiam & Armeniam permigravit, *in Reiſe nach der Levante T. I. p.* 46. *ſq. Oeſters geben die Verſchnittene in die Häuſer, und wo ſie ein ſchoen Maedgen finden, nehmen ſie es und bringen es dem Koenig: gefaellt ſie ihm: ſo muſſ ſie eine Mohometanerin werden, und ſo dann zu dem andern Kebs-Weibern in das Haram ... Anders können alſo die Armenier nicht, als*

bilis adſit; NISI IMPEDIMENTUM ALIQUOD MORALE obſtet. Moraliter impeditur (*x*), aliam conjugem adſciſcere, qui, quæve alteri jam conjugi junctus, junctave eſt (*y*).

J. N. & G. *l.* VI. *c.* I. §. 25—27.

VIII. Sanguine aut affini- Sed & pro morali (*z*) legitimarum nuptiarum im-

als daſſ ſie ihre Töchter im 7. bis 8. *Jahr verheyrahten, wie der Herr Macara gethan, welcher ſeine Töchter, aus eben der Beyſorge, bereits in ihrem* 9. *Jahre weggegeben.* Plura vid. in WULFERI *not. ad* SAARS *Reiſeb. p.* 62. *ſqq.* TREUER.

(*x*) *Moraliter impeditur*] Hoc impedimentum, inprimis quoad maritum, vulgo ex jure divino poſitivo univerſali repetunt, ſed ego id nunc ex Jure Naturali dependere exiſtimo, per ea, quæ ſupra lit. (*k*) admonui, add. *d. c.* I. § 27. TITIUS.

(*y*) *Junctave eſt*] Patet ex matrimonii natura ſupra explicata. CARMICH.

§. VIII. Deficit etiam moralis facultas inter proximos conſanguineos & affines. Auctor bene ſeparat lineam rectam ab obliqua, & in illa jure naturæ omnes nuptias nefarias pronunciat: nam licet multi, cum Rabbinis, apud Selden. V. 8. Germonio, I. *Anim.* 16. & Grotio, II. *c.* 5. §. 12. de ratione decretoria deſperent, & Freinshemius *ad Curt.* VIII. 2. certos ea in re fines conſtituere non naturæ, ſed gratiæ eſſe ſcripſerit; ut ſupra jam tetigi, *ad* I. *c.* 3. §. 12. attamen Papinianus gentilis ſtuprum, in ſororis filiam commiſſum, *ſanguinis contumeliam* vocat in *l.* 38. §. 1. *D. ad L. Jul. de adult.* & Paulus, in *l.* 14. §. 2 *D. de ritu nupt.* agnoſcit, *jus naturale & pudorem* hiſce nuptiis impedimento eſſe. Ad eundem pudorem provocavit Lambertus Velthuiſen in *Diſſert. de Pudore hominis naturali*, quem Noſter ſecutus eſt; alii vero refellunt; quia pudor ille ubivis gentium non reperitur, & licet reperiri deberet, tamen Cicero I. *de Off. c.* 25. ait, non ſolos agnatos, ſed omnes, qui ſana mente ſunt, gloriæ & decori amore, ab oculis removere, quæ natura occultavit. Alii igitur ad jus divinum poſitivum univerſale, *Levit.* XVIII. malunt confugere, quamvis rurſus *caro carnis* ibidem *vſ.* 6. occurrens, intellectui eorum obſcurior eſſe videatur, quia phyſica communio non poſſit edere effectum moralem, quum Eva Adamo conjuncta fuerit. vid. Thomaſ. *Juripr. div.* III. *c.* 2. §. 222. *ſeqq.* & aliter in *Fundam.* III. *c.* 2. §. 37. Verum credamus licet auctori naturæ ſapientiſſimo, quod (1) Dignitas hominis, caſtitas & naturalis verecundia prohibeat, ortus auctores ſecum ipſis, in ſua prole, quaſi miſceri, & una perſona cum illis propinquis fieri, quibuſcum jam una caro ſunt. (2) Horror ille adverſus nuptias cum filia tantus eſt, ut minime per educationem, aut ob publicam utilitatem, injectus eſſe potuerit, ſed ſapiat naturalem relationem ad carnem ſuam, uti Maimonides quoque, apud Selden. *de J. N.* V. 10. ratiocinatur. (3) Nimia confuſio obligationum exoritur, ſublata illa relatione inæquali, fonte officiorum, & reverentia, quam liberi parentibus, tanquam Diis conſpicuis, qui Deum imitantur, vitam dando, in perpetuum

impedimento habetur ARCTA NIMIS SANGUINIS AUT AF- tate non nimis vicinis.

tuum debent: ubicunque enim eſt eminentia, ibi officia honoris & obſervantiæ ſunt neceſſaria; quo pacto autem ſtare illa poſſunt, ſi filius caput fiat matris, & nuditatis ſuæ atque illius turpitudinem retegat; tanto nunc turpiorem, quo major ei reverentia debetur? vid. Amyrald. *Diſq*. 4. (4) Addamus, cum Socrate, apud Xenophont. IV. *Memorab. p.* 807. quod ſemina parentum ſeminibus liberorum vegetorum ſunt diſſimilia, adeoque mala procreatio à diſparibus ætate procedat. (II.) Inter eas perſonas, quæ ex transverſo gradu cognationis junguntur, eſt etiam unitas quædam carnis, ſed non tanta. Ad fratres enim & ſorores quod attinet, totum genus humanum per conjunctionem eorum propagatum eſt: quod autem in ſe turpe, id nulla ratione nec circumſtantia temporis, vel neceſſitatis, quæ in Deum non cadit, honeſtum fieri poteſt. Solon quoque Athenienſibus ducere permiſit ſororem conſanguineam; Lycurgus uterinam Spartanis; apud Ægyptios & Perſas etiam cum germana connubium erat, teſte Diodoro Siculo I. 27. & Orig. *contra Celſ. l.* V. *p.* 248. Ptolemæus item Philadelphus Arſinoën ſororem ſuam duxit, Pauſan. *Attic.* I. 7. & Antiochus, Syriæ rex, liberos ſuos matrimonio junxit, Appian. *Syriac. p.* 144. aliique ſimiliter apud alias gentes, Freinshem. *ad Curt.* VIII. *c.* 2. Rutgerſ. I. *Var. lect.* 9. & Noris. *Epoch. Syro-Maced. diſſ.* 2. Sed multiplicato genere humano, merito nuptiæ illæ, tanquam inceſtæ, apud plerasque gentes vetitæ ſunt, iisque maledixit Deus, *Levit.* XVIII. *vſ.* 9. XX. *vſ.* 17. Plato *ſceleſtas*, Cicero *nefarium ſtuprum*, Ovidius *nefas* appellarunt, quia honos, parentibus debitus, ſic violatur. Diodorus quoque *d. l. præter communem aliorum hominum morem*, lege Ægyptiaca id ſtatutum eſſe, monuit. Etenim (1) Vis ſanguinis parentum recens, & necdum ab extraneo turbata, facit, ut frater & ſoror quaſi una caro ſint, *Gen.* XXXVII. *vſ.* 27. (2) Parentum nuditatem aperit frater, qui pubem ſororis detegere non erubeſcit. (3) Nulla hujus conſuetudinis cupiditas caſtorum animos titillat, etſi pulcherrimæ ſint ſorores. (4) Opus erat interdicto, ne convictus quotidianus & inobſervatus ſtupris anſam daret, apud gentes libidinoſas. (5) Utilitas accedebat, ut inter diverſas cognationes amicitiæ ſpargerentur, Plut. *Quæſt. Rom. c.* 107. (III.) Patruus, avunculus, amita, & matertera, fratris aut ſororis filiis, filiabus, nepotibus & neptibus ſunt parentum loco; unde nuptiæ eorum *indecoræ* a Catullo *Ep.* 119. *Torus nefandus*, Seneca, *Octav. vſ.* 141. *ſtuprum turpe* in *l. ult. pr. D. de condit. ſine cauſ.* & *ſceleſtum contubernium* vocantur in *l. ult. C. de inc. nupt.* Grotius tamen II. *c.* 5. 14. & Taylor *Doct. dubit.* II. 2. §. 30. putant, fratris filiam jure divino duci poſſe, quæ & Nachori collocata, ante legem, *Geneſ.* XI. *vſ.* 29. & Athenis olim, etiam Romæ, a Claudio usque ad Conſtantium, duci poterat, qui prohibuit, *l.* 1. *C. Th. de inc. nupt.* (IV.) Inter affines nulla quidem eſt conjunctio ſanguinis, ſed nuptiæ cum noverca prohibentur, *Levit.* XVIII. *vſ.* 8. & 1. *Cor.* V. *vſ.* 1. quia *nuditas patris eſt*, qui una caro cum illa eſt facta, & reverentia eadem fere ei debetur, quæ naturali matri, cujus locum ſupplet, *l.* 14. §. *f. D. de ritu nupt.* (V.) Reliquæ perſonæ, conjungi vetitæ, ex *Levit.* XVIII. peti debent, quod Muſæus late explicuit. (α) Major ejus pars continet legem forenſem, ſed quam Chriſtiani, ob initium *vſ.* 6. & clauſulam finalem *vſ.* 27. ultro receperunt. v. Selden. *de J. N.* V. *c.* 17. & 18. (β) Neque gra-

affinitatis conjunctio (*a*). Quo nomine etiam na-

gradus, neque perſonæ tantum enumeratæ prohibentur, ſed ubi eſt *caro noſtra*, vel *caro carnis noſtræ*, vel *cum noſtris una caro fuit facta* III. Coccej. *Jus controv. part.* II. *p.* 695. *ſeqq.* (γ) Mirifice commendat leges Romanas, quod examuſſim Moſaico juri non modo reſpondent, ſed adhuc aliquanto longius verecundiam in neceſſitatem flectunt. v. Calvin. *ad Levit.* XVIII. & Diſſert. mea *de Nupt. conſobr. c.* 2. (δ) Gradus omnes, ſive expreſſe, ſive per analogiam prohibitos, accuratiſſime recenſuit Matthæus, Archiepiſcopus Cantuarienſis, in tabula, apud Rob. Scharrok. *de Variis incont. ſpec. pag.* 156. Otto.

(z) *Sed & pro morali*] Arctior conſanguinitas & affinitas eſt etiam morale matrimonii impedimentum. Illa eſt *communio ſanguinis inter eas perſonas, quarum una alteram generavit, vel quæ ab eadem ſtirpe dependent.* Hæc vero eſt *conſanguinitatis ad conjugem applicatio, ex concubitu orta*, dum enim mas cum fœmina per concubitum una velut caro fit, hinc unusquisque conjugum alterius cognationi quaſi inſeritur, adeoque omnes uxoris cognati maritum quoque nunc attinent, & vice verſa, quæ conſanguinitatis extenſio affinitatis nomine venit, de quo latius diſſerui in *Specim. Jur. Eccleſ. l.* IV. *c.* 3. §. 1. *ſeqq.* Titius.

(*a*) *Affinitatis conjunctio*] Arctam nimis ſanguinis aut adfinitatis in conjugio conjunctionem eſſe contra jus naturæ, non liquet: licet ſit contra Jura divina poſitiva, cognatio enim & adfinitas, ex quarum gradibus inceſtus determinatur, deducuntur ex communione ſanguinis, de qua J. N. non conſtat, quomodo communio phyſica effectum moralem producere poſſit. Invertunt potius nationes nonnullæ argumentum ex propinquitate ſanguinis petitum. Parens Ceylanenſis teſte Herporti *itin. p.* 178. filiam locans in matrimonium, rem prius cum ipſa habet, eodem inſulſo argumento utens: *Daſſ es ihm gebühre von dem Baum, den er gepflanzt, die erſte Frucht zu genieſſen.* Caraibes ſibi jungunt virgines proximo ſanguine adnatas, rationem allegantes, eas ſibi a natura in uxores deſtinatas eſſe. *Wann ſich dieſe Wilden verheyrahten: ſo pflegen ſie ihre nächſte Baſen zu nehmen, die mit ihnen leiblich Geſchwiſter-Kind ſind: und dürfen nicht ſagen, daſſ ſie dieſelbe zu Weibern nehmen: dann ſie ſind ihnen von Natur gegeben t und können ſolche ohn alles Gepränge in ihre Häuſer mit ſich führen.... Wann es ſich zuträgt, daſſ einer unter ihnen keine ſolche nahe Baſe hat, die mit ihm Geſchwiſter-Kind wäre: oder wann er etwazu lang gewartet dieſelbe zu heyrahten, und ihre Eltern ſolche einem andern gegeben; ſo können ſie alsdenn Jungfrauen heyrahten, die ihnen nicht verwandt ſind.* Rochefort *Beſchreib. der Antillen-Inſuln T. II. p.* 407. *ſeqq.* Circa lineam collateralem res certa eſt: voluit enim creator propagari genus humanum, propagari vero, niſi ex connubio fratrum & ſororum, non poterat; ex quo totum humanum genus prognatum: quod caſu neceſſitatis, quum duos tantum creaſſet Deus homines, inſulſe nonnulli excuſare volunt: quaſi ille caderet in Deum: ſed ſecundum lineam rectam diſſentiunt plurimi. Vid. Grot. *lib. II. c.* 5. §. 12. Pufend. *l.* VI. *c.* 1. § 32. Becmann. *in conſp. polit. c.* 8. *p.* 40. *in medit. polit. c.* 7. §. 13. Velthuysius *de naturali pudore cap. de inceſt. per tot. opp. T. I. p.* 177. *ſqq.* Rationes eorum deſumuntur (1) ab abhorrentia humanorum adfectuum: (2) latius ſpargendis amicitiis: (3) ætatis diſparitate: (4) confuſione nominum neceſſitudinis: (5) communione ſanguinis: (6) debito reverentiæ: (7) pudore naturali vel ſolum conſiderato, vel cum reveren-

naturali lege (*b*) nefariæ judicantur nuptiæ inter adſcendentes & deſcendentes in infinitum (*c*). Reliquas autem nuptias in limite transverſo (*d*), puta, cum

rentia conjuncto. Verum eas docte reſolvit Thomasius *inſt. jur. div. L.* 3. *c.* 2. *n.* 220. *ad* 247. Conf. elegant. diſſ. Georgii Beyeri *de diſpenſatione circa matrimonium intra gradus conſanguinitatis & adfinitatis probibitos Lipſ.* 1698. *hab.* & Proelei *præfat. ad comm. Muſæi de conſanguinitate & adfinitate in c.* 18. *Levit. de fundamentis diſpenſationum in cauſſa matrimoniali.* Treuer.

(*b*) *Quo nomine etiam Naturali Lege*] An vero aliqua prohibitio, quoad conſangnineos & affines, ex Jure Naturali deduci posſit, valde controverſum eſt. Auctor, quoad lineam conſanguinitatis rectam, prohibitionem adſtruit, cætera ad jus poſitivum divinum & humanum refert *h.* de quo latius diſputat, *d. l.* VI. *c.* 1. §. 28. 29. 30. 31. 32. 33. 34. 35.

2. Alii cenſent, ex Jure Naturali nullam prohibitionem poſſe repeti, vid. Thomaſ. *J. J. D. l.* III. *c.* 2. §. 220. *ſeqq.* ſed ad jus divinum poſitivum univerſale, *Levit.* XVIII. in Philoſophia generali, unice recurrendum eſſe, hoc vero prohibere (1) *Nuptias inter parentes & liberos in infinitum*, (2) *Inter fratres & ſorores, tam bilaterales quam unilaterales.* (3) *Inter fratrem aut ſororem, alteriusque fratris vel ſororis deſcendentes in infinitum*, ac denique (4) *Inter affines, inter quos memorati tres reſpectus occurrant;* reliqua ad jus humanum pertinere, quamvis circa regulas allatas multiplex etiam ſcriptorum ſit concertatio, vid. Thomaſ. *J. J. D. l. III. c.* 3. §. 99. *& ſeqq.*

3. Iſtam interim ſententiam hactenus ſecutus ſum, ac in ſpecie eam propoſui in *Specim. Jur. Eccleſ. l.* IV. *c.* 3. §. 40. *ſeqq.* Sed non videtur improbabile, ſi quatuor illas regulas ad Jus Naturale referamus; nam (1) inter perſonas illas prohibitas eſt aliqua unitas, jam vero naturæ repugnat, ut quis ſecum ipſo velut coëat, ac hac ratione genus humanum propaget; (2) a natura ſociali abhorret, ut cognatio, vix incepta, in ſua ſtatim redeat initia, cum indoli vitæ ſocialis magis conveniat, ut illa latius ſpargatur; (3) admiſſa concumbendi licentia adulteriis & ſtupris anſam præbet; denique (4) nullus legitimus finis nominari poſſe videtur, ob quem ejusmodi matrimonia appetenda ſint. Non obſtat, quod, admiſſa noſtra ſententia, quoad fratres & ſorores, totum genus humanum ex inceſtu natum eſſe oporteat, nam, ad caſum neceſſitatis prohibitiones non pertinere, tralatitium eſt. Tit.

(*c*) *In infinitum*] Non ſine cauſa prohibitionem conjugii inter *aſcendentes* & *deſcendentes* in infinitum, Auctor, *Grotium* ſecutus, ab ipſo Jure Naturali repetit; eo quod affectus & conſuetudo conjugalis, a reverentiali pudore, quem *Parentibus* & *Liberis* cujuscunque gradus intercedere, hujus neceſſitudinis, atque inde reſultantium officiorum, ratio exigit, prorſus abludat, imo cum eo componi nequeat: ita enim intelligo doctrinam *Grotii*, *Cap.* 5. §. 12. quam Auctor noſter explicat magis quam corrigit, *J. N. & G. Lib.* VI. *Cap.* 1. §. 32. Carmich.

(*d*) *In limite transverſo*] Prohibitiones nuptiarum, quæ conſanguinitatem in linea transverſa, ut & omnes quæ affinitatem reſpiciunt, contenti ſunt Auctores modo laudati a jure poſitivo deducere: quod omnino videtur admittendum. At quando, & quibus, illud jus poſitivum, conſtitutum fuerit, dubio non caret: præſertim, cum *Lev. Cap.* XVIII. *vſ.* 24, & 25, innui videatur, prohibitiones ſupra poſitas, omnibus gentibus fuiſſe ante promulgatas, utpote ob quas

Digitized by Google

cum amita & matertera, cum ſorore; item in affinitate, cum noverca, ſocru, privigna, non ſolum lex divina, ſed & cultarum leges gentium, & Chriſtianorum conſenſus, deteſtantur. Quin & multorum populorum leges (*e*) civiles remotiores quoſ-

quas violatas etiam Gentiles pœnas eſſent luituri. Duas harum prohibitionum claſſes diſtinguit *Grotius*; eas etenim quæ reſpiciunt *Affinitatem in linea recta*, & *Conſanguinitatem in gradu transverſorum primo* (qui, ob ortum a communi ſtirpe, *ſecundus conſanguinitatis gradus* dici ſolet) inter *Fratres* ſc. & *Sorores*, vult eſſe univerſales & perpetuas, utpote ipſi *Adamo* a Deo datas; reliquas vero, quæ reſpiciunt *Affinitatem in linea transverſa*, & *Conſanguinitatem in tertio gradu*, ſive *transverſorum ſecundo* (ut inter *Nepotem ex Fratre* & *Amitam*) Lege demum Moſaica primum eſſe conſtitutas & populo tantum Iſraelitico. Quæ tamen diſtinctio an ſolido ſatis fundamento nitatur, fas eſt dubitare. Certum quidem eſt, apud Ethnicos univerſalius obtinuiſſe ſententiam de turpitudine Conjugiorum, quæ ad priorem, quam eorum quæ ad poſteriorem claſſem, *Grotius* refert, ſed & Patruorum vel Avunculorum, Amitarum vel Materterarum, cum ſuorum Fratrum vel Sororum Liberis cujuscunque gradus conjugia, apud veteres Romanos fuiſſe illicita, ſatis notum eſt: vide *Tacit. Ann. Lib.* XII. *Cap.* 5. *Edit. Gron. Dig. Lib.* XXIII. *Tit.* II. *l.* 17. §. *ult. l.* 39. *l.* 53. Quin & naturalis iſta verecundia, quam docuerunt Hebræi Veteres, (teſte *Grotio d. Cap.* §. 13. *n.* 3.) non ſinere ortus Auctores cum ſua ſobole, aut in ſe ipſis, aut etiam per perſonas, ſanguine aut nuptuali ſanguinis commixtione, proxime cohærentes, miſceri, habet locum, non tantum inter Fratrem & Sororem: ſed & inter Fratrem, & Fratris vel Sororis filiam, Neptem, &c. nec non inter Sororem, & Fratris vel Sororis filium, nepotem, &c. Quippe, non modo Pater & Mater, ſed Avus & Avia, Proavus & Proavia, & deinceps cæteri, ſunt *Auctores ortus*; quorum idcirco immediati Liberi, cum nullis eorundem deſcendentibus, per prædictam regulam; poſſunt miſceri. Exiſtimandum eſt igitur, Connubia in ſingulis gradibus conſanguinitatis Lege Moſaica comprehenſis, imo (cum conjuges Deus ab initio pronuntiaverit *unam Carnem*) in æqualibus gradibus affinitatis, iiſque ſimilibus, Lege poſitiva æque antiqua, & æque univerſali, fuiſſe a Deo prohibita; quantumvis ejus Legis primo promulgatæ hiſtoria non exſtet. Ratio certe diſcriminis, inter Matrimonium cum Amita, & cum Nepte ex Fratre, initum, quæ ab Hæbræis Doctoribus adfertur, licet *Grotio* & Auctori noſtro probata, eſt admodum frivola. Carmich.

(*e*) *Quin & multorum populorum leges*] De hoc non dubitandum, ſed ſunt illæ leges extra ſphæram Juriſprudentiæ Univerſalis, easdemque latius explicat Juriſprudentia Particularis ac privata cujusvis Reipublicæ, de quo aliqua propoſui in *Specim. Jur. Eccleſ. l.* IV. *c.* 3. §. 45. 50. *ſq.*

2. Ex dictis, hæc, juxta Jus Naturale, fluit matrimonii definitio. *Eſt pactum, quo mas & fœmina, uſu rationis gaudentes, ad generandum habiles, ac nimia conſanguinitate aut affinitate non conjuncti, in procreationem ſobolis ac indiſſolubilem vitæ ſocietatem, vere conſentiunt.* Si autem matrimonium pro ſocietate vel ſtatu accipiatur, tum *eſt ſocietas maris & fœminæ habilium, ad fines modo memoratos conjunctorum.*

3. Fa-

quosdam prohibuerunt (*f*), ad objiciendam velut ſepem prius dictis gradibus ſanctioribus, ne ad hos temerandos ita facile rueretur.

J. N. & G. *l.* vi. *c.* i. §. 28—35.

Cæterum uti aliis contractibus (*g*) atque negotiis certa IX. Solemnia matrimo-

3. Facit igitur matrimonium *conſenſus*, ad ejus vero conſummationem pertinet *concubitus*, quanquam hunc præciſe neceſſarium judicaverim ad hoc, ut matrimonium ſit indiſſolubile, ſupra §. 6. h. c. lit. (*m*) *n.* 2. Quemadmodum etiam ſine eo nulla vera affinitas inter conjuges conjugumque cognatos contrahitur; add. *Op. Maj. l.* VI. *c.* 1. §. 14.

4. Eſt porro in arbitrio paciſcentium poſitum, gradus circa conſenſum matrimonialem diſtinguere, ac requiſita ejus determinare. Hinc, mero Jure Naturali, modo obtinebit diſcrimen ſponſaliorum & nuptiarum, aut matrimonii ſolennis & minus ſolennis, (vid. *l.* VI. *c.* 1. §. 36.) modo non, prout ſcilicet paciſcentibus viſum fuerit, quamquam in civitatibus illa certius definiat lex poſitiva. Porro cum matrimonium tam arcta, imo indiſſolubilis ſit ſocietas, ideo quoque id naturale velut eſt, ut non quemvis conſenſum pro matrimoniali habeamus, ſed illum demum, qui aperto & irrefragabili indicio ſit declaratus, id quod itidem Lex Civilis amplius determinat. Titius.

(*f*) *Prohibuerunt*] Superſtitioſa hæc ſollicitudo præcipue tenuit Juris Pontificii Auctores, ſuæ ſc. Curiæ commodum ex crebriorum diſpenſationum occaſione, captantes. Carmich.

§. IX. Omnes gentes moratiores tam arctam vitæ conſuetudinem ritibus & ſacrificiis inchoarunt; tum ut de nuptiis conſtaret; tum ut res tanti momenti Deo commendaretur; tum ut conjugibus officia per ſymbola ob oculos ponerentur. Hinc *juſta uxor*, *juſtæ nuptiæ* dicebantur, quæ, adhibitis legum ceremoniis, cum effectu juris civilis, contractæ erant, & *lege nubunt*, vel *ducunt*, qui ducunt, ut *leges* jubent; v. Perrenon. I. *Var. lect.* 9. (2) Athenis Diana pariter, ac reliqui γαμήλιοι Θεοὶ, ante nuptias invocabatur, Euripid. *Iphig. in Aulide vſ.* 1110. Spartanæ matres, filias elocantes, Veneri Junoni ſacrificia offerebant, Pauſan. in *Lacon.* Romæ nihil religioſius erat, in ſacris, confarreationis vinculo, Plin. XVIII. 3. Apud Hebræos piæ preces interveniebant, & paterfamilias novis nuptis benedicebat: unde benedictionis initia mature ad primos Chriſtianos manarunt. v. Grot. *ad Matth.* XXV. *vſ.* 1. Selden. *Ux. Hebr. II.* 28. & 29. & Carpzovius *de Chuppa Hebr.* (3) Neceſſitatem vero hodiernæ hierologiæ Leo in Oriente *Novell.* 89. citius Euariſtus Pontifex & Carolus Magnus VI. *Capit.* 120. 327. VII. 179. in Occidente introduxerunt, & Concilium Tridentinum, *Seſſ.* 24. firmavit; (4) Trina proclamatio eſt loco peremptoriæ citationis omnium, quorum intereſt, matrimonium illud non conſummari. Sedes ejus eſt in *c.* 27. X. *de Sponſal. c.* 3. X. *de Clandeſt. deſponſ.* v. Bornius *de Banno nupt.* (5) Reges & Principes ſolennibus his ſunt ſoluti: recte autem ineunt *matrimonium conſcientiæ*; & minus

nii ſunt juris civilis. certa quædam requiſita ſueverunt addere leges civiles, quæ ſi obſervata non fuerint, in foro civili pro validis non habentur: ita & circa matrimonium contingit, dum alicubi per leges civiles, honeſtatis & boni ordinis cauſa, Solemnia quædam requiruntur (*h*). Quæ licet extra jus naturale (*i*) ſint; citra illa tamen, qui legibus civilibus ſubjiciuntur, legitimum matrimonium non contrahent (*k*); aut ſaltem ejusmodi conjunctio effectus juſti matrimonii in civitate non habebit.

J. N. & G. *l.* VI. *c.* I. §. 8, 36.

Of-

ſolenne cum impari *ad morganaticum*, de quo alii affatim egere, v. Notas ad Böckelm. *Diff. c.* XXV. §. 31. Otto.

(*g*) *Cæterum uti aliis contractibus*] Legem Civilem varia circa matrimonium diſponere poſſe, dubitandum non eſt. De cætero dispoſitiones Civiles vel reſpiciunt *perſonas paciſcentes*, dum conſanguinitatis & affinitatis prohibitio latius extenditur, vel *modum paciſcendi*, dum proclamatio, hierologia, conſenſus parentum, velut pars actus, ſimiliaque requiruntur. Exinde etiam diſcrimen ſponſaliorum & nuptiarum, matrimonii ſolennis & minus ſolennis, in civitatibus repetendum eſt. De cætero Leges illas Civiles explicat Jurisprudentia Particularis, de quo egi in *Specim. Jur. Eccleſ. l.* IV. *c.* I. 2. 3. 4. Titius.

(*h*) *Solemnia quædam requiruntur*] Cum interſit, inde humanæ Societatis in univerſum, ut ſinguli vago & illicito concubitu prohibeantur; hinc ſingulorum conjugum, ut uterque contra alterius perfidiam, ſi qua fuerit, aliorum ſubſidio muniatur; poſtulat uterque finis, coram idoneis teſtibus Votum Matrimoniale ſuſcipi. Sed & quas alias licitas ſolennitates Leges uſquam civiles hic requirunt, illas unusquisque civis in hoc negotio tenetur adhibere; eas præſertim, citra quas non initur matrimonium, ad eſſentiales ejus effectus in foro civili validum: imo has qui negligit, *illiciti concubitus* notam incurrit: ſi quæ vero non ſimpliciter imperatæ ſolennitates, ad certos tantum effectus non eſſentiales pertineant, ut ad Conjugis vel Liberorum dignitatem, patrimonium, & ſimilia; hæ pro lubitu adhiberi poſſunt vel omitti: unde *Matrimonium ſecundarium*, quod dicitur, utut noſtris moribus parum ſit cognitum, non eſt cum *Concubinatu* confundendum. Carmich.

(*i*) *Quæ licet extra jus naturale*] Ut ſine dubio ſubditi Legibus civilibus obſequi debent, ita, ſi eædem de facto negligantur, pœnam nullitatis legiſlatori ſtatuere licet, ita ut matrimonium, ſine juris civilis præſcripto initum, penitus nullum ſit, nec effectus legis divinæ, actum conſenſualem præſupponentes, ſequantur. Raro tamen tam rigide Imperans hic verſatur, ſed potius, ſalvo matrimonio, in trangreſſores aliter animadvertit. Titius.

(*k*) *Legitimum matrimonium non con-*

X. Officia mutua mariti & uxoris.

Officium (*l*) mariti eſt (*), uxorem diligere, nutrire, regere atque defendere, Uxoris, maritum amare, honorare; adjutorio eſſe ei, non ſolum in generanda & educanda ſobole, ſed & in parte curarum domeſticarum capeſſenda. Utrinque autem indoles tam arctæ conjunctionis requirit, ut conjuges tam proſperæ, quam adverſæ fortunæ ſint ſocii, & ſi qua alterutri calamitas

contrahent] Nimirum quatenus ſunt in civitate: eam ob cauſſam improbantur in ſtatu civili illa matrimonia, quæ Galli appellant *les mariages de conſcience*, in quibus nihil deficit, quod ad juſtum conjugium requiritur, præter ſollemnia: dominus tamen legum civilium ob civitatis & reipublicæ commoda ea matrimonia ſine læſione juſtitiæ inire poſſe videtur; eſt enim ſupra leges ſuas. Vid. Genzken *diſſ. de matrimonio clandeſtino Kiloni* 1709. *hab.* Treuer.

§. X. Officia conjugum fluunt (1) Ex regulis *juſti*, quatenus ſibi ſolis corporis uſum & cohabitationem pacti ſunt, quam Juſtinianus *individuam vitæ conſuetudinem*, Tertullianus *convictum & individuum uſum*, Lactantius *individuam caritatem* appellavit. (2) Ex principiis *honeſti* & *decori* mutuum ſibi debent amorem, 1 *Cor.* VII. *vſ.* 10. uxor vero honorem & obſequium marito, tanquam capiti & principi familiæ, præſtat, *Eph.* V. *vſ.* 22. *Col.* III. *vſ.* 18. Contra mariti eſt, protegere ac defendere uxorem, neceſſaria ei præbere, & imperium cum humanitate, ſine verberibus, exercere, *Eph.* V. *vſ.* 28. 29. *l.* 54. *D. de donat. int. vir.* vid. Socratis exemplum, apud Gell. I. 17. (3) In legibus *civilibus* definitum eſt, quod uxor fulgeat dignitate mariti, ejus ſequatur domicilium, ſacra, forum, & exulem comitetur. *Quid tam humanum eſt, quam fortuitis caſibus mulieris maritum, vel uxorem viri participem eſſe?* quærit Ulpianus, in *l.* 22. §. 7. *D. ſol. matr.* (4) Ex priſco inſtituto Romæ maritus coram propinquis de capite conjugis ac fama cognoſcebat, ſi in manum ejus conveniſſet, Dionyſ. II. 17. & Tacit. XIII. *Annal.* 32. (5) Regulariter conjux ex conjugis delicto non tenetur, *l.* 2. *C. ne ux. pro mar.* niſi culpa mariti, uxorem non cohibentis, concurrat, *l.* 4. §. 2. *D. de eff. proc.* nam *viri in eo culpa, ſi femina modum excedat*, ait Valerius Meſſallinus, apud Tacit. III. *Ann.* 34. Atque ſecundum hæc legibus Angliæ maritus pro offenſis uxoris, lingua vel opera patratis, obligatur, quod poteſtate ſua non ſit uſus. v. Chamberlaine, *p. I. not. angl.* 16. & Matth. *de crim. proleg.* 1. *n.* 16. Otto.

(*l*) *Officium*]. De his officiis diſpicit ethica. Treuer.

(*) *Officium mariti eſt*]. Officia conjugum, aut generalius, quæ circa propagationem uſumque Veneris occurrunt, ex tractatu præcedente intelligi debent. In genere id ſaltem hic admonendum, quod ex quatuor fontibus illa repeti queant: (1) *Ex Jure Naturali, huic negotio proprio*, quæ vel *Veneris uſum in genere*, vel *ſocietatem matrimonialem ineundam*, vel *initam & contractam*, reſpiciunt, ad ultimam claſſem pertinent, quæ Auctor §. 10. *b.* retulit, (2) *Ex communibus ſocialitatis decretis*, vid.

Digitized by Google

tas obtingat, ab altero ſubleventur; nec minus ut prudenter mores ad concordiam invicem tolerandam attemperent; qua tamen in parte concedere, magis uxoris eſt.

c. 2. §. 1. h. l. lit. (*g*). (3) *Ex jure divino poſitivo univerſali*, quo referunt prohibitionem polygamiæ, divortii & graduum nonnullorum in conſanguinitate & affinitate, ſed illa Juri Naturali heic adſcripſimus, quod ſi admittas, tertius fons exareſcit; (4) *Ex jure humano*, circa quod ſatagit Jurisprudentia Particularis. Titius.

CA-

Digitized by Google

Caput III.

De Officiis Parentum & Liberorum.

Summaria.

I. *Status adventitius* ii. *Parentum & liberorum, in quos patria poteſtas.*
II. *Ejus fundamentum.*
III. *Competit primario patri, ſecundario matri.*
IV. *Quid operetur?*
V. *In liberos ætatis primæ,*
VI. *Et adultæ,*
VII. *In ſtatu naturali,*
VIII. *Ac civili.*
IX. *Solvitur exceſſu prolis e familia, manente reverentia.*
X. *Poteſt adminiſtrari per alium.*
XI *An neceſſarium reddat conſenſum parentum in nuptiis liberorum?*
XII. *Officia parentum*
XIII. *Et liberorum.*

Grot. *de* J. B. & P. *l.* ii. *c.* 5. §. 1—7.

Ex matrimonio provenit proles, in quam conſtituta eſt Potestas patria (*m*); antiquiſſimum juxta ac ſanctiſſimum genus imperii, quo paren- I. Poteſtas patria imperium vetuſtiſſimum.

§. I. Generationis effectus eſt duplex: (1) Reſpectu parentum oritur obligatio, ad educandam prolem, eique reſpondet imperium, tanquam medium neceſſarium actiones liberorum ad vitam beatam dirigendi. (2) Liberis contra incumbit obſequium & reverentia, quam Pomponius ad *jus gentium* refert in *l.* 2. *D. de juſt. & jur.* & Ulpianus in *l.* 1. §. 1. *D. de obſeq. parent.* Cicero II. *ad herenn.*

parentum juſſa venerari, eorundemque præ ſe eminentiam agnoſcere liberi tenentur.

J. N. & G. *l.* VI. *c.* 2. §. I.

II. Quibus illa nitatur fundamentis?

Oritur imperium parentum (*n*) in liberos duplici

renn. 13. Natura jus eſſe, ait, ut parentes a liberis colantur. Tacitus XV. *Ann.* 19. id fieri debere, ſcribit, *propter jus naturæ & labores educationis.* Valerius Maximus V. *c.* 4. *n.* 7. *Diligere parentes, prima naturæ lex eſt.* Plinius *Paneg.* 38. vi *legique naturæ* adſcripſit, quod liberi in *ditione* parentum exiſtunt, id eſt, in ſpecie imperii, quæ magis ſit auctoritas & diſciplina, quam ἐξουσία. vid. Præfat. *ad tom. II. Theſ. pag.* 22. (3) Apud Romanos autem varia, ratione imperii, durationis & acquiſitionis, occurrunt ſingularia; quapropter, in hac materia in primis, effectus patriæ poteſtatis, duriores veteris juris Quiritium, ab illis, quos ſimplicitas naturalis & jus gentium ſuggerit, ſunt diſtinguendi: nec enim ulli alii fuerunt populi, qui talem, id eſt, tantam, indulſerint civibus in liberos poteſtatem, §. 2. *Inſt. de patr. pot. l.* 3. *D. de his qui ſui.* Hinc poteſtas illa *ex jure Romano*, & *lege Quiritium* in *l.* 1. §. 2. *D. de rei vind.* & alibi, *Patria majeſtas* apud Val. Max. VII. 7. & Quintil. *Decl.* 376. vocatur. Lactant. IV. *Div. inſt.* 3. *Dominum eundem eſſe, qui ſit pater, etiam juris civilis ratio monſtrat: quis enim poterit filios educare, niſi in eos habeat domini poteſtatem?* Otto.

(*m*) *Poteſtas patria*]. Non hæc tantum circa ſobolem natam occurrit, ſed generalius potius *reciprocum aliquod jus & obligatio*, nam parentes obligantur liberis[1], cui adeo obligationi in his jus reſpondet, & vice verſa, parentibus competit aliquod jus, vel imperium, quod in liberis obligationem neceſſario requirit. Interim, loquendi compendio, totus ille nexus moralis nomine poteſtatis patriæ exprimitur. Titius.

§. II. Varias hic vias ingreſſi fuerunt Eruditi. Grotius II. *c.* 5. §. 1. fundamentum hujus poteſtatis in generatione quærit, & utrique parentum educanti eam concedit. Hobbeſius *de cive c.* 9. §. 3. extra conjugium matri tribuit imperium ex occupatione; cui Cel. Leyſerus *Spec.* 18. *ad D. n.* 1. adſtipulatur. Auctor neceſſitatem vitæ ſocialis & conſenſum liberorum præſumtum urget. Gravinæ II. *Orig.* §. 10. uxor a marito occupata videtur. Kerkradius ad imperium mariti in uxorem; Hornius & Coccejus ad voluntatem divinam confugerunt. (2) Simplicius vero ita procedit demonſtratio: qui nuptias ineunt, de liberis ſuſcipiendis cogitant, vel cogitare debent: ſuſcepti educandi ſunt, ut utilia ſocietatis evadant membra: ad educationem vero imperio opus eſt, quo morum impedimenta reſecentur. Quemadmodum ergo regulæ juſti, honeſti & decori utrique parenti educationem injungunt, ſic & media eo pertinentia illis largiuntur; ambos etiam ſtimulus amoris, alte a natura impreſſus, ad hoc officium rapit. *Utrique parenti communis eſt fœtus*, ait Plutarchus *de Fœt. amore.* (3) At ſicut plures domini ſæpe non idem jus habent, & dominium uxoris naturale fundi dotalis, inæſtimato dati, conſtante matrimonio, cedit dominio mariti civili, ita jure gentium primæ partes ſunt patris, ſecundæ matris: ſed jus poſitivum Romanum,

ad

PLICI potiſſimum de CAUSA (*o*): primo quia ipſa lex naturalis (*p*), dum ſociabilem eſſe hominem juſſit, PARENTIBUS CURAM LIBERORUM injunxit (*q*); quæ ut eo minus negligeretur, tenerrimum ſimul affectum in prolem natura iisdem implantavit. Iſti curæ exercendæ requiritur poteſtas liberorum actiones dirigendi ad ipſorum ſalutem, quam ipſi,

ad colliſionem vitandam, ſoli patri poteſtatem, una cum educatione, dedit; maxime quia uxor ſe ſuosque mariti imperio pacto ſubjicit; is etiam ad regendos liberos prudentior eſt, & auctoritate majore pollet. Quinimo paterfamilias regimen totius familiæ habet, & *princeps familiæ* dicitur: reliqui in familia ſunt, ſed familiam non habent, *l.* 196. *D. de V. S.* OTTO.

(*n*) *Oritur imperium parentum*]. Sicut erga ſobolem, tam naſcituram quam natam, non tantum parentes. ſed & alii homines communia ſocialitatis præcepta obſervare tenentur, ita proles nata ad obſervantiam Legis Naturalis apta reddenda, adeoque ſollicite educanda eſt, hoc onus autem Lex Naturalis merito imponit parentibus, quia, ſobolem generando, in illud conſenſerunt. Cum porro educatio rite peragi nequeat, niſi aliquod imperium parentibus tribuatur, hinc ex eodem fonte illud fluere manifeſtum eſt: recte igitur cum Grotio *de J. B. & P. l. II. c.* 5. §. 1. dixeris, imperium parentum oriri ex generatione. TITIUS.

(*o*) *Duplici potiſſimum de cauſa*]. Fruſtra illam ſententiam vellicat Auctor, *h.* & *l.* VI. *c.* 2. §. 1. 4. dum, *ſolam generationem ad titulum imperii in ſobolem humanam conſtituendi, non ſufficere*, cenſet, ac cum *proles abeat in perſonam, nobis ſimilem, & quæ, quantum ad jura, hominibus naturaliter competentia, nobis eſt æqualis, inde, ut nobis fiat inæqualis, ſeu ut noſtro imperio ſubjiciatur, alio utique titulo opus eſſe*, arbitratur, nam proles homo quidem eſt, ſed judicio proprio deſtitutus, ac ſollicite opera aliorum educandus, quo reſpectu parentibus eſt inæqualis, ob eamque conditionem illorum imperium ſubire tenetur. IDEM.

(*p*) *Primo quia ipſa Lex Naturalis*]. Nec etiam meliora afferre poteſt Auctor. Dicit, *imperium parentibus competere ob neceſſitatem educandi.* Ita eſt, ſed utrumque ipſis competit ob conſenſum ex generatione colligendum. IDEM.

(*q*) *Parentibus curam liberorum injunxit*]. Ut ſinguli, quo ſtatu in mundum veniunt, aliorum hominum cura ac tutela manifeſte indigent; ita hanc illi in primis, qui vitalis iis auræ hauriendæ fuerant Auctores, tenentur impendere; idque non ſolum, quæ ad vitæ animalis conſervationem pertinent, pro ratione ſuarum facultatum, ſuppeditando; ſed præcipue mentes eorum atque mores ad honeſtatem formando; ut nec pereat, quam Liberis ſuis dederant, vita; nec aliis moleſta, iis ipſis gravis & erubeſcenda, evadat. Et hæc quidem obligatio ex ipſa generatione neceſſario fluit, ſive cum *Titio* ſupponamus generantem in eam conſenſiſſe, ſive non. Porro, cum iſti obligationi poteſtas parentalis indivulſo nexu cohæreat; quin hanc quoque poteſtatem cum *Grotio lib. II. cap.* 5. §. 1. in generatione dicamus fundari, nihil obſtat. Confer *Locc. Tract. Poſt. de Imperio cap.* 6. CARMICH.

ipſi, propter judicii defectum, nondum intelligunt. Deinde id imperium (*r*) TACITO QUOQUE CONSENSU PROLIS nititur (*s*). Nam recte præſumitur, ſi infans eo, quo ſublatus eſt, tempore uſum rationis habuiſſet, ac perſpexiſſet, vitam ſe citra parentum curam ac junctum ipſi imperium ſervare non poſſe, lubenter illum in id conſenſurum commodamque ſibi educationem ab iisdem viciſſim fuiſſe ſtipulaturum. ACTU (*t*) autem parentibus (*v*) imperium in prolem conſtituitur, quando illam tollunt nutriuntque, & in commodum humanæ ſocietatis membrum pro virili formandam ſuſcipiunt (*x*).

J. N. & G. *l.* VI. *c.* 2. §. 1-4.

Cum

(*r*) *Deinde id imperium*]. Alter titulus eſt *conſenſus tacitus*, *vel præſumtus*, *ipſius infantis*. Verum uti tacitum & præſumtum hic confunditur, ita ad aſſerendam obligationem fruſtra ejus præſumitur conſenſus, qui diſſentire nec poteſt, nec debet, add. *Obſerv.* ad l. 1. c. 9. § 9. lit. (*c*). TITIUS.

(*s*) *Tacito quoque conſenſu prolis nititur*]. Merito hic obſervat *Titius*, *tacitum* conſenſum ab Auctore dici pro *præſumpto*; ſed & ipſam præſumptionem eſſe ſuperfluam. Vide *Suppl. IV.* §. 2. CARMICH.

(*t*) *Actu*]. Hoc eſt, tum demum imperium in prolem a parentibus recte exercetur, quando obligationem, cui id connectitur, actu explendam ſuſcipiunt. IDEM.

(*v*) *Actu autem parentibus*]. Hoc ex præcedentibus fluit, ſi enim imperium ad explendam obligationem, parentibus conceditur, facile liquet, quod illud tum demum ſequatur, ſi ii hanc actu ſubeant. TITIUS.

(*x*) *Suſcipiunt*]. Imperium parentum in liberos HOBBESIUS per matrem, quæ prima infantem habet in ſua poteſtate, (*ſed tamen tamquam æqualem ſibi hominem*,) deduxit in patrem *tr. de cive c.* 9. §. 2. 3. ABRAHAM A KERKRAAD *diſſ. de jure patrio*, *Ultrajecti* 1708. 8. *p.* 7. *ſqq.* ex imperio mariti in uxorem, (*quod tamen J. N. fundamentum nullum habet*,) originem demonſtrare voluit liberosque melioris conditionis eſſe non poſſe dixit, quam ipſam matrem: quod idem propugnat HOUTUYN *polit. contr. gen.* §. 16. *n.* 5. GROTIUS *lib. II.* 5. ex generatione id deducit, adeoque parenti utrique jus in liberos vindicat: quod tamen PUFENDORF, HOBBES & HOUTUYN refutant: quum nemo duobus dominis ſervire, nec generatio æqualitatem tollere queat. KULPISIUS aliique cum auctore ad conſenſum tacitum infantum provocant: ſed tantum præſumtus conſenſus hic datur, qui nihil roboris naturaliter habet ad jus imperii conſtituendum. Si dicendum, quod res eſt: jure perfecto & ſtricte ſic dicto nulla ratio adferri poteſt, unde parentes habeant imperium in liberos, qui naſcun-

Cum autem ad generationem (y) ſobolis NON MATER MINUS, QUAM PATER concurrat, adeoque phy- III. Utra potior poteſtas, patris matrisve?

ſcuntur vere liberi & parentibus naturaliter æquales. Nihil hic fortius parentes movere poteſt, quam neceſſitas infantum, quæ efficit, ut, quum jus perfectum deficiat, jus imperfectum in eorum gratiam & conſervationem ſuccedat. Si enim ſtatum infantum conſideremus; illi in caſu ſummæ neceſſitatis verſari videntur, in quo ipſis ſine aliorum interventu pereundum eſt. Quilibet ergo tenetur iis ſuccurrere, inprimis autem parentes, qui non tantum primi illorum neceſſitates cognoſcunt, ſed etiam per generationem ſuam in culpa ſunt, cur in iſtum ſtatum neceſſitatis devenerint: quibus tamquam cauſſa perſuaſoria accedit, eos e ſanguine ſuo eſſe prognatos. Hinc parentibus, tamquam cauſſis moralibus neceſſitatis infantum, primario incumbit infantes, tamquam homines ſibi æquales, ſublevare & omnia in eosdem conferre, quæ ad ſalutem eorum pertinent. Parentes itaque poteſtate in liberos uti non tantum poſſunt, ſed etiam tenentur interna obligatione; at vero poteſtate maxime temperata & ad ſalutem infantum accommodata: omnia ex decori principiis paragenda: nulli imperio hic locus eſt. Quidquid extra hosce cancellos vagatur, res facti eſt, non juris, & vel ad mores gentium particulares, vel leges civiles pertinere cenſendum eſt. Conf. GERHARDI *delin. J. N. l. III. c.* 3. TREUER.

§. III. Quamdiu parentes in educatione ſunt æquales, etiam poteſtas eorum, in ſtatu naturali, pariter ac in civili, tam in illegitimos, quam in legitimos eſt æqualis. (2) Si pater filios, mater vero filias, educat, ut apud Babylonios, utriusque parentum intra fines ſuos poteſtas eſt. (3) Si vero unus parentum, ex lege vel pacto, moleſtias educationis ſubit, ei ſoli quoque poteſtas in liberos competit. Sic apud Ægyptios ex pacto obtinuit, *ut plus poteſtatis & honoris eſſet penes reginam, quam regem*, auctore Diodoro l. 27. Romæ autem, ex lege & more civitatis, pater educabat, quem juſtæ nuptiæ demonſtrarent, *l.* 3. *C. de alend. lib.* (4) Patre mortuo, jus matris ſuſpenſum naturaliter reviviſcere debere; ſed apud Romanos ſola reverentia contenta eſſe debuit: *Pietas enim parentibus, etſi inæqualis eſt eorum poteſtas, æqua debebitur*, ait Ulpianus in *l.* 4. *D. de curat. fur.* ad quam vid. Cl. Noodt, II. *Obſ.* 15. (5) Reginæ, quæ maritum ſuum, non Regem, imperio civili ſubjectum tenet, *παιδοτροφία* competit. Sic Anna, magnæ Britanniæ quondam regina, ducem Glocestriæ ad præſcriptum ſuum educari curaſſet, ſi is vitalis fuiſſet. v. Palthenii *Diſſ. de Reginæ marito.* (6) Si extra matrimonium de patre non conſtat, vel ſi is jure ſuo non vult uti, naturaliter penes ſolam matrem eſt poteſtas, ſi libera ſit; partus vero ancillæ, matris ſuæ dominum & conditionem ſequitur, *l.* 5. §. 1. *l.* 24. *D. de ſtatu hom.* ubi Ulpianus; *Lex naturæ hæc eſt, ut qui naſcitur ſine legitimo matrimonio, matrem ſequatur.* Grotius in *Flor. ſp. &* II. *de J. B. & P. c.* 5. §. 29. & *c.* 12. §. 26. vocem *naturæ* ibi per abuſionem ſumi exiſtimavit; ſed Cicero III. *N. D.* 18. ait, *Jure naturæ, qui Dea matre eſt, Deus ſit neceſſe eſt:* & quem alium infelices illi ſequerentur, quorum populus pater eſt? vid. *l.* 1. *in fin. D. ad municip. l.* 1. *C. Th. de Colleg.* Ulpian. *tit. V.* §. 8. OTTO.

(y) *Cum autem ad generationem*]. Cui imperium partium naturaliter competat, quæri etiam ſolet? Hobbeſius *de Civ. c.* 9. ex inſanis ſuis hypotheſibus, primævum jus matri tribuit, a qua illud in pa-

phyſice proles utrique ſit communis, disquirendum, UTRIUS JUS IN PROLEM SIT POTIUS (z)? Super qua re diſtincte (*a*) pronunciandum. Si enim EXTRA MATRIMONIUM (*b*) proles ſit generata, illa primo matris erit; quia pater heic, niſi indicio matris, cognoſci nequit (*c*). Inter eos quoque, qui IN LIBERTATE NATURALI ET SUPRA LEGES CIVILES degunt, pacto conveniri poteſt (*d*), ut non patris, ſed matris jus potius ſit. Sed IN CIVITATIBUS, utique per mares conſtitutis, cum re-

trem aliosque derivetur, ceu refert Auctor *l. IV. c.* 2. §. 2. 3. ſed iis immorari operæ vix eſt pretium. TITIUS.

(z) *Utrius jus in prolem ſit potius?*] Quæſtio hæc ex regulis jurisprudentiæ naturalis decidi nequit: imperium enim proprie tale parentibus in liberos naturaliter non competere jam oſtendimus: multo minus ergo inquiri poterit, quinam parentum majus habeat jus imperandi. Sed ratione officii mater magis teneri videtur, quam pater; quia inter omnes homines maxime habilis eſt ad infantem in neceſſitate ſua ſuſtentandum, & alendi adminicula a natura accepit, ad quæ infans jus perfectum ob ſummam neceſſitatem nanciſcitur. Prima quoque eſt, cui ſumma infantis neceſſitas innoteſcit, eaque ipſa conſenſit in infantem ea in neceſſitate collocandum. TREUER.

(*a*) *Super qua re diſtincte*]. Ex ſententia Auctoris, ſi extra matrimonium verſemur, matri jus potius in prolem competit, in ſobolem vero, ex legitimo matrimonio natam, jus æquale eſt, niſi pacto vel lege poſitiva aliud cautum, add. *d. c.* 2. §. 5. Sed non apparet ratio, cur patri, ſi de eo conſtet, in ſobolem illegitimam non ſit tantum juris concedendum, quantum matri; hinc malim, in genere æqualitatem aſſerere, quamdiu pacto aut lege aliud conſtitutum non eſt, quæ ultima in civitatibus frequentiſſima eſt, ac ita jus patrium formare ſolet, ut matri illud plane non competat. TITIUS.

(*b*) *Extra matrimonium*] Intellige, *& citra ullum pactum*: pacto enim hæc res determinari poteſt: etiam extra juſtum matrimonium; ut plerumque ſit in concubinatu, confer *J. N. & G. h. t.* §. 5. imo, ſi citra pactum quocunque modo de patre conſtet; nihil apparet, cur non tum jus, tum obligationem, inter utrumque Parentem dicamus communicari. *Hobbii* deliramenta, de matris jure ex occupatione orto, negligimus: nam ſi vel maxime partus humanus eſſet idoneum Dominii objectum (cujus contrarium infra patebit) conſiderari tamen deberet, in hoc caſu, ut alterius rei acceſſio, eoque nomine occupationis titulum præcluderet. CARMICH.

(*c*) *Cognoſci nequit*]. Argumento huic J. N. infirmo alia ejusdem roboris addi ſolent: (2) patris concurſum ad prolem generandam eſſe voluptuoſum tantum: (3) matrem vero non tantum per tot menſes infantem in utero alere, ſed cum ſummo dolore edere in lucem: (4) matrem infantem primum habere in ſua poteſtate. TREUER.

(*d*) *Pacto conveniri poteſt*]. Si vel maxime a Legibus civilibus abſtrahamus; lex tamen DEI poſitiva, dum in matrimonio poteſtatis præ-

Digitized by Google

regulariter contractus matrimonii a mare incipiat, & is caput familiæ ſit (*e*), potius erit jus patris (*f*), ſic ut, licet proles matri utique reverentiam, gratumque animum debeat, juſſis tamen matris non obligetur, quæ quidem non iniquis patris præceptis repugnant. Defuncto tamen patre (*g*), jus ipſius in prolem, ſaltem nondum adultam, MATRI videtur ACCRESCERE (*h*), &, hac ad ſecundas nuptias tranſeunte, VITRICO, ſiquidem ipſe in fidem & curam naturalis parentis ſuccedat. Et qui deſertum, aut orbatum parentibus liberaliter educandum ſuſcipit, jure ſuo ab eo filialem obſervantiam exigere poteſt.

J. N. & G. *l.* VI. *c.* 2. §. 5.

prærogativam tribuit viro, huic etiam in prolem legitimam præcipuum jus concedit. CARMICH.

(*e*) *Et is caput familiæ ſit*]. Quia Mares ſunt capita ſuarum familiarum, ideo per eos Civitates ſolent conſtitui; potius quam vice verſa: eſt itaque illa Marium prærogativa Civitatibus antiquior. IDEM.

(*f*) *Potius erit jus patris*]. Hæc & ſequentia ex regulis decori deducuntur; non vero ex jure naturæ poſſunt demonſtrari: convenit ita civitati, quæ a mare condita: convenit familiæ, cujus caput pater eſt: & ita etiam more apud plurimas gentes receptum eſſe conſtat: alia vero quæſtio eſt, an exin potius jus perfectum patri accreſcat in liberos, quam matri; quum poteſtas civilis & patrisfamilias tamquam capitis familiæ penitus differat a poteſtate patria, nec altera alteram ſtatim involvat. Sic de Ægyptiis refert DIODORUS SICULUS *l. I.* 27. in honorem ISIDIS apud eos uſu receptum fuiſſe, ut regina plus habuerit poteſtatis & honoris, quam rex: quod & feminæ privatæ in pactis ſunt ſtipulatæ, ut nimirum mariti ſibi obtemperarent per omnia. vid. WALDKIRCH *ad Pufend. h. l.* TREUER.

(*g*) *Defuncto tamen patre*]. Transmiſſio juris patrii, quæ hic aſſeritur, admitti poteſt, ſi juxta ſolum Jus Naturæ illud ſpectetur, aſt ſi id conſideres, quatenus Lege Civili variis effectibus actum eſt, transmiſſio non obtinet, niſi diſerte lex hoc velit, quod exemplo Juris Romani intelligitur. TITIUS.

(*h*) *Matri videtur accreſcere*]. Intelligendum eſt hoc de illo *Jure parentali*, proprie ſic dicto, quod Liberorum educationem ſpectat; non de jure, quod in ſtatu naturali familiæ ſegregis capiti convenit ut tali, quodque cum dominio Soli ad hujus hæredem tranſit; nec de jure, quod quorundam populorum, in primis Romanorum, Legibus Civilibus, Patri ſpecialiter eſt conceſſum, & quod cum ipſo patre exſpirat. Quod autem de Vitrico hic additur, ſi forte Agnati diſſentiant, non eſt adeo exploratum: imo variorum populorum legibus aliter eſt diſpoſitum. v. *Cod. lib. V. tit.* 49. *l.* 1. CARMICH.

IV. Poteſtas patris qualis ſit.

Ut autem accurate (*i*) intelligatur, quanta PARENTUM ſit IN LIBEROS POTESTAS, diſtinguendum (*k*) eſt tum inter PATRESFAMILIAS SEGREGES, & QUI IN CIVITATEM SUBIERUNT; tum inter POTESTATEM, QUAM HABET GENITOR, UT TALIS, & quam habet, UT EST CAPUT SUÆ FAMILIÆ. PATRI, UT TALI, cum ſit a natura injunctum, ut liberos bene educet, quo in commoda humanæ ſocietatis membra evadant, quousque ipſi ſibi proſpi-

§. IV. Thom. Hobbeſius *de Cive c.* 9. *n.* 7. ait, liberos non minus, quam ſervos, patri eſſe ſubjectos, nec parentes, quamdiu in eorum ſunt poteſtate, eis injuriam facere poſſe. Sed liberi parentibus naſcuntur æquales, nec Romæ plene in eorum patrimonio eſſe cenſebantur, *l.* 14. §. 1. *D. de ſerv. corr.* (2) Titius non opus eſſe putat diſtinctione, hic propoſita, inter patrem, ut genitorem, vel ut caput familiæ conſideratum; verum ſufficere diſtinctionem inter ſtatum naturalem & civilem. Sed contrarium infra *ad* §. 7. apparebit. (3) In neutro ſtatu limites poteſtatis ſunt majores, quam neceſſitas educationis requirit, quia media ex fine æſtimantur. (4) Hinc abortum procurare, liberos natos exponere, vel ſuſceptos immoderate caſtigare, aut necare, illicitum eſſe, vel ſola lex, *Non occides*, evincit. (5) Romanis diu crimen non fuit ejicere conceptum; quia embryonem, non ut animal, nedum ut hominem, ſed tanquam portionem viſcerum maternorum conſiderabant, *l.* 1. §. 1. *D de ventr. inſp. l.* 9. §. 1. *D. ad L. Falc.* niſi alterius. v. g. mariti, intereſſet, *l.* 4. *D. de extr. crim. l* 8. *D. ad L. Corn. de ſic l.* 39. *D. de pœn.* Cicero *pro Cluent c.* 11. Merill. I. *Obſ.* 16. (6) *Expoſitio* quoque infantum iisdem pariter olim, ac pleriſque gentibus aliis, fuit uſitata, quas Ariſtoteles nec damnat, nec probat VI. *Pol.* 16. De Ægyptiorum vero laudatis moribus eſſe, ſcribit Strabo XVII *p.* 1179. quod *omnem prolem educant.* Thebanos hac culpa liberat Ælianus II. 7. Germanos Tacitus *de M. G. c.* 19. alii alios, apud Lipſium, *Cent.* 1. *ad Belgas*, *Epiſt.* 85. Ad *l.* 4. *D. de agnoſc. vel alend. lib.* Cl. Noodt in *Jul. Paulo*, & Ill. Bynkershoek *Opuſc. de Jure occidendi liberos*, & in *Amica reſp.* diſputarunt. Ego non habeo, quod addam, præter Lactant. VI. 20. *tam nefarium eſt, exponere, quam necare.* OTTO.

(*i*) *Ut autem accurate*]. Ad indolem patriæ poteſtatis penitus intelligendam, recte diſtinguitur inter ſtatum *Naturalem* & *Civilem.* In illo *patrium jus*, *preſſe dictum*, *& imperium civile* amplius diſcernitur, in quo vero illud conſiſtat, tum poſitive, tum negative, hic declaratur, add. *d. c.* 2. §. 6. TITIUS.

(*k*) *Diſtinguendum*]. Alteram harum diſtinctionum concipi debere, ut ſubdiſtinctionem unius membri alterius. Cl. Viri *Titius* & *Weberus* ſubolfecerunt: ſed cum illi poteſtatem Patrum familiarum ſegregum diſtinxerint in eam, quam habet *Genitor* ut *talis*, & quam habet ut *Caput ſuæ familiæ*; ego contra exiſtimaverim, rectius, & accommodatius ad infra dicendorum ordinem, duas haſce diſtinctiones poſſe tranſponi; ita ut quæ apud Auctorem eſt prior, fiat ſubdiſtinctio

ſpicere queant; inde tanta eidem in liberos poteſtas conceſſa intelligitur, quanta ad hunc finem ſufficit. Quæ haudquaquam eousque ſe extendit, ut parentes prolem, intra materna viſcera latentem, elidere, aut editam abjicere, necareque poſſint. Nam excitatur quidem ex ſubſtantia parentum ſoboles; ut tamen in æqualem conditionem humanam cum illis locetur, & injuriæ etiam ab ipſis parentibus capax ſit (*l*). Neque etiam hæc pote-

ctio poſterioris membri alterius. Quippe Poteſtas *Patris* ut *talis* eſt utrinque eadem; quæ vero Patri competit ut *Capiti ſuæ familiæ*, eſt diverſa, prout familia eſt *ſegrex*, vel *civili imperio ſubjecta*, vide infra §. 7. Carmich.

(*l*) *Capax ſit*]. Imperio nullo parentibus in liberos competente facili negotio perſpicere licet, quæ injuriæ ab iis in liberos proficiſci poſſint & a J. N. prohibitæ ſint. Injuſtum enim eſt (1) procreare abortum: geſtant enim matres in utero hominem ſibi æqualem, qui in ſumma neceſſitate verſatur, & alio in loco, quam matris utero, ſervari nequit. Horrenda ſcelera incolarum inſulæ Madagaſcar deſcribit Straussen *Reiſeb. p. II.* Quam male ſuadeat Aristoteles *l.* VI. *polit.* 16. ſuperfluos fœtus abortione removendos eſſe, in vulgus notum eſt. Feminarum Romanarum injuſtitiam hac in parte exponit Noodt *in Julio Paulo c.* 11. (2) Liberos beſtiis exponere, vel intempeſtive abjicere, vel plane occidere, quod Sinenſibus uſitatum. Saars *Reiſeb. p.* 26. item Mengreliis vid. Thevenot *P. IV. p.* 13. 38. Hottentottis vid. Kolbe *Cabo de bonne eſperance P. II. p.* 444. De aliis vid. Noodt *l. c.* Ursini *analecta ſacra l. I.* 6. Ipſe Aristoteles hic a multis vapulat, quando l. c. partus omnes monſtroſos, mancos & læſos tolli necarique vult. Conf. Piccart ad eumdem locum *p.* 1115. (3) Eos vendere in ſervitutem, vel oppignorare ad lucrum captandum: ſi enim aliter ſervari nequeat, in extrema neceſſitate vendere eum licebit; quum ſatius ſit, ut infans in ſervitute miſere alatur & ſervetur, quam ut in libertate enecetur fame. Vid. Datt *de venditione liberorum.* (4) Aleæ eorum libertatem & vitam exponere. Hessen *Oſtindian. Reiſeb. p.* 78. (5) Cogere eos, ut ſe invicem interficiant. Vid. *Mercure hiſt. T* 69. *p.* 238. (6) Vel immoderate caſtigare, ut in morbos vitæque pericula incidant: quidquid enim ex educationis fine per modum diſciplinæ in infantes a parentibus ſtatui poteſt, id eo usque non porrigitur. (7) Nec mutilare infantes, qui pleno jure conſervandæ integritatis corporis fruuntur: in quam legem impingunt Cafri, liberis maſculis teſticulum alterum exſcindentes. Kolbe *l. c. p.* 420. *ſqq.* Conf. *l.* 1. *C.* de eunuchis. (8) Beſtiarum quoque ferociæ ſimulacra ſuperat, liberos in cibum adhibere: quod de Charibeis liberos caſtrantibus, ut ſaginatos comederent, teſtatur Vossius *de Nili origine c.* 18. 19. De populo Peruviano, concubinas alente, ad ſuſcipiendos liberos, quos pinguefactos inter epulas adponebant Garcilasso *de la Vega.* Vid. Lock *de intell. hum. l. I. c.* 3. §. 9. Tandem (9) injuſtum quoque eſt naturaliter, liberos cogere ad pacta ineun-

poteſtas ad jus vitæ & necis ex occaſione delicti exercendum videtur porrigi, ſed ad modicam duntaxat caſtigationem; quippe quæ verſatur circa ætatem teneram, in quam tam atrocia delicta, quæ morte ſint expianda, vix cadunt. Sed ſi tamen citra ſpem emendationis omnem diſciplinam pertinaciter adſpernetur puer, poterit domo patria ejici, atque abdicari.

J. N. & G. *l.* VI. *c.* 2. §. 6.

V. Diſtinctius in primæ ætatis liberos; *Diſtinctius* iſthæc poteſtas (*m*), preſſe accepta, conſiderari poteſt JUXTA DIVERSITATEM ÆTATIS IN LIBERIS (*n*). Nam IN PRIMA ÆTATE, ubi immaturus adhuc rationis uſus eſt, liberorum actiones directioni parentum ſubjacent. Quo tempore, ſi quid

ineunda vel vitæ genus eligendum, de quibus ipſi liberi liberam habent diſponendi facultatem. TREUER.

§. V. Duplex eſt quæſtio, quid pater poſſit in *res*, & deinde in *actiones* liberorum. Ad *res* quod attinet, liberi, etiamſi fuerint infantes, ex donationibus vel hereditatibus maternis acquirunt; quia educatio non eſt modus acquirendi, & acceptio doni a patre, vel a lege, perſonam eorum ſuſtinente, fieri poteſt. vid. Grot. II. *c.* 3. §. 6. (2) Quamdiu vero a patre victum, habitationem & veſtiarium accipiunt, ex operis ſuis eidem patri acquirunt; qui etiam fructus bonorum maternorum ex æquitate ſuos facit, ad levandum onus alimentorum, quod in liberis adultis eſt imperfectum, & ex regulis decori manat. (3) Ex quibus apparet, quid de jure Romano ſit habendum; quo filiusfamilias, reſpectu patris, ſeparatam perſonam non habens, ſoli patri acquirebat: donec ſenſim diverſitas peculii enata fuit. Vide Dionyſ. II. 27. & VIII. 91. OTTO.

(*m*) *Iſthæc poteſtas*] Intelligendæ patriæ poteſtati, preſſe dictæ, cum Grotio *l. II. c.* 5. §. 2. cenſet Auctor, diverſam liberorum ætatem diſtinguendam eſſe, add. *l.* VI. *c.* 2. §. 7. Sed uti illa diſtinctio, quoad liberorum *res*, non eſt neceſſaria, cum earum reſpectu poteſtas ſit uniformis, ita, licet quod *actiones*, creſcente liberorum judicio, directio parentum velut attenuetur & decreſcat, attamen cum ea res in puncto non conſiſtat, ſed magnam habeat laxitatem, ideo in univerſum diſtinctio illa non valde eſt neceſſaria. TITIUS.

(*n*) *Juxta diverſitatem ætatis in liberis*] Quemadmodum *Grotius Lib. II. Cap.* 5. §. 2. *& ſeqq.* tria in Liberis diſtinguit tempora; primum imperfecti judicii; ſecundum judicii perfecti, ſed dum Filius pars manet familiæ Parentum; tertium, poſtquam ex ea familia exceſſit: primum Auctor conſiderat *h.* §. (& ad idem præcipue pertinent, quæ §. *præced.* ſunt dicta) ſecundum §§. 6. & 7. tertium §. 8. CARMICH.

(*o*)

quid bonorum (*o*) ab aliis in impuberem transferatur, id parens loco filii acceptare, & adminiſtrare debet, ut tamen dominium ipſi filio adquiratur: etſi ut fructus patri cedant (*p*), ad plenam uſque filii ætatem, æquiſſimum ſit. Sic & quod ex filii labore lucri aut emolumenti provenit, id merito ſibi pater vindicat; cui ex adverſo filii nutritio & educatio incumbit.

J. N. & G. *l.* VI. *c.* 2. §. 7, 8.

(*q*) IN ADULTA ÆTATE (*r*), ubi *licet* liberi plene VI. In filios ætatis adultæ;

(*o*) *Quo tempore ſi quid bonorum*] De liberorum rebus, ſive propria induſtria ſive aliorum liberalitate obvenientibus, planiſſime dici poteſt, quod earum dominium ad liberos pertineat; Pater tamen, pro ratione alimentorum præſtitorum, ſibi illas aſſerere poſſit, nam dominium aut uſumfructum, alimenta excedentem, ipſi tribuere mero Jure Naturali non licet, ſed illa res a Lege Civili dependet, add. *d. c.* 2. §. 8. TITIUS.

(*p*) *Etſi ut fructus patri cedant*] Cum Liberi per omnem ætatem æque capaces ſint dominii rerum, etiam adverſus parentes valituri; temere Auctor definitionem hujus rei fere Juſtinianeam (vide *Inſt. Lib. II. Tit. IX.* §. 1.) tanquam naturalem propinat. Quid ex Liberorum rebus, Parentibus debeatur ut Altoribus; diximus ſupra, *Supplement.* IV. §. 7. quod iſtum modum excedit, haud ſatis recte Parentes, ſive ex rerum fructibus, ſive ex operis, Liberorum, ut jure naturali ſibi debitum, asſeruerint; ſed ut hi cum illis, vel illi viciſſim cum his, rigidum hic calculum inire velint; nec Parentum, nec Liberorum affectui & officio ſatis convenit. CARMICH.

§. VI. Quod ad *actiones* liberorum attinet, Grotius tria tempora diſtinguit, II. *c.* 5. §. 2. (1) Tempus *imperfecti judicii & ſtatus*; in quo omnes liberorum actiones parentibus ſubſunt, adeo ut iis hanc vel illam artem addiſcendam, ſuæque religionis formulam addiſcendam, & vitæ genus præſcribere, & immorigeros caſtigare poſſint, (2) *Perfecti judicii, ſed imperfecti ſtatus*; & tunc actiones, quæ ad domum & familiam, cujus membra manent, reſpectum habent, parentes moderantur. In reliquis autem, quo magis creſcit judicium, eo magis poteſtas decreſcit: ut tamen verbera linguæ audienda ſint, aliquando etiam modicæ correctioni locus eſſe poſſit: *quos enim ad vitæ decora domeſticæ laudis exempla non provocant, ſaltem correctionis medicina compellit*, ut ait Valent. in *l. un. C. de emend. propinq.* (3) Si & *perfecti judicii*, & *perfecti ſtatus* ſunt liberi, lareſque paternos relinquunt, reverentiam tantum parentibus debent. Romæ vero in rebus privatis poteſtas erat perpetua, niſi pater liberos emancipaſſet; liberi quoque eorundem cum parentibus, quorum in poteſtate, ſacrorum familiarium erant participes, indeque in *ſacris paternis* conſtituti dicuntur *l. ult. C. de inoff. l. ult. C. de cur. fur.* In publicis vero muneribus poteſtas illa paullulum interquieſcebat & connivebat, auctore Gellio II. *c.* 2. Adde aureum P. Ærodii libellum *de Jure patrio*, ad fugitivum

no judicio præditi *ſint*, *cum tamen patria poteſtas* (*s*) commodam (*t*) educationem & gubernationem liberorum pro ſcopo habeat, patet, adultos quoque liberos AUCTORITATEM parentum, tanquam prudentem-

vum filium, contra Jeſuitas ſcriptum, de quo Menagius *in vita Ærodii*, & Bayle in *Ayrault*. OTTO.

(*q*) §. V. & VI. Apud GROTIUM *lib. II. c.* 5. §. 2. tria ponuntur liberorum tempora: (1) tempus imperfecti judicii, cujus certus annus jure naturæ non eſt determinatus, & in cujus intervallo liberi directioni patriæ plane ſubſunt: (2) tempus perfecti judicii, ſed non perfecti ſtatus; in quo tamen pars ſunt familiæ paternæ, ſeque ipſos alere nequeunt: (3) tempus perfecti judicii & perfecti ſtatus, quando egreſſi ſunt familia patria. Conf. BECMANN. *conſ. doctr. polit. c.* 9. *p.* 45. Officia exinde reſultantia auctor explicat: quæ tamen ad finem imperfecti juris, nempe educationem, ſunt componenda, & intra ejus cancellos continentur. Si id, quod juſtum eſt, ſaltem reſpiciamus; ſolus ſtatus neceſſitatis liberorum officii differentiam in parentibus conſtituit. Quousque liberi vitæ ſervandæ adminicula parare ſibi non poſſunt, adeoque in extrema neceſſitate verſantur, parentes perfecte obligati ſunt ad alimentationem iis exhibendam: ceſſante illa neceſſitate, quidquid liberis præſtatur a parentibus, ex obligatione imperfecta decori promanat. TREUER.

(*r*) *In adulta ætate*] Ut circa liberos adultos poteſtatem, quam pater habet, ut *genitor* & ut *caput familiæ*, demum diſtinguamus, ceu hic præcipi videtur, illud quidem opus non eſt, cum potius generaliter utraque illa poteſtas in ſtatu naturali occurrat, quanquam poſterior circa liberos teneros tam frequenter ſe exſerere non videatur, quam adultos. TITIUS.

(*s*) *Cum tamen patria poteſtas*] Revera ad hanc ſecundam periodum, peculiari quodam modo, pertinet ſupra allata & hic repetita diſtinctio: poteſtas enim Patris *ut Capitis Familiæ*, ſicut ad tertiam periodum non omnino pertinet, ita durante prima periodo in poteſtate proprie parentali abſorbetur.

Poteſtas Patri *ut Genitori* in ſecunda periodo competens, quæ hic deſcribitur, nihil eſt aliud quam parentalis illa *Auctoritas* (juxta hujus vocabuli ſenſum vere latinum) quam ad extremum usque vitæ halitum agnoſcere & vereri tenentur Liberi: vide infra §. 8. Et revera, Parentis *Poteſtas* (proprie ſic dicta) quæ filios adultos reſpicit ut in familia adhuc manentes, quæque adeo ad ſecundam periodum pertinet præ tertia, eſt poſterior iſta, quæ parenti convenit ut *Capiti ſuæ familiæ*. CARMICH.

[Hæc nota reſpicit textum Pufendorfii qualis conſpicitur in editionibus prioribus, quemque, ne obſcura Carmichaëlis obſervatio ſit, hic referre oportet: ibi ita legitur. *In adulta ætate, ubi liberi pleno quidem judicio præditi ſunt, pars tamen adbuc familiæ paternæ exſiſtunt, diſtincte conſiderari poteſt poteſtas, quam pater habet* UT GENITOR *& quam habet* UT CAPUT FAMILIÆ; *illa cum commodam* &c. Hanc vero lectionem ita emendatum ivit Weberus, uti in ipſo textu hujus libri videt B. L. Ad eandem vero, quam hic exhibeo lectionem, reſpexit quoque Titius in not. (*r*)].

(*t*) *Commodam*] Patriam poteſtatem, ad res liberorum relatam, eſſe eandem, jam diximus, ſupra §. 5 lit. (*m*) nulla enim ratio alio ducit; ſi vero eadem ad *actiones* referatur, tum, quoad adultos, eſt quidem remiſſior, gradus

dentiorum, ſequi debere. Et qui vult (v) ex paternis bonis ſuſtentari, ac in ea deinceps ſuccedere, neceſſum eſt, ut ad familiæ paternæ rationes ſeſe attemperet; quam moderari utique penes patrem eſt.

J. N. & G. *l.* VI. *c.* 2. §. 10.

Cæterum PATRESFAMILIAS (x), qui nondum in civitates ſucceſſerant, *quatenus familiæ capita*, in domo ſua imperium aliquod, inſtar Principum, gerebant (y). Inde & liberi, in eorum familia adhuc hærentes, ipſorum imperium, tanquam ſummum, venerari debebant. VII. Tam in ſtatu naturali.

J. N. & G. *l.* VI. *c.* 2. §. 11.

Poſt-

tamen accurate determinare non licet, ut diſtinctionem ætatis non valde neceſſariam videri, ſupra *d.* §. 5. lit. (*m*) jam etiam admonitum fit. TITIUS.

(*v*) *Et qui vult*] Ab his verbis incipit Auctor deſcribere poteſtatem Patris ut *Capitis ſuæ familiæ*; quam diſtinctius expendit §. *ſeq.* tum prout illa *in ſtatu naturali*, tum prout *ſub imperio civili*, ſe habet. CARMICH.

§. VII. Fallitur omnino Hornius in *Polit. architect. I. c.* 2. §. 4. quod jus vitæ & necis parentibus in liberos natura competere putat: nam Grotius *ad Matth.* XXII. *vſ.* 30. recte docuit, ex jure naturæ auctoritatem magis parentum, quam poteſtatem, ſive *ἐξουσίαν* naſci, hanc vero ex civilibus populorum inſtitutis & variis moribus repetendam eſſe. (2) Sed tamen quia liberi in ſtatu naturali ſegregum familiarum enormis delicti rei, nulli imperanti, præterquam patri, ſuberant, jus vitæ & necis, huic, non quidem ut patri, aut judici, ſed ut capiti familiæ, & per modum defenſionis, ſi filius reſiſteret, tanquam adverſus hoſtem, competiit omnino. (3) Idem multo magis in Regum liberos obtinet, ſi atrocitas delicti limites paternæ correctionis excedi poſtulaverit. Unde de Philippi II. ſententia, qua filium Carolum, & Petri, Ruſſorum Imperatoris, qua Alexium filium capitis reos damnarunt, judicari poteſt. Priorem vero Petrus Faber III. *Sem. c.* 16 *pag.* 226. *contra fas naturæ, in ſceleris nondum perpetrati reum, ac ne ipſo quidem ſatis comperto*; latam culpavit; ſed *piiſſimi* principis nomen, aut *numen*, offendi, vetat Joh. Solorzanus II. *de Crim. parr. c.* 16, vid. Marville *Melange d'hiſtoire vol. II. pag.* 172. & Cl. Barbyrac. *ad Pufend.* VI. *c.* 2. §. 10. OTTO.

(*x*) *Cæterum patresfamilias*] Hactenus de patria poteſtate, preſſe dicta. Deinde in ſtatu naturali etiam occurrit *imperium familiare*, quod rationem alicujus imperii civilis habet, add. *d. c.* 2. §. 11. TITIUS.

(*y*) *Gerebant*] Illa poteſtas familiaris non quidem ex natura patrisfamilias ejusque attributis J. N. profluxit, nec proprie eſt imperium: ſed neceſſitates variæ, quæ in prima hominum ætate ge-

VIII. Quam in ſtatu civili. *Poſtquam autem* imperium iſtud familiare (z), (uti & alia jura) ad uſum & decus civitatum fuit at-

nus humanum circumſtabant, illud introduxerunt, patresque idem uſurparunt non ut patres, ſed ut capita familiæ, quibus facultas moralis competit per blandiora adminicula membra familiæ dirigendi ad finem communem i. e. ſalutem hujus ſocietatis. Non vero iis jura imperii vere talia tribuenda ſunt: ſi quis enim immorigerum ſe præſtat eorum voluntati; hunc familia ejicere, non pœnas proprias, multo minus capitales ei infligere poſſunt: familia enim non nititur pacto obſequium civile producente. Treuer.

§. VIII. In ſtatu civitatis imperium civile a patria poteſtate eſt diſtinctum, & ab arbitrio Reipublicæ pendet, an jus vitæ & necis ſibi retinere, ut apud Græcos, an autem cum patribus illud communicare velit, quemadmodum apud Perſas, Gallos & Romanos. Ariſtot. VIII. *Nicom.* 10. Cæſar VI. *de B. G.* 19. (2) Idem vero Ariſtoteles *dict.* VIII. *Nicom.* 12. Perſicum jus, ex quo parentes liberis ſuis pro ſervis utebantur, de via deflexiſſe judicat: patrium enim imperium eſſe poteſtatem regiam, quia patri curæ ſint liberi; dominorum vero in ſervos tyrannicum imperium, in quo domini commoda agantur: in diſpares vero diſpar imperium eſſe debere. Similiter quoque Sextus Empiricus *Pyrrhon. III.* 24. legem Quiritium, tanquam *tyrannicam*, inſectatur. (3) Sed utrique licebit opponere judicium graviſſimum Dionyſii Halicarn. II. 27. qui, comparatione inſtituta, jus Romanum prætulit Græco: nec alia Simplicii fuit ſententia *ad Epictet. c.* 37. & Dion apud multos populos, legum gloria florentes, eandem duritiem viguiſſe teſtatur, *Orat.* 15. (4 Utique Romulus, confiſus naturali parentum amori, & reſpiciens labores, aleamque educandi, ipſamque naturam, quæ arbitrio animalium moderandam permittit prolem, quorum pars ſunt, congruentius fore putavit, controverſias domeſticas intra domum terminari. Liberis ergo parentes, quaſi *domeſticos magiſtratus*, præpoſuit, qui jus vitæ & necis, una cum cognatis, exercerent, nec temere illo abuſuri eſſent. vid. Val. Max. V. *c.* 8. *n.* 1. 2. Seneca II *Contr.* 3. & III. *de Benef.* 11. Sueton. *Claud. c.* 16. (5) Apud Judæos vero tanta parentum non fuit poteſtas, uti Vir Cl. Joh. Clericus ad *Deut.* XXI. *vſ.* 18. contra Bodinum & Grotium oſtendit. Melius quoque eſt, ut magiſtratus delicta, licet in parentes & familiam commiſſa, vindicet; *tum* ob tres rationes, ab Auctore hic allatas; *tum* quia monſtrum Reipublicæ in Republica alias exoritur: *tum* quia patria poteſtas in pietate magis, quam in atrocitate conſiſtere debet, *l.* 5. *D. ad leg. pomp. de parr.* Eleganter Afranius: *Horuncce parentum eſt vita bilis liberis, qui malunt metui, quam vereri ſe a ſuis.* Sapiens denique Plinii monitum eſt ad patrem IX. *Ep.* 12. *Cogita, & illum puerum eſſe, & te fuiſſe: atque ita hoc, quod es pater, utere, ut memineris, & te hominem eſſe, & hominis patrem.* Vide quæ Huber. II. *Digr. c.* 6. *n.* 4. & 5. contra Bodinum I. *de Rep.* 4. diſputavit, & III. Bynkerſhoek, *Opuſc. de Jure occid. lib.* Otto.

(z) *Poſtquam autem imperium iſtud familiare*] In ſtatu civili, (vid. ſupra §. 5. lit. (*i*)). imperium familiare ad uſum & decus civitatum fuiſſe attemperatum, docetur *h* ad *l.* VI. *c.* 2. §. 12. Diſtinctius ita dicendum, (1) in ſtatu civili poteſtas, quam pater, ut genitor, & ut caput familiæ, habeat, non amplius diſtinguitur, ſed potius, (2) quicquid patri, per Legem Civilem, vel relictum, vel

Digitized by Google

attemperatum; alicubi multum, alicubi parum (*a*) de eo patribus eſt relictum. Inde obſervamus, in quibusdam civitatibus, patres jus vitæ & necis, ex cauſa delicti exercendum, in liberos obtinuiſſe (*b*); in aliis id ipſum iis ademtum, ne forte parentes ſua in liberos poteſtate in fraudem boni publici aut ad iniquam iſtorum oppreſſionem abuterentur; aut ne, ob mollitiem paterni affectus, diſſimularentur vitia, in exitium publicum eruptura, aut ne patri tam triſtis ſententiæ pronunciandæ neceſſitas imponeretur.

J. N. & G. *l.* VI. *c.* 2. §. 12.

Sed

vel conceſſum eſt, id promiſcue juris patrii nomine venit; ſolet etiam (3) Poteſtas patria ejusmodi effectibus per Legem Civilem donari, qui neque juri patrio, neque imperio familiari, in ſtatu naturali, formaliter inſunt. Titius.

(*a*) *Alicubi parum*] Quod affirmat *Juſtinianus Inſt. Lib. I. Tit. IX.* §. 2. *Jus poteſtatis, quod in Liberos Romani haberent, proprium eſſe Civium Romanorum*; quo ſenſu ab Imperatore dictum fuerit, aut de facto veritatem obtinuerit, non eſt hujus loci diſputare: ſed ut, quo ſenſu de jure potuerit eſſe verum, percipiamus rectius; duo non ab re erit notaſſe: *Primo*, cum immatura ætas non niſi mediantibus parentibus, ſummo Imperio & Legibus civilibus ſubjiciatur; nullis ejusmodi Legibus effici poſſe, ut amplior ſit in Liberos immaturæ adhuc ætatis Patris poteſtas, quam eam ipſa natura conſtituit: at *Secundo*, quemadmodum familiæ ſegregis Pater jure potuit exigere, ne aliter adulti Liberi, vel alii quivis, in ſua familia, vel etiam in territorio ſuo, morarentur, quam ſi ſummum ejus imperium vellent agnoſcere; ita in ampliore civitate potuiſſe Summum Imperantem (penes quem eſt inferiores magiſtratus conſtituere) Patribus Familiarum, in adultos ſuos Liberos & domeſticos, ſubordinatum quoddam civile imperium concedere; quod quidem imperium, apud veteres Romanos ampliſſimum, fuit poſtea gradatim imminutum, & tandem recentioribus moribus abolitum; ita ut hodie modica tantum coercitio, ad decorum familiæ ordinem tuendum pertinens, & cujus ultimus actus ſit ejectio, ſi opus ſit, e familia, Patribus familiarum paſſim ſit relicta. Carmich.

(*b*) *In liberos obtinuiſſe*]. Id quidem ex inſtitutis gentium, non juſtitia naturali profluit. Exemplum habemus in Noribergenſibus, qui privilegio gaudere leguntur, quod dicitur terribile, ab Imp. Ludovico Bavaro anno 1320. conceſſo, ut parentibus liberum ſit immorigeros filios carceri mancipare & vivos in profluentem demergere: quo tamen numquam uſi ſunt. vid. Limnæus *J. P. l.* VII. *c.* 35. §. 14. *ſq.* Limnæus *enucleat. l. IV. c.* 39. §. 7. Wagenseil *de republ. Norimb. c.* 27. *p.* 254. De aliis exemplis conſulendus Bodinus *de republ. c.* 4. *l. I.* Hertius *not. ad Puf. op. maj. l.* VI. *c.* 2. §. 12. Treuer.

§. IX.

IX. Patria poteſtas ſolvitur exceſſu prolis e familia, manente obſervantia.

Sed ubi proles (*c*) familia paterna plane exceſſit, & vel novam ſibi familiam conſtituit, vel alteri adjungitur, poteſtas quidem patria ſolvitur (*d*), ut tamen ſemper pietatis & obſervantiæ debitum maneat; quippe fundatum in meritis parentum, quibuscum paria facere liberi nunquam, aut rariſſime creduntur. Et iſta merita non in eo tantum conſiſtunt, quod parentibus liberi vitam debeant

§. IX. Solvitur patria poteſtas, ſimulac educatio eſt obtenta, & filiæ nubunt, filii ducunt, aut ſe paratam familiam inſtituunt; quia fine obtento, media ceſſant: Romæ vero ex indole dominii Quiritarii, quod tempore non finitur, durior liberorum fuit conditio; ut cum aliis Interpretibus dixi ad *tit. Inſt. quib. mod. jus patr. pot. ſolv.* (2) Manet autem, finita poteſtate, reverentia perpetuo: partim ob generationis, partim ob educationis beneficium, cui nunquam digna ſatis gratia referri poteſt, *l. 6. D. de in jus voc. l. 1. D. de obſeq. l. 4. C. de repud.* (3) Auctor duas hujus reverentiæ cauſas dat, a generatione & educatione petitas; ſicut Valerius Maximus *donum vitæ & labores educationis* conjunxit VII. *c.* 7. *n.* 2. 5. Quænam vero ſit primaria, aptum declamationis ſcholaſticæ eſt argumentum, & diſputavit ea de re Seneca III. *de Benef.* 30 Juvenalis nullam rem patri minoris, ait conſtare, quam filium; quia proprios magis explere ſtimulos, quam generare voluit: non etiam amavit necdum generatum: vita deinceps multorum malorum juxta, aç bonorum eſt occaſio; unde populi quidam infantes editos cum ploratione, ſed fato functos cum lætitia proſequebantur, apud Herodotum V. 4. Sileni dictum memorat Cicero I. *Tuſc.* 48. *Non naſci, homini longe optimum eſſe, proximum autem, quam primum mori.* (4) Potior ergo cauſa, cum Tacito XV. *Ann.* 19. ab educatione repetenda videtur: nam & Solon noluit, a filio ali patrem, qui eum artem non docuiſſet, & Juvenalis *Sat.* XIV. *vſ.* 71. illum demum patrem laudandum eſſe, canit, qui civem populo generavit,

> *Si facit, ut patriæ ſit idoneus, utilis agris*
> *Utilis & bellorum, & pacis rebus agendis.* Otto.

(*c*) *Sed ubi proles*]. Juri patrio reſpondet in liberis obligatio, qua non tantum exercitium imperii paterni admittere, ſed &, ob beneficia, ſibi collata, gratitudinem quavis occaſione ipſis exhibere tenentur, §. 8. *b.* add. *l.* VI. *c.* 2. §. 10. Utrum vero generatio, an educatio ſit majus beneficium, de quo *d.* §. 10. quædam recenſentur, ea disquiſitio eſt argumentum declamationis ſcholaſticæ, in vita civili autem ejus nullus uſus, ut, eam ad ſeria referre velle, ineptum fuerit. Titius.

(*d*) *Poteſtas quidem patria ſolvitur*]. Verius eſt, quod poteſtas patria, naturaliter ſpectata, quamdiu pater vivit, nec delicto atrociori ſe eadem indignum facit, plane non ſolvatur, ſed ſaltem, pro diverſo liberorum ſtatu, alteretur, imminuatur, ac ejus exercitium quandoque ſuſpendatur: Mutatio igitur familiæ, de qua hic ſermo eſt, tollit in ſtatu Naturali imperium familiare, in Civili patriam poteſtatem, a Lege Civili de-

Digitized by Google

debeant (*e*), occaſionem omnium bonorum; ſed & quod laborioſam ac ſumtuoſam (*f*) educationem eorum ſuſceperint, qua eos in commoda humanæ ſocietatis membra formarunt, ac ſæpe de mediis, vitam commode & copioſe exigendi, iisdem proſpexerunt.

J. N. & G. *l.* VI. *c.* 2. §. 13.

Etſi autem parentibus (*g*) obligatio educandi pro- X. alias IX. Alteri

pendentem, quæ etiam modos ſolvendi magis determinat. Idem.

(*e*) *Vitam debeant*]. Vix probabile eſt, in hoc ſummum parentum beneficium in liberos conſiſtere, ut vulgo creditur: (1) magis ex amore ſuæ utilitatis, vel voluptatis, vel ob nominis generisque immortalitatem vitam dederunt liberis, quam ex amore liberorum, qui nondum exſtiterunt, & beneficentiæ erga illos ſtudio. (2) Vita eſt occaſio bonorum, ſed multo magis occaſio malorum: ſaltem vita erit res indifferens, ſi nempe in ſe & abſolute ſpectetur: nam & ad mala & bona recipienda æqualiter capax eſt. Si vero vita relative ſpectetur, quatenus eſt occaſio bonorum pro diverſo ſtatu hominum, uti Grotius *l. II. c.* 24. §. 6. *n.* 2. eamdem accipit; vita bonum erit dicendum: ſi referatur ad vanitates, nugas, perturbationes, viciſſitudines, quibus homo perpetuo vexari ſolet; non injuſte propagatio mera miſerrimi temporis, continuatio miſeriæ, perpetuus labor appellabitur.

—— Curſus vitæ labyrinthus: in illum
Ex utero ingredimur: per limina mortis abimus.

Quem in finem recte Augustinus *ſerm.* 17. *de verb. Domini: Quid eſt diu vivere, niſi diu torqueri? quid eſt diu vivere, niſi malis diebus malos dies addere?* (3) Ex miſeriore ſtatu in feliciorem liberos per generationem non collocant, quum ii non exſtiterint, adeoque non poſſint dici fuiſſe miſeri. (4) Beneficii attributa generationi vix conveniunt: quod per inductionem deprehendes facile. Summum ergo & palmarium beneficium, quo a parentibus adficiuntur liberi, conſiſtit in eo, quod illos bona educatione docuerint vita, tanquam re indifferenti, recte uti, & bene vivere. Quo fundamento nititur lex Solonis: *Ne filius patrem, qui ipſum artem non docuiſſet, alere cogeretur.* vid. Stanleji *hiſt. philoſ. in Solone c.* 6. *p.* 40. *la ſuite des caracteres de Theophraſte par la* Bruyere *pag* 256. Treuer.

(*f*) *Laborioſam ac ſumtuoſam*]. Eſt itaque filialis obligatio eo ſanctior, eoque latius patens, quo propenſiore affectu & ſtudio, ut proli omni ex parte bene eſſet, Parens pro viribus curaverit: ut male officio ſuo functus iſte Parens videatur, cujus erga prolem meriti non minima pars ſit generaſſe. Carmich.

§ X. Sicut educatio per alium fieri poteſt, ita nihil obſtat, quo minus pater filium alteri det adoptandum, ut conditio ejus melior fiat, vinculo naturali ſalvo manente: ut vero pater officio ſuo prorſus ſolvatur, & jura patris, nexu divino copulata, ludibrio de-

quousque prolis educatio committi poſſit,

prolem a natura ſit injuncta; id tamen non obſtat, quo minus, utilitate prolis aut neceſſitate exigente, ejusdem ADMINISTRATIO ALTERI COMMENDETUR; ita tamen ut inſpectionem ſibi in iſtum delegatum parens reſervet. Unde & pater (*h*) non ſolum præceptoribus idoneis filii informationem recte committit; ſed & eundem alteri adoptandum dare poteſt, ſiquidem exinde in filium aliquod ſit emolumentum redundaturum. Et ſi nulla ratio ſit prolem alendi, potius quam inopia exſtinguatur, pater eam oppignorare, aut vendere (*i*) in tolerabi-

defraudentur, ut olim Romæ, adoptionis commento fieri non debet, *l. pen. C. de adopt.* Atque ita Grot. II. *c.* 5. §. 26. vid. *Juriſpr. Symbol. Ex. III. c.* 3. (2) Pater liberos neque vendere, neque oppignorare poteſt, ut alat ſe ipſum, aut æs alienum ſolvat, multo minus ut inde lucretur; quia liberi hactenus parentibus ſunt æquales, quod commercio hominum exemti. Nec jus tale habet pater, quod in alium transferre poſſit. (3) Si vero liberis fame pereundum ſit, major vitæ, quam libertatis eſt cura; & mater æque, ac pater, in ſervitutem eos venundare poteſt; quia natura jus dat ad omne, ſine quo non poteſt obtineri id, quod ipſa imperat. (4) Leges autem civiles, etiam quod mirere, illorum populorum, qui fortunas & ſpiritum ipſum natorum parentibus non ſubjiciebant, liberos, ut rem parentum, conſiderarunt, eosque propter debita, vel etiam ob ſolam utilitatem, vendi permiſerunt, uti de Hebræis *Exodi* XXI. *vſ.* 7. *Levit.* XXV. *vſ.* 39. *Matth.* XVIII. *vſ.* 25. de Athenienſibus Plutarch. *in Solone*, de Aſiaticis idem in *Lucullo*; de aliis Juſtinian. in *Nov.* 134. teſtantur. (5) Omnium vero duriſſima fuiſſe videtur trina venditio liberorum, apud Romanos; & enormior, quam ipſum jus vitæ & necis, quod ad imperium familiæ pertinebat. Sed recte: Conſtantinus negat, patres in perfectam ſervitutem filios vendere potuiſſe, *l ult. C. de patr. pot.* ipſaque illa venditio poſtea intra anguſtos limites reſtricta tandemque ſublata fuit, *l.* 2. *C. de patr. qui fil. diſtr.* vid. Jac. Gothofred. *tom. I. C. Th pag.* 449. Ampl. Bynkershoek *de Jure occid. lib. c.* 6. & Dante *de Vendit. lib* OTTO.

(*g*) *Etſi autem parentibus*] Obligatio parentum eſt, ut liberos probe educent, quam aliquando etiam *mediate* poſſunt, imo debent explere, ex quo nonnulla conſectaria hic ducuntur, add. *d. l.* VI. *c.* 2. § 9. quibus hoc adjiciendum, quod, ob juſtam cauſam, mater ſobolem aliis lactandam committere poſſit, nam ſi id fiat eo ſaltem fine, ne voluptatibus & vanitatibus quid decedat, tum id corruptos arguere mores, ac obligationi matris naturali repugnare, ſatis quidem certum videtur. TITIUS.

(*h*) *Unde & pater*]. Recte hæc & ſequentia ſe habent ſecundum finem educationis & præcepta decori: ſi enim parens videat, ſalutem infantis hac ratione non tantum promoveri, ſed ſine iis adminiculis conſervari non poſſe; parens hæc omnia in utilitatem infantis adhibere poterit. TREUER.

(*i*) *Aut vendere*]. Non poteſt pa-

rabilem ſervitutem poteſt (*k*), ſaltem ſub lege retractus, ubi pater ad lautiorem fortunam pervenerit, aut quiſpiam ex cognatis iſtum redimere velit. Quod ſi autem parens per inhumanitatem (*l*) prolem expoſuerit & abjecerit, is, qui eandem ſuſtulerit atque educaverit, in paternum quoque jus ſuccedet; ita ut iſte alumnus filialem obſervantiam educatori ſuo debeat.

J. N. & G. *l.* VI. *c.* 2. §. 9.

Uti autem Pater (*m*) prolem familia sua ejicere XI. alias X. An patris

parens aliud jus, ex rebus vel laboribus filii quæſtum faciendi, transferre ad alterum, quam quod ipſe habet: hoc vero quale ſit, diximus ſupra *Suppl. IV.* §. 7. Debet igitur, ſi poſſit, ita rem gerere, ut emptori (ceſſionario potius dixerim) nullus ſit prætextus jus ſibi quæſitum ulterius extendendi, quam temperamentum ibi explicatum patitur: quo intuitu, propter incertam filii vitam & valetudinem, minus a ceſſionario exigere debet Parens, quam quantum filius pro præteritis alimentis ipſi debet; aut forte nihil omnino, ſi filius longe diſtet ab iſta ætate, qua alimenta quotidiana quotidianis merere poſſit laboribus. Sed hac de re fuſius ad ſequens caput. Carmich.

(*k*) *Aut vendere in tolerabilem ſervitutem poteſt*]. Vid. de hac controverſia Osiandrum & Zieglerum *ad Grot. l. II. c.* 5. §. 5. Guil. van der Muelen *ad eumd. p.* 177. Clasenium *polit. l. I. c.* 2. Becmann. *conſp. doctr. polit. c.* 9. *p.* 46. Jæger *obſervat. ad Grot. p.* 249. Abraham a Kerckraad *de jure patrio.* Datt *de venditione liberorum c.* 3. & 5. Poteſtas vendendi vel oppignorandi infantem ita ſemper intelligenda: (1) ſi infans aliter ſervari non poſſit, & parentes jure neceſſitatis urgeantur: (2) ne ſalus infantis eo actu aperte periclitetur. Inluſtrat hoc jus Suevicum provinciale *c.* 407 *Wie ein Mann ſein Kind verkaufet durch Ehaft Noht, das thut er wol mit Recht. Er ſoll es aber nicht verkaufen, daſs man es thät in das Hurhaus. Er mag es einem Herren wol zu eigen geben.* vid. Potgiesser *de conditione ſervorum l. I. c.* 3. §. 52. *p.* 125. Datt *de venditione liberorum c.* 5. *p.* 119. Treuer.

(*l*) *Quodſi autem parens per inhumanitatem*]. Per expoſitionem nunquam liberorum cura in alios recte transfertur, licet illa ſatis tuta ſit, ac ad ædes, in populoſis urbibus nonnunquam eo fine exſtructas, fiat, nam ſemper ſuppetunt media tutiora, adeoque expoſitio prohibita cenſeri debet. Quo ſenſu autem is, qui expoſitum alendum ſuſcipit, in parentum jus ſuccedat, quod Auctor iterum *b.* admonet, id ſupra §. 3. lit. (*g*) oſtenſum. Titius.

§. XI. Quidam ex regulis *juſti* hoc liberorum officium derivant, quaſi ipſo jure naturæ nullæ ſint nuptiæ, ſine conſenſu parentum contractæ: tum quia poteſtas non, niſi utriusque conſenſu, poſſit ſolvi, & patris ſit, judicare, an liberi ad proprios lares conſtituendos ſint idonei: tum quia conjux adſciſcenda pars familiæ fiat,

conſenſu opus ſit ad prolis conjugium?

CERE NON DEBET, educatione & auxilio iſtius adhuc indigentem, citra graviſſimas cauſas; ita & proles non, niſi (*n*) cum bona patris venia, ex ipſius familia excedet. Cæterum cum liberi (*o*) matrimonii fere contrahendi occaſione paternam familiam relinquant; & vero parentum utique interſit,

cujus pater eſt caput, eique ſuos heredes ſit paritura. (2) Melius vero utriusque parentis conſenſus, cum Grotio II. *c.* 5. §. 10. ex regulis *honeſti & decori*, deducitur, nec adeo neceſſarius, ut ejus neglectus conjugium irritum reddat. Libertas enim de ſe & rebus ſuis ſtatuendi jure naturæ eſt infinita, donec reſtricta probetur. Deinde non niſi maturæ ætatis liberi nubunt ducuntque, quando, educatione obtenta, poteſtas illa aut ceſſat, aut ſaltem eſt imminuta. Filius præterea extra ædes paternas abit, & nusquam libertas tam eſt neceſſaria, quam in matrimonio: quis enim animo alieno amare poteſt? quærit Quintilian. *Decl.* 257. Denique Juſtinianus, cum in *pr. Inſt. de Nupt.* ait: *& civilis & naturalis ratio ſuadet*, potiorem cauſam ponit in poteſtate juris Quiritium, quæ tamen a naturali æquitate & grato animo, parentibus debito, non abhorreat. (3) Nam quia turpes nuptiæ toti familiæ & genti dehoneſtamentum adferunt, & parentes optimum pro liberis conſilium capere præſumuntur, hinc jus *Romanum* nuptias, quantum ad patriam poteſtatem aliosque effectus civiles, conſiſtere noluit, niſi conſenſerit pater, in cujus poteſtate ſunt liberi. (4) Jus hodiernum vero plerarumque gentium, majorem reverentiæ, quam poteſtatis rationem habet, ac impedit matrimonium minorum, ſiue patris, vel eo mortuo matris conſenſu contrahendum, ſed contractum non diſſolvit, & ita Paulus II. *tit.* 19. §. 2. & Sande II. *tit* 1. *def.* 4. (5) In Gallia parentibus licet filias intra XXV. & filios intra XXX. ætatis annum exheredare, ex edicto Henrici, Galliæ Regis, apud Thuanum, *lib.* XIX. quod Contius & Pulvæus commentariis illuſtrarunt. Add. Fabrotus, *Exerc.* X. Ant. Guib. Coſtan. *Quæſt. memorab. c.* 12. & Brouwer. *de Jur. connub. I. c.* 5. *ſeqq.* OTTO.

(*m*) *Uti autem pater*]. Obligatio parentum eique ſurrogatum imperium non tantum adeſt, ſed & actu ſe exſerit, quamdiu liberi auxilio parentum indigent, ſi vero illi in eum perveniant ſtatum, ut ſe ipſos alere actionesque proprias dirigere queant, tum, ſive in familia maneant, ſive eam deſerant, obligatio illa quieſcit, imperiumque ſuſpenditur ac imminuitur, utrumque tamen, ferente ſic occaſione, ſe iterum exſerit. Quod ſi liberi enormiter delinquant, jure ſuo penitus privari poſſunt, in ſtatu quidem Naturali, arbitrio parentum, in Civili, Imperantis, add. *d. c.* 2. §. 12. *in fin.* TITIUS.

(*n*) *Ita & proles non, niſi*]. Solutionem juris patrii non pertinere ad poteſtatem patriam, naturaliter ſpectatam, ſed ad imperium familiare, aut poteſtatem, ex Jure Civili dependentem, jam ſupra §. 9. lit. (*d*) diximus. De cætero ſolutionem illam non niſi conſenſu utriusque partis fieri poſſe, ex communi jurium ſocietatumque indole fluit, ac in civitatibus per Legem Civilem magis determinatur, add. *d. c.* 2. §. 13. IDEM.

(*o*) *Cæterum cum liberi*]. Recte ait Auctor, liberos, matrimonia contracturos, conſenſum parentum, ex lege gratitudinis, requirere

Digitized by Google

terſit, cui proles ſua jungatur, & ex quibus nepotes ſibi proveniant: inde officium filiale plane requirit, ut PATRIS CONSENSUM HEIC SEQUANTUR LIBERI (*p*), nec eo invito conjugi ſocientur. Quod ſi tamen de facto, invitis parentibus, matrimonium contraxerint, & conſummaverint liberi, jure quidem naturali id irritum non videtur; præſertim ubi familiam paternam non amplius iſti onerare velint, & alias conditio non ſit indecora. Inde ſi alicubi ejusmodi matrimonia habentur irrita, aut illegitima, id ex legibus civilibus eſt.

J. N. & G. *l.* VI. *c.* 2. §. 14.

OFFICIUM PARENTUM (*q*) in hoc præcipue conſiſtit, XII. alias XI. Officia pa-

rere teneri, pœnam tamen obligationis violatæ & neglecti conſenſus, non eſſe ex Lege Naturali, ſed Civili, §. 10. *b.* add. *d. c.* 2. §. 14. nam in genere illa nullam pœnam definit. IDEM.

(*p*) *Sequantur liberi*]. Regulæ decori id quidem requirunt in lumine naturæ; ſed non regulæ juſti, omniaque argumenta, quæ adferuntur, id tantummodo probant, decere liberos ad conſenſum parentum reſpicere. Ex iisdem principiis quoque requiri videtur: (1) ut liberi non invitis parentibus familia excedant: (2) nihil committant in matrimonio ineundo, quod in parentum opprobrium vel detrimentum familiæ vergere poſſit. Quorſum etiam ſpectant ſequentes §. auctoris, qui de officiis decori parentum & liberorum præcipiunt. TREUER.

§. XII. Hæc parentum officia facilia ſunt, quia ipſa *natura* facit, ut liberi a parentibus amentur, Cic. III. *Fin.* 18. eademque viciſſim liberos parentibus conciliat. Idem *Har. reſp. c.* 27. *Ipſe naturalis ſtimulus parentes ad liberorum ſuorum educationem hortatur*, auctore Juſtin. *l. un.* §. 5. *C. de rei ux. act.* Itaque (1) educatio prudenter eſt inſtituenda, quo liberi, artibus ac ſcientiis imbuti, utilia, honeſta & religioſa fiant ſocietatis membra: quam educandi artem, adeo difficilem, jam olim Plutarchus libro ſingulari, *de Educatione liberorum*, docuit. Diogenes ajebat, ſe malle arietem eſſe civis Megarenſis, quam filium; quod pecorum, non liberorum curam gererent, Ælian. XII. *Var. hiſt.* 56. Lycurgus quoque Pædonomum, magiſtratum, tantæ rei inſpectorem, in ſua Republica, conſtituit, teſte Plutarcho, *in ejus vita.* Paulus liberos enutriri jubet, *ἐν παιδείᾳ καὶ νουθεσίᾳ κυρίου*, *in diſciplina* & *admonitione domini*, *Eph.* VI. *vſ.* 4. (2) Alimenta liberis, pro conditione ſtatus & opum, ſunt præbenda; quia necare videtur, qui alimonia negat, ait Paulus in *l.* 4. *D. de agnoſc. & alend.* Atque hunc in finem ipſa natura matres inexhauſto mammarum fonte inſtruxit, a quibus infantes olim ante triennium non depulſi, 2 *Maccab.* VII. & *l. pen. C. de patr. poteſt.* Quod ſi vero

rentum erga liberos. ſiſtit, ut liberos commode alant, corpuſque & animum per dextram & cordatam educationem ita forment, quo idonea & utilia membra ſocietatis humanæ (*r*) & civilis fiant, probi, cordati, bene morati. Item ut eosdem ad idoneum & honeſtum vitæ genus adplicent, & quantum ratio & occaſio fert, fortunam ipſorum fundent & promoveant (*s*).

XIII. alias XII. Officia li- LIBERORUM contra (*t*) DEBITUM eſt (*v*), paren-

ro mater infirma liberos lactare nequeat, nutricibus eos lactandos poteſt committere; at ſi pulchritudinis ſervandæ, aut commoditatis, vel voluptatis gratia, id faciat, recte Favorinus apud Gellium XII. *c.* 1. talem contra naturam imperfectum & dimidiatum genus matris appellavit. Titulo tamen res digna ſepulchri viſa eſt, quod *Græxia Alexandria filios ſuos propriis uberibus educavit*, apud Gruter. *p.* 617. *n.* 8. Cetera, ad rectam educationem pertinentia, Lockius aliique libris ſingularibus expoſuerunt. OTTO.

(*q*) *Officium parentum*]. Hoc ex præcedentibus intelligitur; in ſumma ita dicendum: Officium eſt vel *commune*, quod ex generali ſocialitatis fonte fluit, ac alios quoque homines afficit, vel *proprium*, vi cujus parentes *ita liberos educare tenentur*, *quo Deo*, *ſibi ipſis & proximo recte inſervire queant*, ex quo præſtationes ſpeciales fluunt, §. 11. *b.* Neque tamen cura liberorum, in præjudicium ſocialitatis, ſeu aliorum injuriam & læſionem, eſt extendenda, cui abuſui, in vita civili frequentiſſimo, memorata obligatio ſæpe prætexitur. TITIUS.

(*r*) *Utilia membra ſocietatis humanæ*]. Quin etiam, cum lex naturalis, non tantum *ſocialia* verſus alios Homines *Officia*, ſed & *Religionem* erga DEUM, & innoxiam *ſui curam*, cuique injungat; ita Liberorum mentes atque mores Parentes formare debent, quantum in ipſis eſt, ut ad omnia iſta tria officiorum genera præſtanda evadant diſpoſiti, atque adeo apti, qui DEI gloriæ, ſuæque & aliorum hominum præſenti ac futuræ felicitati, promovendæ inſerviant. CARMICH.

(*s*) *Promoveant*]. Ab omni jure & rationis dictamine alienum eſt, quod Cingalenſibus attribuit HERPORT *Reiſeb. p.* 179. *Wann einer von dem andern etwas kaufen will: ſo frägt der Verkäufer ſein jüngſtes Kind: ſo es denn ſolches zuläſt und das Ja gibt; ſo macht der Vater den Kauf: wann er aber dazu nicht bewilligen will; ſo darf der Vader dasſelbige auch nicht um doppelt Gelt verkaufen.* Talia officia parentum erga liberos rationi incognita ſunt, & a civili gentium inſtituto vel conſuetudinibus pendent. TREUER.

§. XIII. Liberi dependent a parentibus *propter arctiſſimum inter homines procreationis vinculum*, ut Val. Maximus ait VII. *c.* 7. *n.* 2. nam poſt Deum illis debent, quod exiſtunt, &, licet magna rependant, omnia tamen infra æſtimationem paterni muneris erunt. Officium igitur eorum, ex ipſis regulis ſocialitatis, eſt paterni imperii exercitium admittere, quia *parendi neceſſitas* eſt, *l.* 10. §. 2. *D. de his quib. ut indign.* in pluribus, honeſtis nempe & indifferentibus, non vero in illicitis & turpibus; nec ſemper in mediis, ut in

Digitized by Google

rentes honorare, id eſt, reverentiam illis exhibere, non externis tantum ſignis, ſed multo magis interna æſtimatione, tanquam auctoribus vitæ, ac tantorum aliorum beneficiorum, iisdem obedire; pro viribus inſervire, in primis ſenio aut egeſtate confectis; ſine conſilio & auctoritate eorum nihil magni momenti ſuſcipere; & denique eorum moroſitatem, aut vitia, ſi qua inveniuntur, patienter ferre. berorum erga parentes.

in militiam ire, nubere, vel hanc uxorem ducere &c. Gellius II. 7. (2) Porro piorum liberorum eſt, utrumque parentem honorare, alere, eorum moroſitatem ferre, nec contemnere ſeneſcentes. *Exod.* XX. *vſ.* 12. *Prov.* XXIII. *vſ.* 22. *Epheſ.* VI. *vſ.* 2. 3. Cicero IX. *Att. ep.* 9. & *pro Cluent. c.* 6. Demoſth. *Orat.* 1. *in Ariſt. Legem eſſe naturæ, parentes alere, quæ beſtiis & hominibus poſita eſt.* Juſtinianus eadem parentibus, erga liberos impiis, deberi ſancit: *licet enim legum contemtor & impius ſit, tamen pater eſt. Nov.* 12. *c.* 2. (3) Specimina hujus rei luculenta, in abjectiſſimis etiam officiis perſolvendis, & defunctis parentandis, apud Ariſtoph. *Veſp. p.* 485. Euripid. *Medea vſ.* 1032. Virgil. IX. *Æneid. vſ.* 283. & Valer. Maximum V. *c.* 4. occurrunt. (4) At officii hujus neglectus dira impietas cenſebatur, quam Solon ignominia, alii aliis pœnis coërcuere. Laërt. in *Solon.* Xenophon. *Mem. l.* 2. Quintilianus *Decl.* VI. *c.* 11. legem memorat: *Qui parentes in calamitate deſeruerit, inſepultus abjiciatur.* (5) Ad ingratos ejusmodi refellendos pertinet ciconiæ pietas, quæ parentes, ſenecta feſſos, alit, & impotentes ſuis humeris geſtat, ſolius naturæ bonitate impellente, Ælian. III. *Hiſt. anim. c.* 23. unde avis illa, *pietatis cultrix*, paſſim celebratur. Vid. Zenobium, Apoſtolium & Eraſmum *Adag.* in ἀντιπελαργεῖν, Cujac. XXI. *Obſ.* 7. & Bochart. *Hieroz. II. c.* 29. OTTO.

(*t*) *Liberorum contra*]. Officium liberorum eſt, ut *exercitium imperii paterni admittant*, quod ex religioſitate, philautia & ſocialitate repeti poteſt, ac *gratitudinem erga parentes exerceant*, quod ex ſocialitate fluit: utrumque plures concluſiones continet, §. 13. *b.* TITIUS.

(*v*) *Debitum eſt*]. Appoſite ſatis Cl. *Titius*, omnia Liberorum erga Parentes officia, reducit ad hæc duo: *Primo*, ut exercitium Imperii parentalis admittant: *Secundo*, ut gratitudinem erga Parentes exerceant: ſatis recte etiam, illud ex omnibus tribus ſæpius memoratis officiorum fontibus, hoc ſpecialius ex Socialitate, vult fluere. CARMICH.

C A-

Caput IV.

De Officiis Dominorum & Servorum.

Summaria.

I. *Status adventitius* iii. *Herorum & Servorum. Occaſio ſervitutis.*
II. *Poteſtas heri in mercenarium temporarium,*
III. *In ſervum perpetuum, ſe ſponte addicentem,*
IV. *In captivum, in ſervitutem redactum.*
V. *Jus alienandi ſervum.*
VI. *Poteſtas in partum ancillæ.*

Grot. *de* J. B. & P. *l.* iii. *c.* 14. §. 2—9.

I. Status adventitius III. herorum & ſer- POSTQUAM genus humanum (*x*) multiplicari cœpiſſet, atque deprehenſum fuiſſet, quam commode res domeſticæ aliorum miniſterio curari pos-

§. I. Tertius ſtatus adventitius, ex facto humano, eſt *Servorum*: nam omnes homines naſcuntur æquales, & *natura communis* in omnes ex æquo vim ſuam diffundit, nec liberum a ſervo diſtinguit, auctore Saturnino in *l.* 12. §. *ult.* *D de Accuſ.* Similiter & ceteri Jcti recte dixerunt, libertatem naturali jure contineri, ſervitutem vero *contra naturam*, id eſt, ſtatum naturalem, gentium jure introductam eſſe *l.* 4. *D. de ſtat. hom.* *l.* 64. *D. de condict. indeb.* *l.* 32. *D. de R. J.* (2) Ariſtoteles vero I. *Polit.* 2. ſervitutis cauſſam in natura poſitam eſſe cenſet, quæ homines ſtolidos & hebetes eorum, qui plus ſapiunt, imperio ſubjecerit; bello captos vero, ſi liberali ſint ingenio, conditione quidem & fortuna eſſe ſervos, ſed natura liberos. Recte Muretus XV. *Var. lect.* 12. hanc Philoſophi diſputationem eruditam & copioſam vocavit; ſi nationes & homines, indole ſua magis aptos natos ad ſerviendum, quam vere ſervos, nec corpore, ſed animo tales, intelligamus. Alii vero, Stagiritam popularium ſuorum vanitati blanditum, opinantur, quaſi illis facultas eſſet, barbaris imperandi; ſed Daniel Heinſius, in prolixa ad Richterum epiſtola, apud Rutgers IV. *Var. lect.* 3. & Riccium *t. II. Theſ. jur civ. pag.* 605. ut & Puſend. *Op. maj. III.* 2. §. 8.

poſſent; mature introductum fuit (y), ut ad operas domeſticas obeundas IN FAMILIAM ADSCISCERENTUR vorum. Occaſio ſervitutis.

§. 8. & *VI.* 3. §. 2. ab hac cenſura eum ſatis liberarunt. (3) Optimum eſt, ut ſervitutem ac libertatem naturalem & philoſophicam, a civili, qua publica qua privata, ſeparemus. Alii enim ſuapte indole ducuntur ad imperandum, alii ad obſequendum, nempe quos hebes natura & ignoratio ſui in claſſem pecudum redegit. Sic Livius quædam hominum genera *ſervituti nata* dixit; nec alia ratione Ædiles in venditione mancipiorum nationem cujusque pronunciari juſſerunt, *l.* 31. §. 21. *D. de ædil. ed.* Denique Caligula apud Tacitum VI. *Ann.* 20. optimus ſervus, & peſſimus dominus appellatur. (4) Sicut vero cæcus ducem quærit, ac imbecillior natura potentiori paret, ita ſtupor ille naturalis, &, quæ eum comitatur, indigentia, ſervituti *occaſionem* dediſſe videtur: nam hebetes pacto expreſſo ditioribus ſeſe ultro bonis conditionibus ſubjecerunt, quia ſibi expedire videbant ſub alio eſſe. v. Poſidonius apud Athen. VI. 18. & Philo in libro: *Omnem virum bonum eſſe liberum.* (5) Veræ autem & legalis ſervitutis *cauſæ* ſunt, quod, hac commoditate reperta, pleræque deinde gentes captos in bello, & ex illis natos, item atrocium delictorum reos, vel debitores, qui ſolvendo non eſſent, in ſervitutem redegerunt. Quamvis enim iniquum videatur, virum ingenuum & generoſum, bello captum, in ſervitutem redigi, eumque pari conditione, qua res hoſtiles, cenſeri; inter gentes tamen olim quaſi conveniſſe videtur, ut capti hoſtes ſervi eſſent, quo magis ab eorum cæde abſtineretur. *Nomen ſervitutis culpa meruit, non natura,* ait Auguſtin. XIX. *de civ. Dei c.* 15 (6) Ambroſius ebrietatem addit *c. Sexto die* 8. *Diſt.* 35. reſpiciens ad *Gen.* IX. *vſ.* 25. ubi ſervitus pœna eſt peccati gravioris, cui Noachi ebrietas anſam dedit: *Maledictus erit Canaban; ſervus ſervorum erit fratribus ſuis*, id eſt, viliſſimum mancipium; eaque maledictio poſteros ejus, Africanos, adhuc premit. vid. notas ad Böckelm. *Diff. cap.* XXII. §. 4. (7) Fuſe in originem ſervitutis inquiſivit Athenæus *dict. c.* 18 ubi Chios, e Græcis omnium primos, emtis ſervis uſos, & Deos eapropter illis ſucceſuiſſe ex Theopompo, refert. Plinius, Lacedæmonios ſervitium inveniſſe, tradit VII. *Hiſt. nat.* 56. Nos ex Sacris Litteris novimus, Abrahamum jam trecentos octodecim vernas in familia ſua habuiſſe, *Gen.* XIV. *vſ.* 14 & Egyptios Pharaonis ſervos factos eſſe, *Gen.* XLVII. *vſ.* 25. (8) Varias cauſas Baſilius eleganter diſtinxit in libro *de Spiritu ſancto cap.* 20. *Inter homines*, inquit, *ſervus natura eſt nemo: nam aut vi ſuperati ſub jugum ſervitutis ſunt redacti; ut fit in captivitatibus: aut propter egeſtatem ſervi ſunt facti, ut Ægyptii Pharaoni: aut ſapiente quodam & arcano conſilio, qui erant deteriores e liberis, edicto patris, prudentioribus & melioribus ſervire damnati ſunt: quod beneficii loco, non condemnationis, æquus rerum æſtimator duxerit. Si quis enim, mentis inopia, facultatem imperandi a natura inditam non habet, utilius ei eſt, in alterius poſſeſſionem venire; ut dominantis ratione rectus, currui ſimilis ſit, qui aurigam recepit, & navigio, ad cujus clavum ſedet gubernator.* Otto.

(*x*) *Poſtquam genus humanum*]. Societatem herilem non eſſe immediate a natura, ex inæqualitate domini & ſervi liquet, vid. *l.* VI. *c.* 3. §. 1. 2. Hinc ejus origo omnino a *facto humano* repeti debet, quo ipſo tamen *Lex Naturalis* non excluditur, cum hæ potius, ut *occaſio* & *cauſa*, conjungi debeant. De cætero a captivitate origo

tur Servi. Quos ab initio (z) ultro ſeſe obtuliſſe, probabile eſt, inopia adactos, aut propriæ he-

origo præciſe non eſt deducenda, quemadmodum etiam abſurdum eſt, imperium herile civili æquale exiſtimare, cum ejus quantitas juxta menſuram facti præcedentis ſit conſtituenda, v. *d. c.* 3. §. 3. Titius.

(y) *Introductum fuit*]. Servitutem quamdam a natura intendi ſtatuerunt Peripatetici: (1) naturam ajunt id docere ſervitute materiæ, corporis humani, beſtiarum & tandem feminarum: (2) eam multis ſervile ingenium concedere: aliis uberrimum rationis uſum largiri: (3) natura diverſa dari corpora, & ſervilia, & ingenua. Sed ea omnia non tollunt æqualitatem naturalem, nec jus perfectum concedunt alteri ſubjiciendi alterum: licet aptitudinem ſerviendi probent. Quod etiam reſpondendum eſſe puto ad Proelei *adnotat. ad h. l. p.* 267. qua adfirmat, eſſe divinum adſertum, quod Deus per naturam tamquam legem inculcet, ut ſapiens imperet inſipienti, & inſipiens ſe directioni ſapientis ſubjiciat: inde ſervitutem ab inſipientia & ignorantia ortam eſſe defendit. Sed illud adſertum inter regulas decori, ut & prudentiæ conſultatoriæ præcepta forte deprehendes: jus tamen perfectum nequaquam exinde profluit. Vid. ſupra *l. II. c.* 1. §. 8. & *c.* 2. §. 4. Sapiens dignus eſt, qui imperet, & inſipiens dignus, cui imperetur a prudentiore; ſed ea propter non ſequitur, ſapienti eſſe jus per remedia coactiva impellendi hominem rudem ac barbarum, ut imperium recipiat & ſuæ directioni ſe ſubmittat. Sapiens ſane, ſi haberet tale jus, numquam illud exerceret: qui, niſi jam imperet; non imperio, non coactione homines imprudentes ad felicitatem impellit, nec directionem prudentem aliis obtrudit; ſed perſuaſionibus omnia peragit, & amore veræ felicitatis eosdem commovere ſtudet. Quapropter occaſiones ſervitutis ab illius cauſſis probe ſunt diſcernendæ: quarum quæ primam originem ſervituti dederit, res eſt difficilioris & incertæ diſcuſſionis. Occaſiones forte fuerunt: (1) hominum ruditas & animi ſtupor, quo facile paſſi ſunt frena ſibi injici a callidioribus: (2) acceſſit paullatim humana indigentia, quæ tanta exiſtere omnino potuit, ut maluerint homines renuntiare libertati, quam ejus moleſtiæ ſuccumbere: (3) quæ indigentia quoque, obſervante Gerhard. *del. J. N. l. III. c.* 4. *p.* 263. cauſſa eſſe potuit, cur parentes, qui infantibus ſuis ſubvenire non potuerunt, aliis alendos præbuerint: qui ſine dubio aliter egerunt cum ſobole aliena, quam propria: hinc vero non eſt diſſimile, adoptionem ſobolis alienæ ſervituti quoque occaſionem dediſſe. Inter cauſſas ſervitutis numeranda (1) violentia, qua nationes hominesque bellicoſi alios hoſtiliter ſibi ſubjecerunt poſita illa conſuetudine, ut bello capti ſervitio addicantur: (2) iis accenſenda eſt voluntaria libertatis prodigentia, qua nonnulli abjectioris animi homines vel ob ſtupiditatem, vel petulantiam, qua olim Germani libertatem aleæ commiſerunt, vel ſervilem avaritiam aliorum juſſa ſequi maluerunt, quam ſibimet ipſi conſulere. Accedit porro delictum, quod ſervitutem, tamquam pœnam, poſt ſe traxit. Quibus variæ gentium conſuetudines alias addiderunt. Vid. præter auctores a Kulpisio *colleg. Grot. exerc. IV.* §. 9. *p.* 60. citatos Zentgrav. *de orig. jur. gent. art.* 6 *p.* 247. Boecler. *inſtit. polit. l. I. c.* 4. Besoldus *op. pol. l. I. c.* 10. §. 51. *ſeqq.* Treuer.

(z) *Quos ab initio*]. Quando, aut in qua gente, primum cœperit ſervitus, illud forte oſtendi non po-

hebetudinis ſenſu; ſtipulatosque ſibi perpetuam alimentorum & aliarum neceſſitatum præbitionem, in perpetuum hero ſua miniſteria addixiſſe (*a*). Dein cum bella paſſim increbeſcerent, apud plurimos populos receptum, ut quibus BELLO CAPTIS vita donata eſſet, ſervitio addicerentur, una cum prole (*b*), quæ deinceps ex ipſis eſſet proventura. Etſi apud multos populos nulla ejusmodi ſervitus in uſu (*c*), ſed omnia munia domeſtica per

poteſt. In univerſum tamen, ex indole generis humani caſibusque, in eodem obvenientibus, probabile eſt, quod ad eam impulerit *indigentia* & *captivitas*, proxime vero eam produxerit *pactum* & *lex poſitiva*, ut adeo ſummatim ſervitus ſit vel *pactitia*, vel *legalis*. An vero illa hac ſit antiquior, ac ab initio ſervi perpetuas operas addixerint dominis, quod utrumque Auctor hic aſſerit, de eo in neutram partem certo pronunciari poteſt, nec etiam hujus rei definitio neceſſaria aut alicujus uſus eſt, add. *l.* VI. *c.* 3. §. 4. 5. Titius.

(*a*) *Addixiſſe*]. Primam quidem ſervitutem ex ultroneis contractibus fuiſſe natam, ſatis eſt veriſimile: utrum vero ab initio, in perpetuum, an vero ad tempus, ſervi ſe addixerint, neque definiri poteſt, neque illud intereſt ſcire. Carmich.

(*b*) *Una cum prole*]. Vide infra notanda ad §. 4. 5. & 6. Idem.

(*c*) *Servitus in uſu*]. Apud pleroſque ſc. Europæos hodie eſt exploſa: imo Chriſtianis in univerſum placuit, bello inter ipſos orto, captos ſervos non fieri, ita ne vendi poſſent, ad operas urgeri, & alia pati, quæ ſervorum ſunt: ut monet *Grotius l. III. c.* 7. §. *ult.* Idem.

Non firmæ ſatis rationes ſubſunt, cur apud gentes moratiores ſervitus ejusmodi non adeo frequens ſit. Busbequius id bene agnovit: ita enim ille *epiſt. III. n.* 185. *edit. Lipſ.* 1689. (quocum conferri poteſt Huberus *de jur. civit. l. II. ſect.* 1. *c.* 6. *p.* 396.) *Neſcio*, inquit, *an optime rebus noſtris conſuluit, qui ſervitutem primus ſuſtulit. Scio, ſervitii varia eſſe incommoda: ſed ea commodorum pondere ſublevantur. Si juſta, & clemens, & qualem Romanæ leges præſcribunt, ſervitus, præſertim publica, maneret; non tot fortaſſe crucibus, neque tot patibulis opus eſſet ad coërcendos, quibus præter vitam & libertatem nihil eſt, quos egeſtas ad quodvis audendum ſcelus impellit: libertas ſine re non ſemper ſuadet honeſta. Non omnium ingenia inopem ferunt libertatem: nec omnes ita nati ſunt, ut ſe regere & ſuo arbitrio recte uti ſciant: melioris ductu atque imperio, tamquam adminiculo, opus habent, nullum alioqui peccandi finem facturi: ut ſunt quædam beſtiæ, quarum ferocitas ſemper metuenda ſit, niſi vinculis aut robore coërceantur.* Iis, qui putant, Chriſtianismi principiis ſervitutem adverſari, reſpondet Beyer. *delin. J. N. c.* 28. *p.* 174. & Hertius *ad Puf. de J. N. & G. l. VI. c.* 3. §. 10. Conf. Tesmar. *ad Grot. l. II. c.* 5. §. 27. & de eo, an apud Chriſtianos ſervitus omnis ſublata, diſſ. Thomasii *de hominibus propriis.* Utilitatem ſervitutis denuo introducendæ oſtendit *Baro de* Schrödern *Fürſtl. Schatz- und Rent-Kammer p.* 205. Huberus *de jure civit. l. II. ſect.* 1. *c.* 6. *p.* 396. Treuer.

per mercenarios, ad tempus conductos, expediuntur.

J. N. & G. *l.* vi. *c.* 3. §. 1—5.

II. Poteſtas heri in ſervum mercenarium.

Prout autem ſunt diversi (*d*) velut gradus servitutis; ita & poteſtas Herorum, & Servorum conditio variat. Mercenario temporario dominus conventam mercedem; iſte huic viciſſim conventam operam debet. Et quia in eo contractu domini melior eſt conditio (*e*), ideo etiam ejusmodi miniſter domino, pro ratione dignitatis reverentiam exhibere tenetur; &, ubi malitioſe aut negligenter opus fecerit (*f*), ejusdem coërcitioni

§. II. Servii alii ſunt *pactitii*, qui operas domino ex pacto præſtare tenentur: alii *legales*, qui, quoad ſubſtantiam, ſunt in bonis poſſidentis: atque ita Clitarchus inter *δοῦλον* & *οἰκέτην* diſtinguit, apud Athen. VI. 19. Pactitii rurſus vel *ad tempus*, pro mercede, vel *in perpetuum*, pro alimentis, operas ſuas promittunt. Unde triplex ſervorum genus enaſcitur. Quousque ergo domini poteſtas, eique reſpondens obligatio ſervi, ſe extendat, tum ex fine hujus ſocietatis, tum ex contractu locationis, tum ex lege civitatis eſt definiendum. (2) Famulus, qui *ad tempus* ſervitutem voluntariam ſubit, operas conventas præſtare, & dominum cum timore honorare debet, in cujus auctoritatem & jus conſenſit, *Eph.* VI. *vſ.* 5. Hic vero viciſſim, ex natura locationis, ei humanitatem, alimenta & mercedem pactam debet. Niſi enim operæ illud præſtetur levamentum, mutua hominum commercia ſtare non poſſunt. Æquitatem mercedis & ſacra Scriptura, & profani auctores paſſim inculcant, *Geneſ.* XXXI. *vſ.* 7. *Deut.* XXIV. *vſ.* 14. *Matth.* X. *vſ.* 10. *Jacob.* V. *vſ.* 4. vid. Jac. Gothofr. *de Salario.* Otto.

(*d*) *Prout autem ſint diverſi*]. Indoles igitur ſervitutis pactitiæ ex pacto præcedente ejusque fine intelligi debet, nam uti illud nihil aliud eſt, quam ſpecies locationis, ita, juxta ejus modum, Legem Naturalem jura & obligationes introducere, manifeſtum eſt, §. 2.*b.* add. *d. c.* 3. §. 4. Titius.

(*e*) *Melior eſt conditio*]. Adde (2) quia dominus eo contractu auctoritatem illam ſibi adquiſivit: (3) ſervus in poteſtate domini ea ratione conſenſit, ut ejus mandatis obſequi & ad conventam operam præſtandam quavis ratione adigi velit, quæ ad obtinendum illum finem eſt idonea. Nequaquam autem gravis corporis adflictio, multo minus ſervi jugulatio hic permittitur: finem enim hiſce rationibus penitus tolli videmus, quem mercenaria ſervitus habet præfixum: neque ex pacto mercenariæ ſervitutis talis poteſtas domini reſultat. Treuer.

(*f*) *Aut negligenter opus fecerit*]. Quidni etiam, ubi decus & tranquillitatem familiæ turbaverit? vide §. *ſeq.* Coërcitio autem quæ domi-

Digitized by Google

tioni eſt obnoxius (*g*); quæ tamen ad gravem corporis afflictionem, multo minus ad mortem, propria auctoritate ſumendam, procedere nequit.

J. N. & G. *l.* vi. *c.* 3. §. 4.

Ejusmodi autem servo (*h*), qui sese ultro ali- III. Poteſtas heri in ſer-

domino in ſervum permittitur, ſive in familia ſegrege, ſive civili imperio ſubjecta, æſtimari poteſt ex iis quæ notavimus ſupra, ad *præc. Cap.* §. 7. de poteſtate *Capitis Familiæ.* Corporali vero caſtigatione in mercenarios adultos, ad tempus conductos, præſertim diverſi ſexus, eo parcius utuntur cordati Patres aut Matresfamiliarum, quod, ſi eorum mores diſpliceant, mollius remedium intra exiguum tempus expectetur, dimiſſio ſc. e familia poſt elapſum conventum terminum. Carmich.

(*g*) *Ejusdem coërcitioni eſt obnoxius*]. In ſtatu Civili ac ſervis mere mercenariis, hoc vix obtinet, neque etiam finis ſocietatis herilis hoc exigit, cum ſervus delinquens reparationi damni ſaltem ſit naturaliter obnoxius, pœna autem, ſi quam meruit, magiſtratus arbitrio relinqui debeat; quodſi vero ſervus injuriis domini iram provocet, ab eoque plagas accipiat, id jus coërcendi non infert, ſed ea mala per modum belli imponuntur, etiam licite, ſi modus ſervatus ſit. Titius.

§. III. Alterum genus ſervorum ſunt, qui ſeſe in *perpetuam* ſervitutem addixerunt, ut ex contractus formula pro alimentis perpetuis ſerviant. Pactio talis, ſi intra fines naturalis æquitatis conſiſtit, nihil habet iniqui: neque enim natura, quæ omnes ſui juris producit & liberos, vetat, quominus libertati renuncietur; nulla quoque ei fit injuria, qui in inæqualitatem conſenſit; & perpetua obligatio ſerviendi perpetua alimentorum certitudine compenſatur. (2) Tam frequentia horum ſervulorum, apud Moſen *Exod.* XXI. *vſ.* 6. Athen. VI. *Deipn.* 18. Cæſarem VI. *de Bello Gall.* 13. Pauſan. VII. 5. Dionem Pruſæenſ. *Orat.* XV. & du Frënium *Gloſſ.* V. *obnoxiatio*, occurrunt exempla, ut perfectæ ſervitutis occaſio ab iis non inepte repetatur. (3) Hinc etiam Chryſippus lucem accipit, qui ſervum perpetuum, mercenarium definivit, apud Senecam III. *de Ben.* 22 at ſi de legali & perfecta ſervitute quæras, præferrem Juriſconſultorum definitionem in §. 2. *Inſtit. de jure perſ.* (4) Hi vero perpetui mercenarii à præcedentibus tantum differunt duratione, & quod illi mercedem ſtipulentur, hi non item: neque enim domino eos vendere licebit, cujus humanitatem elegerunt; neque jumenti labor iis imponi poteſt, quia homines manent, *Deut.* V. *vſ.* 20. (5) Si delinquunt, jus vitæ & necis ex pacto non oritur, ſed domino modica caſtigatio permiſſa eſt, ut non linguæ tantum, ſed manus etiam verbera pati teneantur, ſi mores gentis id non vetant. (6) Diſtinctio Auctoris, an in familiam, an extra eam deliquerint, a Titio rejicitur: & intereſt magis, num dominus vivat in ſtatu naturali, an in civili: in illo ipſe dominus, in hoc vero Magiſtratus delicta atrocia punit. Otto.

(*h*) *Ejusmodi autem ſervo*]. Si ſocietas herilis ſit pepetua, tum eadem jura & obligationes obti-

Digitized by Google

vum perpetuum, qui ſe ultro addixit.

ALICUI IN PERPETUUM SERVITIUM ADDIXIT (*i*), dominus perpetua alimenta, & quæ alia vitæ neceſſaria ſunt; ille huic viciſſim perpetuas operas, quascunque dominus præſcripſerit (*k*), præſtare debet, & quicquid ex illis provenit, domino fideliter conſignare. In quibus tamen virium & dexteritatis ſervi humaniter rationem habebit dominus, ne vires ipſius excedentem laborem cum aſperitate exigat (*l*). Caſtigationi quoque domini (*m*) iſte ſubeſt, non ſolum ad expellendam negligentiam

nent, quæ caſu altero, quo ad tempus inita eſt, occurrunt, niſi quod hoc, temporaria, illo vero, perpetua ſint. Sed de hoc disquirere forte vix operæ eſt pretium, cum non facile perpetuas operas quis alteri addicat, ſed ſaltem mancipia, & qui ex his deſcendunt, ea conditione vivere ſoleant. Titius.

(*i*) *In perpetuum ſervitium addixit*]. Recte monet *Titius*, Societatem herilem, quæ ex conventione naſcitur, eadem jura easdemque obligationes includere, ſive in perpetuum, ſive ad tempus, ſit inita; niſi quod hic ea temporaria ſint, illic perpetua. Carmich.

(*k*) *Præſcripſerit*]. Servus, ſive ad tempus, ſive in perpetuum conductus, vel ad certi generis operas, vel quascunque Dominus præſcripſerit, at juſtas & licitas, ſe poteſt obſtringere. Idem.

(*l*) *Cum aſperitate exigat*]. Nam & in abſoluta ſervitute ſervo injuriam fieri poſſe tamquam homini naturaliter nobis æquali, oſtendit auctor noſter contra Hobbesium *Op. maj. l. VI. c.* 3. §. 8. Præſumitur enim aliquis ſeſe ultro alicui in perpetuum ſervitium addixiſſe, non ut pro libitu de vita ſua diſponat; ſed ut ſibi de vitæ neceſſariis proſpiciat iisque adminiculis utatur, quæ ad perpetuum ſervitium obtinendum ſunt idonea. Quod ſi plane detrectare velit ſervus abſolutus; domino licebit eum adhibitis fruſtra variis coërcitionibus familia ſua ejicere alii que vendere. Hinc Græcorum mos naturali juſtitiæ apprime conveniens eſt, ut, ſi ſervus crudeliter nimis tractetur a domino, ei jus competat poſtulandi ab eo, ut alii cuidam vendatur: vid. Plutarchum *de ſuperſtit. l.* 7. §. 13. Lædi autem multis modis poteſt ſervus etiam in abſoluta ſervitute a domino ſuo, vel ſi immoderate caſtigetur ad corporis usque deſtructionem: vel ſi alimenta convenientia denegentur: ſi ægrotanti medicamina quævis recuſentur: ſi vita frivole tollatur: ſi periculis vitæ præter ullam neceſſitatem ad ludibrium domini exponatur: ſi promiſſa libertas non concedatur: dominus enim ſemper cogitare debet, ſervum eſſe hominem ob vitam ſervandam dominio ſuo ſubjectum. Conf. Noodt *de jure ſummi imperii.* Aperte ergo Hobbeſiana ſententia juri naturæ repugnat, quam femina Græca religionem Mahommedis amplexa novo argumento egregie ſcilicet tuebatur: *Die Sclaven, welche in der Sclaverey wären gebohren und erzogen worden, verdienten nichts anders: es wäre billig, daſs man ſie in Zeiten zu der Quaal angewöhnte, welche ſie ewig würden auszuſtehen haben.* Driesch *Beſchreib. der Geſandſch. des von Virmonds p.* 162. Treuer.

(*m*) *Caſtigationi quoque domini*]. Sed hoc jus ex indole ſervitutis per-

tiam in opere exſequendo; ſed & ut ipſius mores ad decus & tranquillitatem familiæ componantur. Non tamen invitus (*n*) alteri vendi talis poteſt; quia ultro hunc, & non alium dominum adſcivit; & ipſius intereſt, utri ſerviat. Si atrox delictum (*o*) in alium extra familiam (*p*) admiſerit, in civitatibus pœnæ poteſtatis civilis ſubjacet; ubi familia ſegrex fuerit, expelli inde poterit. Sed ubi delictum in ipſam familiam ſegregem ſit admiſſum, à domino etiam per extrema coërceri poterit (*q*).

J. N. & G. *l.* vi. *c.* 3. §. 4.

In iſtos autem SERVOS (*r*), QUI BELLO CAPTI (*s*) fue- IV. Poteſtas heri in

perpetuæ non fluit, ſed vel ad imperium familiare, in ſtatu naturali, pertinet, vel, in civitatibus, ex ſpeciali legis Civilis permiſſione repetendum eſt. Titius.

Vide *Obſerv.* in §. *præced.* & in *præced. Cap.* §. 7. Carmich.

(*n*) *Non tamen invitus*]. Hoc ex conventione inita reſultat, ceu Auctor ipſe admonet, ſed ſi jus caſtigandi domino competit, quod in verbis præcedentibus aſſeritur, jus invitum ſervum vendendi ei negari non poſſe videtur, ſunt enim illa jura fere æqualia, imo in pœnam poſſet talis venditio fieri. Titius.

(*o*) *Si atrox delictum*]. Diſtinctio, utrum ſervus *extra*, an *in familiam* deliquerit, hic omnino otioſa eſt, cum hoc ſolum attendendum ſit, utrum dominus in *ſtatu naturali*, an *civili*, vivat, nam illo caſu atrociter delinquentem ſervum vi imperii familiaris punire ob quodvis delictum poterit, hoc vero pœna a magiſtratu erit imponenda, add. *d. c.* 3. §. 4. Idem.

(*p*) *Extra familiam*]. Diſtinctio, utrum ſervus extra, an in familiam deliquerit, ut recte etiam monet *Titius*, nihil ad rem facit; cum in utroque caſu delinquens ſervus pro ratione delicti ſit puniendus, vel a ſuo Domino, vel a Magiſtratu civili, prout familia eſt ſegrex, vel civili imperio ſubjecta. Carmich.

(*q*) *Coërceri poterit*]. Coërcendus erit ſervus tali modo, ſed non ut ſervus; verum ut hoſtis, in quem in ſtatu libertatis omnia licent extrema. Jus itaque vitæ & necis domino non conceditur in ſervum, quatenus eſt ſervus; quum illa coërcitio tollat finem ſocietatis herilis, qui finis pro menſura eſt in moralibus, dominique vitam reddat minus ſecuram. Treuer.

§. IV. Tertia ſervitutis ſpecies, *legalis* & κατὰ νόμον, ut Ariſtoteles appellat, eſt bello captorum. His durior conditio impoſita fuit, non modo quod mortem victori intentaverant, ſed etiam, quia hoſtilem ac fugitivum animum ſemper ſpirare videbantur, ſecundum vetus illud: *Quot ſervi, tot hoſtes*, apud Senec. *Ep.* 47. Quod ſi juſtitiam internam reſpicimus, nimis rigi-

ſervum, bello captum.

fuerant (*t*), a pleriſque durius agi cœptum, quod hoſtilis adhuc iræ quid in eos ſupereſſet, & quia ipſi

rigida illorum populorum fuiſſe videtur legiſlatio, quibus domino ſervum occidiſſe impunitas ſumma fuit, licet is capital non fecerit. Grotius idcirco ἄκραν illam ἐξουσίαν temperat III. 14. Carmichaël vero cum Titio eam *emortuæ ſocialitatis certiſſimum argumentum* vocavit. Verum tria ſunt diſtinguenda. (1) In ſtatu naturali jus vitæ & necis hero, tanquam principi familiæ ſuæ, competebat. In ſtatu autem civili jus coërcendi ad necem usque, eſt reipublicæ; ſed quæ domino, tanquam magiſtratui domeſtico, illud concedere poteſt, ſi ſervus in familiam deliquerit; illius enim intereſt, ſervum & emendari, & ſervari, ne patrimonium deminuatur. (2) Si ſervus domino reſiſtit, poteſt occidi, ut hoſtis; quia victis hac lege & conditione vita donatur, niſi iterum induerint ſtatum hoſtilem. (3) Extra has cauſas dominus ſervum verberando, durius habendo, vel occidendo, ſine cauſa, ei omnino injuriam facit, cum incolumitas, tacito ſaltem pacto, ipſi morigero, promiſſa ſit; quod fruſtra Hobbeſius negavit *de Cive c.* 8. §. 7. Apud Romanos vero crudelitas illa diu impunis fuit; donec Auguſtus, emollitis per Philoſophiam moralem & humanitatis ſtudia moribus, & abuſu poteſtatis invaleſcente, Præfecto urbi mandavit, ut querelas ſervorum audiret, *l.* 1. §. 1. *D. de off. proc. l.* 10. *D. de off. præſ.* Seneca III. *de beneſ.* 22. deinde pro derelicto habiti ex edicto Claudii liberi fiebant, *l.* 2. *D. qui ſine manum.* Sueton. *in Claudio cap.* 25. & quæ id genus alia infamis injuriæ genera humanitas Imperatorum correxit: de quibus Interpretes ad §. 2. *Inſt. de iis qui ſunt ſui*, Carolus M. II. *Capit. cap.* 41. *Clerici, ſive laici, clementer erga ſervos agant & miſericorditer eos tractent, in exigendis ab eis operibus. Sciantque, eos fratres ſuos eſſe, & unum ſecum patrem habere Deum, cui clamant, Pater noſter, qui es in cœlis.* Otto.

(*r*) *In iſtos autem ſervos*]. Servitus, occaſione captivitatis introducta, altera durior eſt, ſi mores gentium ſpectes, quod ex ſequentibus magis apparebit, add. *l.* VI. *c.* 3. §. 5. De cætero tamen mores illi ſaltem oſtendunt, quid fiat, non quid fieri debeat, ac in pleriſque improbari debent, de quo poſtea. Titius.

(*s*) *Bello capti*]. Nulla in re, a Socialitatis lege pleræque Gentes longius aberrarunt, quam in *Belli* circa *Servitutem* introducendam jure æſtimando; ut mirari ſubeat, potuiſſe Hominum Genus eousque ſuæ dignitatis obliviſci, & in innumeras, easque extremas, contumelias, ærumnas, miſerias, ſibi arceſſendas, quaſi ultro conſpirare. Hoc quidem ex principiis ſupra ſtabilitis facile conſtat; *Eum, qui alteri*, ſive ex contractu, ſive ex delicto, aliave quacunque ratione, *quidquam debet, quod præſtare, aut pro quo aliter ſatisfacere, non poteſt, jure naturali teneri, ad operam ſuam, quæ ei utilis eſſe poſſit, Creditori ſuo præſtandam.* Sed & *qui atrocius deliquit*, ut qui vitæ & fortunis alterius, bello ſine cauſa ſaltem probabili ſuſcepto, extrema intentavit, *recte poteſt, gravioris mali, per modum pœnæ inferendi, metu, ad operas ſerviles adigi.* At 1. Captura bellica nullum revera jus dat capienti, ubi antecedens jus non fuerat: qui itaque injuſtum bellum gerit, nullo jure, aut capit, aut captos ducit in ſervitutem. 2. Pœnæ corporali nemo eſt obnoxius, niſi qui ipſe deliquit: unde nec is, qui juſtum gerit bellum, ſervilem conditionem, pœnæ nomine, iis recte poteſt imponere, qui ad in-ju-

Digitized by Google

ipſi extrema nobis noſtriſque fortunis intentaverant. Quamprimum tamen (v) inter ejusmodi victorem victumque mutua fides (x) circa conſociationem in familiam interceſſit, omnis antegreſſa

juſtum bellum ab altera parte geſtum, nec ope nec conſilio quidquam contulerant. 3. Is etiam, qui juſtum gerit bellum, certos petendi fines debet agnoſcere; nec quidquam ut ſibi debitum vendicare ultra limites, quos notavimus ad *lib. I. cap.* 5. §. 17. Sed 4. Quicquid a Principe, vel Populo, cujus civis eſt bello captus, capienti debeatur; non videtur captus civis, qui ſuo facto obligationem iſtam non contraxit, & ad quem ex ejus cauſa nihil pervenit, eo nomine ad perſonalem ſervitutem teneri; propter rationem infra adferendam ad *cap.* 10. §. 2. 5. Sive pœnæ nomine, ſive alterius juris explendi cauſa, ſervire quis recte cogatur; non ideo tamen ipſe Homo ita alterius dominio ſubjicitur, ut ex claſſe perſonarum, in claſſem rerum delapſus intelligi debeat. Pœnæ certe exigendæ jus eſt commune: vid. *Obſ.* in *lib. I. c.* 5. §. 17. Quod ſi certo alicui homini, vel cœtui aliquis quid debeat, hoc eſt, aliquid ei dare vel facere teneatur; non ideo ipſe debitor in creditoris bonis eſt habendus: neque enim homo eſt e numero earum rerum, quæ humani generis facultati, tanquam acquirendi dominii objecta, a Deo ſunt oblatæ: imo *abſurdum videtur*, ut ipſius *Juſtiniani* verbis (*Inſt. lib. II. tit.* 1. §. 37 *in fine*) leviter mutatis hic utar, *Hominem in* rebus *eſſe; quum omnes* res *natura gratia Hominis comparaverit.* Carmich.

(*t*) *Fuerant*]. Proeleus adnotat. *ad h. l.* ſervitutem ex bello oriundam eſſe contra naturam: nam manifeſto rectæ rationi adverſari monet; ideo quemvis poſſe jus imperii in hominem ſapientiſſimum adquirere, quod bello fuerit ſuperior: hac enim ratione putat hominem ſtupidiſſimum viribus corporis robuſtum ſagaciſſimo regi imperandi jus habere poſſe; quod tamen a nemine concedendum eſſe credit. Enimvero licet ſervitus ex captivitate & victoria promanans ſit contra naturam; non tamen eo ipſo contra jus naturæ erit, ratio enim adducta, uti ſupra jam monuimus, ex principiis decori profluit, & juris perfecti rigorem per ſe non infringit: nam ſi aliquis jure perfecto rem aliquam ſibi quæſiverit; juſtiſſime eamdem poſſidet: dignus an indignus ſit, alia quæſtio eſt juri ejus ſtricte ſic dicto nihil detrahens. Treuer.

(*v*) *Quamprimum tamen*]. De cætero ſervitus illa conſtitui poteſt, vel per *actum* §. 4. *h.* quod tamen non ſtatim ſimplici vitæ condonatione initum cenſetur, vid. *d. c.* 3. §. 6. vel, quod frequentius puto, per *Legem Civilem*, quæ, cum pluribus gentibus obſervari ſoleat, *Jus Gentium* vulgo dici ſolet, revera autem nihil aliud eſt, quam *Jus Civile nonnullarum gentium*, exinde autem ſequitur, quod hæc ſervitus recte *legalis* dicatur. Titius.

(*x*) *Mutua fides*]. Si vel maxime victor a victo ſerviles operas ſuo jure poſſit exigere, quod tamen rarius contingere, ex modo dictis conſtat; tamen, cum nemo facile cauſam, quam ipſe tuebatur, injuſtam eſſe cenſeat; multo minus ad pœnam ſubeundam, ubi eam poteſt evadere, ſe putet obligatum; capientis eſt, ſi capti ſervitio ſecurus velit uti, vitam ei & incolumitatem, quæque ad utrumque tuendum pertinent, paciſci, dum hujus contra obſequium & fidele miniſterium ſtipulatur;

greſſa hoſtilitas remiſſa cenſetur (*y*). Et tunc utique (*z*) injuriam etiam taliter adquiſito ſervo facit dominus, ſi vel neceſſaria ad victum non ſuppeditet, vel citra rationem in eum ſæviat, multoque magis ſi citra condignum delictum eundem occidat.

J. N. & G. *l* VI. *c.* 3. §. 5.

V. Jus vendendi ſervum.

Circa illos quoque ſervos (*a*), qui bellica vi in

quo facto, ceſſat hoſtilitas. Iſtud vero pactum expreſſis ſignis iniri debet: nec tamen inficior, ſi victor captum, cujus vitæ pepercit, nec vinctum nec incluſum teneat; eo ipſo tacitum videri pactum initum; quo ille prohibetur, hunc ſine nova cauſa occidere; hic, illi per iſtam opportunitatem hoſtilia intentare. CARMICH.

(*y*) *Remiſſa cenſetur*] Jus itaque vitæ & necis, quod habebat dominus in hoſtem, hic penitus ceſſat, nec dominus iſti juri eo ipſo renuntians in poſterum mortem pro lubitu inferre poterit. Renaſcitur autem illud jus, ſi ſervus redeat in ſtatum hoſtilem, violetque conditionem, ſub qua dominus juri vitæ & necis renuntiavit: quod vel feroci reſiſtentia & excuſſione mandatorum, vel fraudulenta fuga fieri poteſt. TREUER.

(*z*) *Et tunc utique*]. Sive autem pacto, ſive lege ſervitus illa introducta ſit, certum utique eſt, quod dominus, ſi limites poſitos tranſiliat, ſervo injuriam faciat, *h.* quod fruſtra negat Hobbeſ. vid. *d. l* VI. *c.* 3. § 8. Eo facilius autem quis illud conceſſerit, ſi expendat, quod tota illa ſervitus, prout a plerisque gentibus obſervata fuit, aut adhuc obſervatur, ſit mera injuria & immanitas. TITIUS.

§ V. Varia Servorum alibi atque alibi fuit conditio; velut *Helotarum* apud Spartanos, *Peneſtarum* in Theſſalia, & *Catanancephororum* Sicyone: ſed nobis pro inſtituti ratione indicaſſe ſufficiat, in Republica Romana militari latumque imperium quærente, ſervorum longe duriorem fortunam fuiſſe, quam apud Hebræos, Athenienſes & Germanos, qui memores erant, ſervos, iisdem feminibus ortos, eodem frui cœlo, nec ſervitutem in animum deſcendere, qui natura liber manet, uti Planudes de *Æſopo* dixit. Apud Judæos Sabbathum in gratiam ſervorum, & maxime eorum, qui Hebræi eſſent, fuit inſtitutum, *Exodi* XXI. *vſ.* 20. & *Deut.* V. *vſ.* 20. Athenis *αἰκίας δίκη*, actio injuriarum adverſus dominos competebat, Athen. VI. *Deipn.* 19. ad Theſei quoque templum, tanquam ad aſylum, eis confugere licebat, & *homines ſervulos potare, amare atque ad cœnam condicere, licet hoc Athenis nobis*, ait ille apud Plaut. *Sticho III. ſc.* 1. De ſervis Athenienſium Potterus I. *Archæol.* 9. de Lacedæmoniis Cragius I. *c.* 11. de Germanicis Tacitus adeatur, *de M.* G. *c.* 25. (2) Romani autem, hoſtes ſuos, captos, ut, antequam caperentur, metu durioris ſervitutis, arma lubentius deponerent, non omni tantum exiſtimatione, dominio rerum, nomine, tribu & ſuffragio privarunt; ſed eos etiam in claſſem rerum, ex claſſe perſonarum, conje-

in eam conditionem fuerant abſtracti, nec non qui pretio (*b*) emuntur, receptum, ut, non ſecus ac aliæ res noſtræ, in quemcunque placeret, transferri, & ad inſtar mercium venire poſſent (*c*). Sic

jecerunt, *l.* 2. §. 2. *D. ad L. aquil. l.* 38. §. 2. *D. de ædil. ed. l.* 32. §. 2. *D. de leg.* II. Ulpian. *tit.* 19. §. 1. ita ut, tanquam ad conditionem pecorum redacti, a domino vendi, permutari, oppignorari, noxæ dari, & impune male haberi poſſent, eique pro excuſatione ſufficeret, dixiſſe: res mea eſt: qua de re Plutarchus *in vita Catonis*, & hiſtoria Vedii Pollionis, apud Senecam III. *de Ira* 40. conferri merentur. A ſacris etiam quibusdam eos arcuerunt, ſi Herculi v. gr. res divina fieret, teſte Philone, in libro, *Omnes, qui virtutem colunt, eſſe liberos*, & Servio, ad VIII. *Æneid. vſ.* 177. Florus eos, in omnia obnoxios, *quaſi ſecundum hominum genus* vocat III. 20. immo vix homines uxori iratæ videbantur, apud Juvenal. VI. *vſ.* 223.

O demens, ita ſervus homo eſt!
Otto.

(*a*) *Circa illos quoque ſervos*]. Servitus hæc legalis ab ea, quæ ultroneo pacto initur, longe differt: nam (1) ipſa ſerviendi conditio longe eſt durior: (2) Servos libertate civili ac exiſtimatione humana privat, eosque ad conditionem brutorum redigit: (3) Illos eorumque res dominorum proprietati ſubjicit, add. *d. c.* 3. §. 7. Titius.

(*b*) *Nec non qui pretio*]. Pretium nullum neque a natura, neque a lege naturali homini, multo minus ſervo ſtatutum eſt: mores gentium varie illud determinant, prout ſervorum opera vel vilior, vel præſtantior eſt, vel aliæ corporis animique dotes ſervos exornant. Apud Romanos commune ſervorum pretium erat viginti aureorum, *l.* 31. ff. de minoribus. Plura vide in Potgiesser *de conditione ſervorum l.* 2. *c.* 8. *p.* 223. *Von der* Driesch *in deſcriptione legationis cæſareæ Comitis de* Virmond *p.* 311. varia obſervat circa pretium mancipiorum apud Turcos; *Der Sclav an ſich ſelbſt war ſtarck und wolgeſtalt, daſs alſo der Armenianer an ſtat der* 11. *Ducaten, ſo ihm der Prælat davor gegeben, von den Türcken gar leicht* 60. *und mehr Ducaten hätte bekommen können, wenn er ihnen den Sclaven zum Rudern hätte verkaufen wollen*, & p. 312. *Diejenigen Mägdlein, ſo man vor Jungfern halt, werden weit theurer verkauft, als andre. Unter den Sclavinnen ſind die, ſo aus Circaſſien oder der Moſcowitiſchen Tartarey gebracht werden, die ſchönſten, von welchen eine zum öftern um* 100. *ja etliche* 1000. *Ducaten verkauft wird.* Rex Galliæ A. 1662. legato ſuo Londinum reſcribebat: *Comme je ſuis informé, que les Anglois & les Hollandois font un commerce d'eſclaves noirs ſur les côtes de Guinée & du Cap Vert, je deſire, que vous vous informiez ſoigneuſement, ſi aucune compagnie Angloiſe ou quelques Marchands particuliers de cette nation, vaudroit traiter avec moi de la fourniture d'un nombre conſiderable d'eſclaves tirés de ce pais-là, propres à la rame, moyennant un prix, dont on conviendroit avec eux, qui pourroit être de* 200. *ou de* 250. *livres chacun au plus: à la charge que pour autant d'eſclaves, qu'ils fourniroient a Toulon, on leur payeroit cette ſomme. Memoir. du Comte* d'Estrades. *T. I. p.* 226. Treuer.

(*c*) *Ad inſtar mercium venire, poſſent*]. Corpora ſervorum non eſſe pro mercibus habenda, ſupra oſtendimus. Nec tamen hoc impedit, quo minus jus exigendi ſerviles operas, ex cauſſis ſupra de-

Sic ut ipſum corpus servi domini esse intelligeretur. Ubi tamen humanitas jubet, ut nunquam obliviſcamur, ſervum utique hominem eſſe; adeoque nequaquam eum ita tractemus, velut alias res noſtras, quibus pro lubitu uti abutique, easque deſtruere poſſumus. Et ubi talem ſervum alie-

ſcriptis oriundum, arbitrio creditoris transferri poſſit: jus enim iſtud ſubſidiarium, quod alterius juris expletionem reſpicit, eſt natura ſua alienabile; unde & pactum, quo confirmatur, non patitur in dubio anguſtiorem interpretationem. Sed & qui, capitalis pœnæ vitandæ cauſa, ſe ſuaque, quantum in ſe eſt, victori ſubjicit, paciſci intelligitur quicquid poteſt paciſci, atque adeo jus alienabile ad victorem transferre.

Qui vero non jure aliquem in ſervitutem rapuit, vel in ea detinet, non poteſt ullum jus, quod adverſus captum aut detentum valeat, quocunque titulo ad alterum transferre. Quinimo nec bona fides hic obtendi poteſt: nam præterquam quod poſſeſſionem violentam nullus favor comitetur, neque per eam juris ſui probandi onus transferatur, a violento poſſeſſore, ad petitorem, cui res vi erepta fuerat; Petitori, etiam adverſus quemvis poſſeſſorem, ſufficit, probaſſe rem petitam aliquando fuiſſe ſuam, ut poſſeſſori imponat neceſſitatem oſtendendi, eam rem a petitore fuiſſe poſtea alienatam, derelictam, aut aliquo certo modo jure amiſſam: cum igitur unusquisque naturaliter ſit Dominus ſuæ libertatis, ſive juris de actionibus ſuis diſponendi; hoc jus nullus alius bona fide ſibi poteſt aſſerere, niſi oſtendat id a naturali ſuo ſubjecto receſſiſſe; imo amplius, niſi id evincat ad ſe fuiſſe tranſlatum; Libertas enim occupationi non patet: imo jus, quod adverſus ullius Hominis libertatem alii Homini poteſt competere, non eſt *Domini* proprie ſic dicti, ut ſupra ſatis evictum, ſed *Creditoris.* Vide *Obſ. in præc.* §. Novi equidem hæc, quantumvis generalibus Juris *Civilis*, non minus quam *Naturalis*, principiis conſona, non obſtitiſſe, quo minus *Romani* (demptis paucis quæ *Libertati* indulgebant privilegiis) pariter ac barbaræ quæque Gentes, a vero hac in parte aberrarint; utpote præjudicium foventes, pleriſque populis & olim & hodie inolitum, *per occupationem bellicam acquiri Dominium indiſcriminatim, tum in perſonas, tum in res hoſtium, eorumve qui hoſtium ditioni ſunt ſubjecti:* quod quam ſit a ratione alienum, & juri naturali adverſum, intelligi poteſt ex obſervatis in *præced.* §. & loco ibi allegato; præcipue vero ex Cl. *Lockii Tract. Poſt. de Imperio cap.* 16. Non inficior, jus illud *externum*, quod *Grotio* dicitur, ex Gentium conſenſu natum (& de quo infra ad *cap.* 16. §. 12. *& ſeqq.* nonnulla notabimus) circa res bello captas, & ad alterum non hoſtem tranſlatas, aliquid valere: ſed neque hoc ad *libertatem perſonalem* innocentibus civibus adimendam ſufficit; cum jus Civitatis in ſuos cives eousque non pertingat: neque in ullis rebus *poſtliminium* admittentibus (quod perſonis liberis bello captis omnium Gentium jure conceditur) conſcientiæ ſatisfacere poteſt hoc externum jus; utpote quod eas res vindicandi facultatem priſtinis Dominis non aufert, ſed tantum certo loco, vel potius extra certum locum, eas vindicari prohibet. Carmich.

Digitized by Google

lienare placet, ne iis data opera aut præter meritum addicatur, apud quos inhumana ipſum tractatio eſt manſura (*d*).

J. N. & G. *l.* VI. *c.* 3. §. 7.

Denique & id paſſim receptum (*e*), ut, quæ ex ſer- VI. Vernæ quo jure

(*d*) *Manſura*]. Juri naturæ non repugnat, ſervum vel bello vel pretio noſtro adquiſitum, quando placet, alienare, & dominium noſtrum, quocumque velimus titulo, in alios transferre, nullo habito reſpectu, an humanior an crudelior tractatio eos ſit manſura. Servi enim nullum habent jus perfectum, quo a nobis illam cautionem poſtulare poſſint; idcirco iis hac in re nulla infertur injuria. Aliud tamen ſuadent regulæ honeſtatis & decori, ex quibus obligamur, ut humanitatem erga eos tamquam homines obſervemus, & iniquitatem omnem removeamus. TREUER.

§. VI Alius effectus ſervitutis Romanæ erat, quod qui ex utero ſervili nati eſſent, matris conditionem ſequerentur. Ex ſimplicitate *naturali* autem, verna liber naſcitur; quia nec pacto, neque delicto ſervitutem eſt promeritus; abſurdum quoque videtur, hominem eſſe in fructu, cujus gratia natura omnia procreavit, *l.* 68. *D. de uſufr.* Cic I. *Off.* 6. Nec valet conſequentia, victor non impedivit nativitatem occidendo, ergo natus ejus eſt ſervus. (2) Non deſunt tamen, quibus juris *civilis* regula, *Partus ſequitur ventrem*, defendatur. Verna enim, nondum natus, ſed conceptus, (a) ex natura dominii, jam pars fuerat acceſſoria viſcerum maternorum; & *uterus* captæ Arminii uxoris *ſervitio ſubjectus* dicitur apud Tacit. I *Ann.* 59. (b) In lucem editus, ſi non per occupationem, ſaltem propter alimenta, domino matris ſuæ erat obnoxius, nec habebat, unde debitum ſolveret. (c) Idem hac conditione ſuſceptus, & inter plagas colaphosque, extinctis omnibus libertatis ſcintillis, educatus eſſe cenſebatur, ut ſerviret. (d) Parentes, in liberis maxime periclitantes, citius arma depoſituri eſſe ſperabantur, ne illi duriſſimam ſervitutem ſubirent. (e) Denique quædam Germaniæ gentes eodem principio, in natis hominum propriorum, hodie adhuc utuntur. vid. Grotius II. *c.* 5. §. 29. III. *c.* 14. §. 8. (2) Variæ de ſervis addi poſſent quæſtiones, v. c. an & quatenus illis liceat dominis reſiſtere? an jure ſuo fugere? vel ſervitutem morte exuere poſſint? ſed quia Seneca *Epiſt.* 77. 107. Plutarch. in *Apopht. Lacon.* & Grotius III. *c.* 7. §. 6. & 7. ea jam attigerunt, opera illa ſuperſedere nobis licebit. (3) Illud tantum addo, quod, licet Busbequius, *Epiſt. Turc. III.* exiſtimarit, ſervitutis uſum inter Chriſtianos, inutili pietatis prætextu, quod ſervi fratres & membra ſint unius corporis, ſublatum eſſe; laudandos tamen videri Pontifices Romanos, Pium V. Alexandrum III. & Innocentium III. quod reverentiam præceptorum Chriſti, caritatis magiſtri, in tantum provexerunt, ut Bartolus & Abbas Panormitanus ſcripſerint, ſervitutem Romanam, ſeculo XIII. ubivis inter Chriſtianos ſublatam fuiſſe: Germanica vero hominum propriorum durante. vid. Bodinus I. *de Rep.* 4. Grot. *d. c.* 7. §. 9. & notas ad Böckelm. *Diff.* 22. §. 4.

ſiant domini matris?

ſervis parentibus naſcitur PROLES, ſervilis & ipſa ſit conditionis, pertineatque, tanquam mancipium, ad dominum matris (*f*). Id quod iſthoc argumento defenditur, quod cujus eſt corpus, ejusque

10. (4) Alii forſan urgebunt, ſervitutem jure divino eſſe approbatam *Exod.* XXI. *vſ.* 2. 1 *Cor.* VII. *vſ.* 21. *Col.* III *vſ.* 22. adverſus quos non utar Pauli ſententia, *Gal.* IV *vſ.* 7. ſcribentis, inter eos, qui adoptati ſunt per Chriſtum, neque ſervum eſſe, neque liberum; quia de ſervitute ſpirituali, non de corporali loquitur. Merito autem religionis Chriſtianæ clementia inhumanam illam ſervitutem inter Chriſtianos, eodem pretio redemtos & ad eandem hereditatem vocatos, ſuſtulit: vere enim illa erat contra naturalem hominum æqualitatem, & fines naturalis pudoris, rationis ac honeſtatis, omnesque officii metas nimis excedebat; qua de re Balduinus in *Præfat. ad tit. Inſt. de Jure perſ.* videatur. OTTO.

(*e*) *Denique & id paſſim receptum*] Tandem ſervitus illa (4) Ad liberos quoque transmittitur, quæ transmiſſio, auctoritate legis Civilis facta, quibus rationibus aut prætextibus defendi ſoleat, Auctor hic commemorat, add. *d. c.* 3. §. 9.

2. Præter hæc, alia nonnulla hic annotari debent, (1) Miſeriam hujus ſervitutis in libertatis & exiſtimationis defectu præcipue conſiſtere, vid. *d. c.* 3. §. 10. (2) Servitutem illam, cum ſit a lege Civili, non poſſe tolli, niſi permiſſu Imperantis, qui adeo in civitatibus varios manumittendi modos introducere, vel introductos limitare, eorumque effectum amplius determinare ſolet, add. *d. c.* 3. §. 11. (3) Servitutem, pacto inter victorem & victum conſtitutam, non ſtatim tolli, ſi dominus, ſervo diffiſus, vincula phyſica ei injiciat, licet cum Hobbeſio ita perſuaſum videatur Auctori *d. c.* 3. §. 6. *in fin.* §. 11. *n.* 5. conf. Cumberland. *de Leg. Natur.* c. 9. §. 14.

[illegible] genere quæri poteſt, an ſervitus illa, [illegible] dicam, cum regulis Chriſtianiſmi, ſed communis ſocialitatis conciliari nequeat? Circa quod diſtincte pronunciandum, ſi enim quis bello injuſto in ſervitutem rapiat homines innocentes, tum ſervitus illa injuriæ continuatio eſt, adeoque dubio procul Juri Naturali repugnat. Idem dicendum, ſi bellum quidem juſtum ſit, ſed mancipia, brutorum inſtar, a dominis occidi queant. Si vero ſervitus, juſto bello introducta, intra illos limites conſtringatur, ad quos, quoad privatos, in civitate Romana, eam revocavit Imperator Antoninus, tum illa communiter licita exiſtimatur, ſed ſi rem penitus conſideres, nec hoc reſpectu illa defendi poteſt, nam hoc utique humanitati repugnat, ut homo brutis, ad effectum commercii, comparetur, ac ad operas duriores præſtandas rigide adſtringatur, ut non dubitem, ſervitutem illam eſſe emortuæ ſocialitatis certiſſimum indicium

4. Quæ cum ita ſint, merito ſervitus illa inter Chriſtianos eſt ſublata, ceſſat etiam quæſtio, an illam reduci utile ſit? imo etiamſi eam admittas, nulla tamen utilitas ejus reductionem ſuadet, nam qui ſciſcunt, *ſublatam, apud pleroſque Chriſtianorum, ſervitutem inter cauſas eſſe, quare tanta colluvies furum, vagabundorum & validorum mendicorum paſſim occurrat*, vid. *c.* 3. §. 10. illi mali hujus cauſam & remedium non intelligunt. TITIUS.

(*f*) *Ad dominum matris*]. Moribus gentium ita quidem receptum eſt: jure vero naturæ generatio ſola

Digitized by Google

que par ſit fructum eſſe (*g*), qui ex corpore provenit. Et quia iſta proles naſcitura plane non erat, ſi dominus jure belli in parentem uſus fuiſſet (*h*). Et quia parens nihil habet proprii, nulla ratio prolem ejusmodi alendi ſupereſt, niſi ex bonis herilibus (*i*). Cum igitur dominus alimen-

ſola ex ſervis [illegible] ntum ſervitutis conſtituere [illegible]quit. Notum enim eſt ex cap. 3. parentibus liberos non accedere tamquam bona quædam ad illorum proprietatem ſpectantia, neque parentibus naturaliter perfectum imperium competere in liberos ſibi æquales: multo minus ſervis jus competet profundere libertatem ſuorum liberorum pro lubitu. Quum tamen ſervi natos ex ſe ipſi alere non poſſint, eosque domino alendos neceſſitate adacti concedant; dominus hac ratione propter educationis beneficium jus ſibi nullum adquirit in talismodi infantes: ſed magis patriam, quam deſpoticam poteſtatem nanciſcitur, & liberi illi adultiores facti præter gratum animum & officia liberis debita domino ſuo nihil præſtare tenentur. Quicumque mores gentium hoſce limites tranſiliunt, ad facta gentium ſpectant, non ad jus naturæ: nec miror, ſervorum liberis a tot gentibus ſervitutis jugum fuiſſe impoſitum; quum plæræque gentes vix ſuis liberis pepercerint, & duriſſima quævis data occaſione in eosdem ſtatuerint. TREUER.

(*g*) *Par ſit fructum eſſe*]. At recte nos docuit *Juſtinianus Inſt. lib. II. tit.* 1. §. 37. *Abſurdum videri Hominem in fructu eſſe, cum omnes fructus rerum natura gratia Hominis comparaverit:* quod ſi hanc ob cauſam, ut vult Imperator, partus ancillæ non ſit *Uſufructuarii*; patet, neque ad *Dominum proprietatis* eum pertinere poſſe, tanquam *fructum rei ſuæ*; præſertim cum ſupra oſtenſum ſit, *Obſ.* 1. in §. 4. & eadem qua hic *Juſtinianus* utitur ratione confirmatum, Hominem in alterius hominis *Dominio* proprie ſic dicto eſſe non poſſe. Addo, cum Anima, pars Hominis nobilior, a parentibus non derivetur, æquum eſſe, ut ea partem ignobiliorem ad ſe trahat. CARMICH.

(*h*) *Jure belli in parentem uſus fuiſſet*]. Conſequentia eſt nulla: ſed neque verum eſt, quod hic ſupponitur, omnes qui bello, etiam juſto, capiuntur, præſertim fœminas, (de quibus hic agitur, *Partus* enim *Ventrem* ſequi dicitur) jure poſſe occidi. IDEM.

(*i*) *Niſi ex bonis herilibus*]. Patet ex modo dictis, hunc ſolum ſervituti hereditariæ prætextum reſtare: & ob cauſam quidem hic aſſignatam, quin verna fiat debitor Altori ſuo, ad valorem ſumptuum ei alendo & educando neceſſario impenſorum, non eſt dubium: imo & Filium eodem nomine Parentibus ſuis, a quibus alitur, debitorem fieri, diximus ſupra *Suppl. IV.* §. 7. Hoc quidem intereſt, quod, cum a communi Parentum affectu & officio abhorreat, a Liberis ſuis, ſaltem nullum peculium adventitium habentibus, illius debiti ſolutionem exigere, niſi ſumma illorum indigentia, vel horum ingratitudo, ſit in cauſa; Dominis contra, quo minus eam a vernis ſuis exigant, nihil obſtet: qua cum vernæ haud aliter, quam præſtitis operis ſuis, defungi poſſe ſupponantur; has operas Altori ſuo ad iſtum valorem tenentur præſtare; juxta doctrinam traditam ſupra *Obſ.* 1. in §. 4.

Digitized by Google

menta præbeat ejusmodi proli diu ante, quam ipſius opera utilis eſſe queat, & ſequentes operæ ſui temporis alimenta non multum fere excedant; effugere eidem ſervitutem, invito domino, non licebit. Manifeſtum tamen eſt, cum ejusmodi vernæ, nulla ſua culpa, in ſervitutem perveniant, nul-

§. 4. Inde tamen haudquaquam ſequitur, Vernas Altoribus ſuis perpetuum debere ſervitium; cum Homo, vel mediocribus Animi & Corporis dotibus inſtructus, poſſit multo breviore quam totius vitæ ſpatio iſtud debitum exſolvere. Iisdem principiis conſonum eſt, ſi quis alius velit ab initio vernam alere, vel poſtea, quod is Domino debet, perſolvere, ita ut meliorem reddat Vernæ conditionem, vel ut ipſe Verna, ſi ſit adultus, iſtam tranſlationem petat; non habere dominum matris, quod ulterius jure poſſit exigere: ut &, ſi quid aliunde Vernæ advenerit, id ipſi Vernæ, non domino matris acquiri, atque adeo illi prodeſſe poſſe ad liberationem: uno verbo, non eſſe deteriorem, jure naturali, conditionem vernæ; quam quæ eſt, jure civili, Civis Romani ab hoſtibus redempti, & pignoris loco detenti donec pretium ſolvatur: vide *Cod. lib. VIII. tit.* 51. Sed nec vernæ debitum augeri cenſendum eſt ex eo capite, quod neſciverit Altor, utrum verna omnino eſſet victurus, quoad valorem ſumptuum ſibi impenſorum poſſet reſtituere; quaſi hæc incerta alea, quæſtus per vernam faciendi magnitudine, eſſet penſanda: quippe unicuique homini in mundum venienti *Neceſſitas* jus facit ad ea, quæ ſunt ei conſervando, & in commodum Humanæ Societatis membrum formando, neceſſaria: imo Dominus, qui Parentis labores, quibus alioquin & ſibi & proli ſuæ deberet proſpicere, ſibi vendicat, huic proli, non minus quam pare[illegible] debet alimonium; ſub onere qu[illegible]m reſtitutionis, ſi reſtituere unquam verna potuerit; ſin minus, ſine eo: neque aliud hic eſt ſtatuendum, quam in reliquis caſibus, quibus ſumma inopia laborantibus res ad vitæ ſuſtentationem neceſſariæ conceduntur; pro quibus quidem deberi ſtricto jure reſtitutionem, cum quis eam potuerit facere, omnes concedunt; ſed deberi in hoc caſu lucrum aliquod, ad inſtar *fænoris nautici*, ob incertam aleam, nemo ſanus dixerit. Denique, nec ullæ Leges Humanæ, ad obligationem, de qua hic agitur, intendendam, recte allegantur: cum enim Homines ante ſuum factum, non niſi mediantibus Parentibus aut Altoribus, Legibus Civilibus ſubjiciantur; non poteſt per has, illorum in non conſentientes poteſtas amplior fieri, quam eam ipſa natura fecerat.

Materiam trium poſteriorum *h. cap* §§. eo prolixius tractavi, quod perſuaſum habeam, uſurpatum illud jus *Dominii* in Servos, tanquam in pecora, quale apud Antiquos obtinuit, & quale etiamnum hodie (licet *Chriſtianis inter ſe* & in plerisque *Europæis Regionibus ſimpliciter*, exploſum) in aliis Mundi plagis, & majore forſan quam apud veteres Ethnicos tyrannide, a quibusdam Christi nomen profitentibus, ingenti ſacroſancti illius Nominis probro, exercetur, eſſe, ut Cl. *Titii* hic verbis utar, *Emortuæ Socialitatis certiſſimum indicium.*

Si quis objiciat, varia Legum Moſaicarum præcepta. iſtius juris uſum

nullum eſſe prætextum, quare iſti durius debeant tractari, quam conditio perpetuorum mercenariorum admittit.

J. N. & G. *l.* vi. *c.* 3. §. 9.

uſum ſupponere; viderit is, an non de illis, æque ac de præceptis Polygamiæ ſupponentibus, idem ſit dicendum, [illegible] de lege divortium in foro externo permittente; *ea ſc. Hebræis ob cordis eorum duritiem fuiſſe indulta*; præſertim, cum unum præceptorum eo pertinentium, divortii quoque externam permiſſionem contineat: *Exod.* XXI. 3. 4. Addo, cum aliud jus Hebræis in ſervos Hebræos, aliud (per modum pœnæ, ut veriſimile eſt) in exteros Idololatras, in foro ſaltem externo, ſit conceſſum; iſtam propinquitatem, quæ per Legis Moſaicæ literam inter ipſos Hebræos conſtituitur, eſſe hodie, ſecundum Juris Naturalis dictamen, & Evangelii præſcriptum, ad omnes extendendam. Confer *Lev.* XIX. 18. & *Lucæ* X. 36, 37. Idem.

C A-

Caput V.

De Cauſa impulſiva conſtituendæ Civitatis.

Summaria.

I. *Status adventitius IV. Civilis, in quo officia deducenda ex ortu civitatis.*
II. *Ad eam homo non eſt pronus,*
III. *Quod patet, ſi tria conſiderentur:*
IV. 1. *Conditio moleſta civis,*
V. 2. *Requiſita animalis politici.*
VI. 3. *Natura humana, vitæ civili repugnans.*
VII. *Sed conſtituta eſt ad vitæ ſecuritatem,*
VIII. *Quam in libertate naturali nec naturæ lex præſtat,*
IX. *Nec Numinis metus, aut conſcientia.*

I. Status adventitius IV. Civilis, in quo Officia de-

Quamquam vix ſit jucunditatis (*k*) quid atque commoditatis, quod per hactenus enumerata officia, ſtatusque obtineri non poſſe videatur: quare tamen mortales, non contenti par-

§. I. Sequitur nunc quartus ſtatus adventitius, qui ex tribus præcedentibus componitur, & nobiliſſimam juris gentium partem conſtituit: quæ *jus publicum univerſale* vocari ſolet. Cicero V. *de Finib. bon.* 23. *Nihil eſt tam illuſtre, nec quod latius pateat, quam conjunctio inter homines hominum, & quaſi quædam ſocietas & communicatio utilitatum, & ipſa caritas generis humani, quæ nata a primo ſatu, quo a procreatoribus nati diliguntur, & tota domus conjugio & ſtirpe conjungitur, ſerpit ſenſim foras, cognationibus primum, tum affinitatibus, deinde amicitiis, poſt vicinitatibus, tum civibus, & iis, qui publice ſocii atque amici ſunt.* &c. Ideoque Auctor hunc in ſequentibus ordinem ſervat, ut primo naturam civitatis & imperii, poſtea officia imperantium, deinde bellum, pacem, fœdera, & civium officia exponat. (2) Vox *civitatis* hic non accipitur late pro magna mundi Republica, neque ſtricte pro unius urbis incolis, ſed pro cœtu hominum, bene vivendi cauſa, jure ſociato, qui neminem agnoſcit ſupe-

parvis illis, primiſque ſocietatibus, magnas ſocietates, quæ Civitatum nomine veniunt, conſtituerint, jam inveſtigandum reſtat. Ex hiſce enim fundamentis deducenda eſt ratio Officiorum, quæ ſtatum hominum civilem comitantur. ducenda ex ortu civitatis.

J. N. & G. *l.* vii. *c.* i. §. i.

II. Ad eam homo non eſt ſua natura pronus.

Heic igitur NON SUFFICIT (*l*), DIXISSE; HOMINEM PER NATURAM IPSAM RAPI AD SOCIETATEM CIVILEM, ut citra eam nec poſſit, nec velit vivere. Sane

periorem; ſive is una in urbe, ſive pluribus in oppidis, provinciis & regnis degat. Alias *Reſpublica* vocatur, vel *Imperium*, ſi regni magnitudinem excedat. (3) Dixi *jure ſociato*: nam ſervorum & fugitivorum congregata multitudo unita quidem eſt, ſed in legum obſequium non conſentit. Eundem in modum Plato *de Rep.* Ariſtoteles III. *Polit.* 1. 2. civitatem definivere: Cicero *Somn. Scipion.* 3. *Concilia cœtusve hominum, jure ſociati, quæ Civitates appellantur.* Otto.

(*k*) *Quanquam vix ſit jucunditatis*]. Tres ſocietates, hactenus expoſitæ, ſi cohæreant, *Familiæ* nomen aſſumunt, de qua tamen peculiariter agendum non videtur, quia, ſi patremfamilias ad uxorem, liberos & ſervos referas, officia illorum ex præcedentibus patent, ſi vero illum, ut Principem, conſideres, eadem ejus, quæ ſummorum Imperantium, ſunt jura, de quibus deinde agendum erit. Porro non opus eſt, ut de *Pagis*, *Vicis*, *Oppidis* vel *Municipiis* ſeorſim agatur, nam uti incertum eſt, an per illos gradus præciſe ad civitates perventum fuerit, ita, eo poſito, manifeſtum eſt, corpora illa, in ſtatu Naturali, civitatum inſtar fuiſſe, hinc non opus eſt, ut tractationem, mox inſtituendam, hic occupemus. Quod ſi autem illa corpora conſiderentur, prout hodie in ſtatu Civili occurrunt, tum liquidum eſt, eorum expoſitionem pertinere ad tractatum de ſubditis: hi enim, præter vinculum ſubjectionis generale, variis nexibus conjuncti ac per peculiaria ejuſmodi corpora diſtributi eſſe ſolent. Quæ cum ita ſint, Auctor ad civitates ſtatim pergit, §. 1. *b.* in qua quidem tractatione ſummatim tria ſpectari debent. (1) cauſa impellens, (2) aptitudo coëuntium & (3) ipſa civitatum ſtructura. Titius.

§. II. Cur homines, relicta libertate naturali, in civitates ſeſe contulerint, ex ſcriptoribus ethnicis, qui ſibi non conſtant, vix diſci poteſt. Epicurus *concurſum* atomorum; Plato *indigentiam* variarum rerum; Lucretius *violentiam*; Cicero rerum ſuarum *cuſtodiam* allegarunt. Sic ille: *Hanc enim ob cauſam maxime, ut ſua tenerent, reſpublicæ civitateſque conſtitutæ ſunt. Nam etſi, duce natura, congregabantur homines, tamen, ſpe cuſtodiæ rerum ſuarum, urbium præſidia quærebant II. Off.* 21. Ariſtoteles vero I. *Polit.* 2. hominem, ut *natura civile animal*, φύσει ζῶον πολιτικὸν, ſua ſponte putat impelli ad civitatem, ut piſcis ad natandum & avis ad volandum. (2) At licet homines natura ferantur ad ſuam felicitatem, iidemque ita nati ſint, ut inter omnes eſſet ſocietas quædam;

Digitized by Google

Sane enim, cum apertum ſit, hominem eſſe tale animal, quod ſe ipſum & ſuam utilitatem quam maxime amat; neceſſum eſt, ut dum ultro ſocietatem civilem affectat, aliquam utilitatem, inde ſibi proventuram, reſpexerit (*m*). Et quanquam extra ſocietatem, cum ſui ſimilibus, homo erat futurus animal longe miſerrimum: tamen cum naturalibus deſideriis & neceſſitatibus hominis per primas ſocietates, & per officia, [illegible] humanitate, aut pactis præſtita, abunde potuerit ſatisfieri, non ſtatim ex ſocialitate hominis inferri poteſt, ejus indolem præciſe ad ſocietatem civilem ferri (*).

J. N. & G. *l.* VII. *c.* I. §. 2. 3.

III. Tria in hanc rem

Id quod planius fiet (*n*), ſi conſideremus, quænam

dam; infantes etiam ad vivendum, adulti ad bene vivendum, aliorum ope indigeant; ex eo tamen appetitu necdum ſequitur appetitus civitatis; primo enim commoda magis ſocietatis qualis qualis, quam ipſæ ſocietates maximæ appetuntur; & deinde, extra vitam civilem, felix quoque eſſe poterat conditio ſegregum patrumfamilias, Noachi, Abrahami & Jacobi; qui domo ſua, tanquam civitate, utebantur; fœdera cum aliis pangebant, & omnia Principis jura in familiam ſuam exercebant. *Hoc equidem, reor, vixiſſe ritu, prima quos mixtos Deis profudit ætas*, cecinit Seneca *Hipp. vſ.* 525. Denique Hobbeſius *de cive c.* I. §. 2. ac Conringius, *Prudent. civil. c.* 6. ab Ariſtotele diſceſſerunt, & Auctor tribus argumentis, in totidem §is. ſequentibus, cum refellit. Otto.

(*l*) *Heic igitur non ſufficit*]. Primum quod attinet, hominem ad civitatem non rapuit *natura*, id eſt, homo, per naturam, ſepoſitis objectis moventibus, ſocietatem civilem neceſſario non appetiit, §. 2. *b.* Quemadmodum ejusmodi appetitus, quoad diverſum ſexum, occurrit, qui non tantum objectis præſentibus moveri, ſed & abſentia ultro velut quærere ſolet, quod quidem vel Ariſtoteles, vel ejus ſectatores exiſtimaſſe cenſentur, vid. *l. VII. c.* I. §. I. 2. 3. de quo tamen mox amplius videbimus. Titius.

(*m*) *Reſpexerit*]. Non enim propter ſocietatem homines conjunguntur; ſed propter commoda tendunt ad ſocietatem. Treuer.

(*) *Ad ſocietatem civilem ferri*]. Præjudicium Ariſtotelicum, quod hic refutatur, hominem eſſe ζῶον πολιτικὸν, ab aliis quoque luculentiſſime convulſum eſt, ab Hobbesio *de cive c.* I. §. 2. Houtuyn *polit. contr. gen.* §. 15. Conring *de civili prudentia c.* 6. Boehmero *jur. publ. univ. part. ſpec. lib. I. c.* I. §. 4. Multo minus homo natura fertur in ſocietatem civilem, quæ natura nota non eſt; ſed demum per factum humanum fuit inſtituta. Idem.

(*n*) *Id quod planius fiet*]. De cætero ratio illi ſententiæ conſtat,

nam CONDITIO EX CONSTITUTIS CIVITATIBUS apud homines proveniat; quid requiratur, ut quis VERE dici queat ANIMAL POLITICUM, id eſt, BONUS CIVIS; quid denique deprehendatur IN NATURA HOMINIS, INDOLI VITÆ CIVILIS REPUGNANS. conſide-randa.

J. N. & G. *l.* VII. *c.* I. §. 4.

IV. 1. Conditio ex hac ſocietate proveniens.

Qui Civis fit, libertatis naturalis jacturam facit, ac imperio (*o*) ſe ſubjicit, quod jus vitæ & necis complectitur; & cujus juſſu plurima facienda, abs quibus quis alias abhorrebat, & omittenda, quæ vehementer adpetebat.. Pleræque etiam actiones ad bonum ſocietatis referendæ, quod ſæpe a bono ſingulorum videtur diſcrepare. Atqui ad hoc per inclinationes, jam congenitas, fertur homo, ut nemini ſubjectus eſſe, ut omnia ſuo agere arbitrio, ut proprio commodo in omnibus velificari velit (*).

J. N. & G. *l.* VII. *c.* I. §. 4.

ANI-

ſtat; ſive naturam hominis *integram*, quam ex S literis credunt Chriſtiani, ſive *corruptam* ſupponas, nam *illa* civitatibus haud indiguiſſet, ſed homines, integra natura præditi, Legem Naturalem ſine illis exactiſſime ſervare potuiſſent, in hac vero obſervantia vera felicitas hujus vitæ eſt poſita, ut nulla appareat ratio, quare ejusmodi appetitus naturæ integræ fuerit velut implantandus, *hanc* vero ſi reſpicias, homines corruptos & civitates, aut potius ſubjectionem, averſari, nec ad ſubeundam conditionem civilem ſatis aptos eſſe, pluribus hic oſtendere voluit Auctor §. 3. 4. 5. 6. add. *d. l.* VII. *c.* 1. §. 4. hoc autem poſito, perinde abſurdum eſt dicere, hominem per naturam ad civitates rapi, ac ſi contendas, claudum, innata quadam & immutabili proclivitate, ad curſum ferri. TITIUS.

§. IV. Recte Cæſar ſcripſit: *Omnes homines natura libertati ſtudere, & conditionem ſervitutis odiſſe* III. *de Bello Gall. c.* 10. Quisquis autem imperio ſe ſubjicit, non tantum renunciat libertati naturali, ſed & periculo imperantis mali ſe exponit: multa quoque ab eo pati debet, a quibus natura hominis liberi abhorret. Hinc regnum & libertas ſibi opponuntur apud Livium I. 17. II. 12. & regis ſubjecti dicuntur ſervi 1 *Sam.* XXII. *vſ.* 17. vid. Grotium *l.* I. *c.* 3. §. 12. OTTO.

(*o*) *Ac imperio*]. i. e. Poteſtati juſtæ ejus actiones etiam per vim cogendi in ſocietatis finem. TREUER.

(*) *Velificari velit*]. Nec illud injuſtum eſt; quum hæc omnia ad

V. 2. Requiſita animalis politici.

Animal vere politicum, id eſt, bonum civem, illum dicimus, qui juſſis imperantium promte paret, qui ad bonum publicum omnibus viribus connititur, ac poſt illud privatum bonum lubenter habet; imo qui nihil ſibi bonum credit, niſi idem bonum quoque ſit civitati; qui denique adverſus alios cives commodum ſeſe gerit (*p*). Atqui paucorum ingenia ultro ad hunc finem attemperata inveniuntur, maxima [illegible] metu pœnæ utcunque continetur; multi per totam vitam mali cives, & animalia non politica manent.

J. N. & G. *l.* vii. *c.* i. §. 4.

VI. 3. Natura humana vitæ civili repugnans.

Denique nullum homine animal ferocius, aut indomitum magis, & quod in plura vitia, pacem ſocietatis perturbare apta, ſit proclive. Præter deſideria enim cibi Veneriſque, quibus bruta quo-

ſtatum libertatis pertineant, quem natura intendit, & ad adminicula, quibus commoda felicitatemque ſuam ſecundum normam præceptorum naturalium ex ſuo arbitrio promovere ſatagit: quibus tamen mentis adfectionibus ſtatus civilis varios ponit limites. Idem.

§. V. Supra *lib. I. c. 7.* vidimus, omnes homines natura eſſe æquales, & ſe magis, quam alios omnes, amare: in civitate vero boni civis hæc eſt profeſſio, ut pareat prompte, & nihil privatim utile ducat: ad hoc vero homines magis per longam diſciplinam ſunt ducendi, quam ut eo natura ferantur; immo vix dabitur ſocietas, quæ non utilitatis propriæ cauſa magis, quam ſociorum, ineatur. Otto.

(*p*) *Adverſus alios cives commodum ſeſe gerit*]. Breviter: qui adminiculis quibusvis ad finem ſocietatis ducentibus promte ſubſcribit. Non opus eſt, ſi ad regulas juſti rem examinemus, ut animo recto & bene compoſito ea adminicula præſtentur: ſufficit in externa civis actione nihil deſiderari poſſe. Treuer.

§. VI. Hominum pauciſſimi natura boni ſunt cives: quemadmodum enim difficile eſt, piſcem reperire, qui non habeat ſpinas, ſic & hominem, qui non doloſus ſit aut malignus, ſecundum Archytæ apophthegma apud Ælian. X. 12. Plerique in vetitum nituntur, & avaritiæ, ambitioni, aut vindictæ ſtudent; id vero contrarium eſt naturæ civitatis, in qua ſoli magiſtratui competit facultas malos puniendi. Salluſtius *Catilin. c.* 10. *Primo pecuniæ, dein imperii cupido crevit: ea quaſi nutrices omnium malorum fuere. Namque avaritia fidem, probitatem, ceteraſque artes bonas ſubvertit; pro his ſuperbiam, crudelitatem, Deos negligere, omnia venalia habere edocuit: ambitio multos mortales falſos fieri ſubegit; aliud clauſum in pe-*

ctor

quoque ſolent committi, multis homo agitatur vitiis, quæ bruta ignorant (*q*); uti eſt ſuperfluarum rerum inſatiabilis cupido, & ſæviſſimorum malorum ambitio. Vivax item nimis injuriarum memoria, & vindictæ ardor, longo poſt tempore adhuc gliſcens. Nec non infinita diſſimilitudo inclinationum & adpetituum, & cuique pro ſtudio ſuo extollendo pervicacia. Accedit, quod eo furore in proprium genus ſævire gaudeat homo, ut maxima pars malorum, quibus humana conditio vivit obnoxia, ab ipſo homine proficiſcatur (*r*).

J. N. & G. *l.* vii. *c.* 1. §. 4.

VII. Cauſa civitatis

Genuina igitur & principalis cauſa (*s*), quare pa-

ctore, aliud lingua promtum habere, amicitias inimicitiasque non ex re, ſed ex commodo æſtumare, magisque vultum, quam ingenium bonum habere. Otto.

(*q*) *Quæ bruta ignorant*]. Vid. quæ ſupra ad *l. I. c.* 3. §. 4. diximus. Treuer.

(*r*) *Ab ipſo homine proficiſcatur*]. Suorum malorum cauſſa homo eſt, non exinde, quod in ſtatu naturali vivat, vel putandum ſit iſta vitia ex ejus ſtatus natura provenire; ſed quod aberret homo facillime a norma agendi in recta ratione fundata, nec in naturali libertate ſufficientia ſubeſſe adminicula videantur hominibus extra cancellos ſuos vagantibus reſiſtendi & intra officii ſui limites compellendi. Idem.

§. VII. Cum Hobbeſio, Bodino, Forſtnero & Houtuyno, primariam cauſam impulſivam civitatis ponit in metu hominum ab hominibus, & in conſideratione malorum, quæ ſegreges familias in ſtatu naturali comitabantur. Eam vero ſententiam ut clariorem reddat, (1) in *hoc* §. ſupponit, tantam hominum fuiſſe malitiam, ut alio remedio ei occurri non potuerit; quodque e contrario civitas, opibus firma & copiis locuples, indigentiæ Platonis medeatur. (2) Oſtendit, non ſuffeciſſe ad procurandam ſecuritatem, legem naturalem, nec fœdera, quia ubi Judex deeſt, pœnæ quoque ceſſant §. 8. (3) Nec metum divini Numinis ſuffeciſſe, quia Deus non punit ἐπ' αὐτοφόρῳ: nec morſus conſcientiæ; qui, facto perpetrato, demum à malis ſentiuntur, ut ſupra ad *l.* I. *c.* 1. §. 5. *fin.* vidimus. (4) Verum enimvero quamvis hæc ſatis probabilia videantur, & communis metus vel inimiciſſimos conciliet, Cl. etiam Carmichaël cauſam Auctoris contra Titium & Barbeyracum egerit; malim tamen varias Rerumpublicarum cauſas ſtatuere: alias enim ambitio & ſcelus, alias commune malum, alias rurſus amor viri juſti & prudentis conciliavit. vid. Cicero II. *Offic.* 6. & Juſtin. I *Hiſt* 1. Niſi enim ita procedamus, (a) invita hiſtoria ſacra & profana, dicendum erit, primas respublicas a piis conditas eſſe; cum tamen Caïnus, jam ante diluvium, & poſt illud Nimrodus,

conſtituendæ vitæ ſecuritas. patresfamilias, deſerta naturali libertate, ad civitates conſtituendas deſcenderint, fuit, UT PRÆSIDIA SIBI CIRCUMPONERENT CONTRA MALA, QUÆ HOMINI AB HOMINE IMMINENT (*t*). Nam uti poſt

ceterique magni latrones primi civitatum conditores memorentur, *Gen.* IX. *vſ.* 17. & X. *vſ.* 8. 9. (b) E contrario autem Abrahamus ejusque poſteri ſegreges patresfamilias fuerunt, v. Auguſtinus XV. *de civ. Dei c.* 20. (c) Idem quoque Hermogenianus confirmat, quum in *l.* 5. *D. de juſt. & jur.* ex ſuppoſitione malitiæ humanæ, jure gentium primum introducta bella, dein diſcretas gentes, & ab his regna condita eſſe, ſcribit. Nil vero cauſæ eſt, cur, cum Hubero *de jur. civ. I. ſect.* 2. *c.* 1. §. 37. myſteria quædam in *d. l.* 5. latere, ortumque civitatum hiſtorice & philoſophice deſcribi putemus; quia JCtus ille principiis Hobbeſianis non fuit imbutus, & a dominiorum diſtinctione initium facere debuiſſet. (d) Dominandi libido & avaritia peperit latrones; hi vero duce indigebant, in quem imperium conferretur; legibus etiam opus, ſecundum quas æquabilis prædæ partitio inſtitueretur; tales fuere Bardylis Illyrius & Viriatus Luſitanus apud Ciceron. II. *Off.* 11. (e) Poſtea vero pii quoque in civitates ordinatas, tanquam remedia malitiæ, ſe contulerunt, iisque rudibus hactenus formas addiderunt, electo quodam viro bono, qui non ſecus ſui curam gereret, quam paſtor gregis, aut pater familiæ, uti præter Platonem, Ariſtotelem & Xenophontem Cicero tradidit II. *Off.* 12. *Mihi quidem non apud Medos ſolum, ut ait Herodotus, ſed etiam apud majores noſtros, juſtitiæ fruendæ cauſa, videntur olim bene morati reges conſtituti. Nam cum premeretur inops multitudo ab iis, qui majores opes habebant, ad unum aliquem confugiebant, virtute præſtantem, qui cum prohiberet injuria tenuiores, æquitate conſtituenda, ſummos cum infimis pari jure retinebat.* (f) Conſignabo [illegible] Taciti III. *Annal.* [illegible] *Vetuſtiſſimi mortalium nulla* [illegible] *mala libidine, ſine probro, ſcelere, eoque ſine pœna aut coërcitionibus agebant: neque præmiis opus erat, cum honeſta ſuopte ingenio peterentur; & ubi nihil contra morem cuperent, nihil per metum vetabatur. At poſtquam exui æqualitas, & pro modeſtia ac pudore ambitio & vis incedebat, provenere dominationes multosque apud populos æternum manſere*, & Juvenalis *Sat.* XV. *vſ.* 149. *mutuus ut nos Adfectus petere auxilium & præſtare juberet, Diſperſos trahere in populum, migrare vetuſto De nemore & proavis habitatas linquere ſilvas. Ædificare domos*, &c. OTTO.

(*s*) *Genuina & principalis cauſa*]. Ulterius igitur progrediendum ac oſtendendum eſt, quid civitatem homini fecerit *appetibilem*, quæque adeo cauſa humanam naturam inſtigaverit? Alii cenſent, civitatem eſſe opus naturæ, quod naturali ordine & conſecutione ſit productum, quod a ſcopo aberrare, Auctor oſtendit *d. l.* VII. *c.* 1. §. 5. Alii, per indigentiam homines ad conſtituendas civitates fuiſſe permotos, arbitrantur, quod itidem rejicit *d. c.* 1. §. 6. ac ipſe exiſtimat, ob *metum malorum, extra civitatem futurorum*, ac *ſpem ſecuritatis in civitate obtinendæ*, homines in ſocietates civiles conceſſiſſe §. 7. *b.* add. *d. l.* VII. *c.* 1. §. 7. TITIUS.

(*t*) *Quæ homini ab homine imminent*]. Hanc, quæ ab Auctore aſſignatur, *Civilis Societatis* ineundæ præcipuam *cauſam*, cur ſibi convellendam cenſuerint Cl. Viri *Titius* & *Barbeyracius*, haud ſatis ſcio: ipſi certe ejus loco aliam æque

poſt Deum O. M. homo homini plurimum prodeſſe, ſic & idem non minus obeſſe poteſt. Et recte

que probabilem non aſſignant. Quin callidi & ambitioſi homines, dum ſibi in nova Civitate primas forte partes pollicerentur, artibus ſuis illud inſtitutum promoverint, nullus dubito: at quas [illegible]tes, quove ſucceſſu [illegible] exhibuiſſent, niſi rationes conſilii qui apud vulgus ſpecioſas potuiſſent adducere? Talis autem nulla probabilius adduci potuit, quam quæ ab Auctore memoratur. *Vim* qui cauſantur, ipſi viderit, annon id factum ſupponant, cujus faciendi cauſam quærunt. *Civitatem* ſc. *eamque ad vicinos ſubjugandos ſatis validam*: quod præcipue illi cavere debent, qui Auctori noſtro eundem impingunt errorem; contendentes, non fuiſſe ejusmodi injurias metuendas, quæ Homines in civilem Societatem poſſent impellere, niſi a Civitatibus modo conſtitutis: quaſi non eſſet conceptu multo facilius, quod homines, nondum formatis Civitatibus, a moleſtis vicinis identidem turbari, pulſari, aut rebus ſuis ſpoliari, poſſent, atque adeo ad civilem Societatem, tanquam certiſſimum adverſus iſta mala perfugium, adigi; quam quod plurimis Hominibus invitis in iſto rerum ſtatu permanens aliquod jugum poſſet imponi. Quæ vero, nec immerito, exagitant Cl. Annotatores, tanquam fabuloſa & Hiſtoriarum fidei adverſa, quod magna Hominum multitudo initio convenerint, quod de malis ſuis, eorumque efficaciſſimis remediis, mature deliberaverint, ac tandem, *conſtituendam eſſe Civitatem*, cujus indolem ſc. & regularem formam probe perſpectam haberent, unanimiter decreverint; hæc, inquam, ad doctrinam Auctoris nihil attinent: utpote qui, vel Civium numero, vel Formæ regularitate, & Legum aptitudine, completa & omnibus numeris abſoluta fuiſſe prima illa civilis Societatis ſpecimina, ſomniavit nunquam. Confer *Lockii Tract. Poſt. de Imperio cap.* 9. Carmich.

Qui veram originem civitatis inveſtigare volunt, iis non tantum veroſimilitudo ratiocinii viam monſtrare debet; ſed adhibenda quoque eſt hiſtoria. Alii itaque in eo aberrarunt, quod omnem ſepoſuerint hiſtoriam ſola mentis ſuæ meditatione abſtracta adlaborantes, ut invenirent ortum civitatis: qui tamen ad res facti humani pertinet, adeoque in hiſtoria etiam quærendus. Mirum ergo non eſt, exinde enatas eſſe opiniones, quod amore ignis & caloris, vel admiratione artis muſicæ, eloquentiæ & blandarum perſuaſionum vehementia adducti homines jugum civitatis ſubierint: multi enim cæco ſuæ hypotheſeos ſtudiique peculiaris affectu abrepti ne quidem probabilitatis ſpeciem ſervarunt, ſed longis paſſibus leges veroſimilitudinis migrarunt; ut Epicurus, qui concurſui fortuito atomorum eamdem adſcripſit: vel Athenæus, qui artis coquinariæ illecebris *lib.* IV. *δειπνοσ.* illam attribuit. Alii hiſtoriam quidem adhibuerunt: ſed ſuæ gentis originem inſequuti eam omnis civitatis primam dixerunt, quam populo ſuo peculiariter contigiſſe viderunt. Hinc quæ a Pausania de Phoroneo, & de Saturno, Orpheo, Amphione, Mercurio, Osiride &c. narrantur a poëtis veterum, aliquid veri includere non ambigimus: ortis enim jam civitatibus & perſpecta illarum natura nonnulli ſagaciores viri tutioribus & commodioribus viis incedere poterant ad civitates condendas, quam quas primæ civitates obſervare potuerant. Probabiliſſima per ratiocinationem mentis opinio eſt, quam Hobbes, Houtuynus, Pufendorfius multique alii non proletariis argumentis defenderunt, quod mu-

recte malitiam hominum ejusque remedium æſtimant, qui in proverbii vicem receperunt: niſi judi-

tuus metus homines impulerit ad imperium civile conſtituendum, ut ſecuritas externa eo felicius poſſit obtineri, quæ per diſcordiam & bella familiarum vacillare videbatur. Hujus ſententiæ veroſimilitudo etiam hiſtoria confirmatur. Si enim ſacras literas evolvamus *Geneſ.* IV. 17. aperte deprehendere licet, Caïnum primum civitatis fuiſſe conditorem; non quidem ante trucidationem Abelis, ſed poſt necem ei illatam; quando timebat Cain, ne interficeretur a quovis ſibi obvio. Cain itaque cum ſuis ſeceſſit in civitatem ex metu aliorum, timore conſcientiæ ſuæ perculſus, qua homicidii juſtæque aliorum vindictæ ſe reum eſſe percipiebat. Nec hic ullum argumentum proſtat, Caïnum ſuis adſeclis violentam manum injeciſſe, ut eos ad civile imperium ſuſcipiendum compelleret. Probabilius ſane eſt, Caïnum a tantis conſcientiæ morſibus animique timore agitatum non de violentia inferenda ad hoſtes ulterius excitandos; ſed de fuga ad loca ſecura, de tutiſſimo in urbem receptu cum ſuæ inprimis familiæ hominibus cogitaſſe: hi enim ceteræ Adami familiæ inviſi & eodem metu compulſi caputque ſuæ familiæ ſequuti facile imperio Caïni ſe ſubiecerunt, primamque civitatem condiderunt. Celeberrimus quidem Bohmerus *jur. publ. un. part. ſpec. l. I. c.* 1. cum Ill. Thomasio *diſſ. de contentione morum cum jure ſcripto & fundam. J. N. & G. lib.* IV. *c* 6. & *cautelis circa juriſpr. eccleſ. c.* 4. §. 18 violentiam primam civitati dediſſe originem adſtruens putat, Caïnum fratricidio adhuc recentem nullam aliam cauſſam ad condendam civitatem impuliſſe, quam odium erga pios & dominandi libidinem. Sed liceat mihi viro eruditiſſimo regerere, Caïni *paſſionem* dominantem, ut ex omnibus hiſtoriæ factis adparet, magis avaritiam, quam ambitionem fuiſſe: hoc enim conjicere licet ex fraudulenta & protracta occiſione, cujus circumſtantiæ narrat ex v. 8. ex caussa inimicitiæ, nempe invidia, quod major benedictio, major utilitas contigerit Abeli; ex ſolius iræ & vindictæ divinæ repræſentatione excluſa ejus miſericordia v. 13. ex metu ſervili ab animoſitate omni alieniſſimo v. 14. immo ex vitæ genere, ex quo ipſe vir celeberr. avaritiam oſtendi poſſe judicat *l. c. not. p.* Metus ergo vel maxime perpetuus comes avaritiæ Caïnum impulit, ut ſe tutela aliorum circumdaret, & ex ejus exemplo ſaltem pateſcit, civitatis cauſſam primam mutuum metum fuiſſe, licet eodem modo, quem vult Hobbes & Pufendorf, ex illo principio non fuerint prognatæ nec conſtitutæ. Ea enim hic bene ſecernenda eſſe arbitror: cauſſam impulſivam, ſive neceſſitatem primorum hominum, qua incitati fuerunt ad civitatem condendam, & conſtitutionis modum, ſive ipſum actum ineundæ civitatis: iſta fuit metus omnium, qui in civilem ſocietatem coaleſcebant; hic vero pro iſtorum temporum ratione rudior fuit, quam ut certis regulis fuiſſet ſuperſtructus: potius cæco metus ſui impetu plures ſequuti ſunt illorum voluntatem, apud quos per varias circumſtantias aliqua erat auctoritas; uti in iis videre licet, qui capita fuerant familiæ: quod primæ Caïnitarum ſcilicet civitatis exemplo confirmatur. Houtuynus appoſite hanc in rem *polit. contr. gen.* §. 16. *p.* 39. *Ex vi ſola nec immediate, nec proxime nec originarie imperium eſſe poteſt, nec ipſa vis imperii cauſſa; ſed vel expetendi, vel extorquendi conſenſus modus ab cauſſa res plane diſtincta.* Ideoque conciliari poſſe ſen-

Digitized by Google

judicia eſſent, unus alterum devoraret (*v*). Poſtquam autem per civitates (*x*) in talem ſunt digeſti ordinem homines, ut a mutuis læſionibus tuti eſſe poſſent, ultro deinde conſecutum fuit, ut eo uberius fruerentur commodis, quæ ex hominibus in homines provenire apta ſunt; puta, ut moribus a puero imbuerentur commodioribus (*y*), &

ſententias jam adlatas quisque videt: cauſſa impulſiva fuit metus mutuus; in modo vero conſtituendi hic & inde violentiæ locum fuiſſe propter morum barbariem ingeniorumque ferociam probabile eſt, qua potentiores absque prævia multa deliberatione conſenſum aliqualis multitudinis ex metu coalitæ requiſiverunt; vel tacite eum præſumentes primo pluribus, mox omnibus barbare ſatis imperarunt, primasque civitates ſine dubio informes & male cohærentes ſtatuminarunt. Conf. de origine civitatum *les elemens de la politique par Mr.* FORTIN. *c.* 5. 6. *Aaron Alex.* OLIZAROVIUS *de politica hominum ſocietate Dantiſci* 1651. 4. GUNDLING *de ſtatu natur. Hobbeſii in corp. jur. civ. defenſo & defendendo* §. 13. *ſqq.* MENZ *de prima imperii inter homines origine Lipſ.* 1703. BOECLER *inſtit. polit. lib. I. c.* 1. *p.* 9. *ſeqq.* HERTII *elem. prud. civ. p. I. ſect.* 3. LOCK *tr. du gouvernement civil. c.* 7. NOODT *orat. de jure ſummi imperii opp. adjecta p.* 772. TREUER.

(*v*) *Unus alterum devoraret*]. Nam poſita nulla vi externa, vel ea ſaltem laxiore nimis, quam par eſt, vix aliquid homines feroces & perverſos a ſceleribus quibusvis retrahet. Talem ſtatum depinxit BARLÆUS in India occidentali, quum MAURITIUS *Naſſovius* illi emendandæ mitteretur: *Alida er ſich erheiſchender hohen Nohtdurft nach vornehmlinch auf Verbeſſerung der gemeinen Regiments- und Juſtitz-Sachen, und auf Abſchaffung, Austilgung und Beſtrafung gar vieler Untugenden, Schande und Laſter begeben, die vor ſeiner Zeit und da noch kein Recht Ob-haupt im Lande geweſen, bey den Unterthanen, ſo wol Niederländern, als Eingebohrnen, haufenweiſe eingeriſſen waren, und noch in vollem Schwange giengen, dergeſtalt, daſs man ſich keiner Gottloſigkeit, Diebſtahls, Beraubung gemeiner Gelder und Einkünfte, Todtſchlages, Unzucht und dergleichen ſchämte: ſondern auch mit den allergröbſten Bubenſtücken nur ſeinen Schertz und Spott triebe; indem die ä-gſten Böſewichter dieſes Sprichwort öffentlich führten: Jenſeit der Linie könne man nicht ſündigen: eben als wenn nur die Völcker, die auf diſſeits der Linie wohnen, fromme und ehrbare Leute ſeyn, auf jenſeit aber Ehre und Redlichkeit ein Ende haben müſste. Braſ-lian. Geſchichte p.* 147. *ſq.* IDEM.

(*x*) *Poſtquam autem per civitates*]. Occurritur hic tacite iis, qui indigentiam pro cauſa impellente habent, aſſeriturque, quod vita cultior ejusque ſpes non fuerit *cauſa* civitatum conſtituendarum, ſed conſtitutarum *conſectarium*, cui ſententiæ quivis pro ſuo arbitrio pretium ſtatuat, neque enim vel hanc, vel Auctoris opinionem ſequor. TITIUS.

(*y*) *Ut moribus a puero imbuerentur commodioribus*]. Non tamen putandum, civitatis inſtitutum vitiis omnibus mederi: habet ſuas infirmitates, ut ſunt humana, ſuos defectus: coërcet vitia, non tollit: & civitates æque poſſunt eſſe corruptiſſimæ, ac homines in ſtatu naturali: quod non inepte indicat au-

Digitized by Google

& varias invenirent, atque excolerent artes, quibus vita humana copioſa & commoda fuit reddita.

J. N. & G. *l.* VII. *c.* I. §. 7.

VIII. Securitatem per ſeſe homini non præſtat lex naturæ in libertate naturali.

Illuſtrior adhuc fiet cauſa (*z*) conſtituendæ civitatis, ſi conſideremus, ALIA MEDIA NON FUISSE SUFFECTURA reprimendæ hominum malitiæ. Quamquam enim LEX NATURALIS præcipiat, ut ab omnibus injuriis inferendis homines ſeſe abſtineant: tamen ejus legis reverentia id præſtare non poteſt hominibus, ut in libertate naturali ſatis tuto degere queant (*a*). Etſi enim forte dentur homines animo ita modeſto, ut, ne impunitate quidem data, alios violare velint; alii quoque metu proventuri

auctor Anglus fabulæ de apibus. Multa ſcelera potius incognita manſiſſent, niſi civilis ſocietas exhibuiſſet objecta, in quibus peccare liceret: civilisque vitæ commercium expolivit ingenia, ut acutius, ut excuſatius peccarent; ſcelerumque catalogus mirifice exinde amplificatus eſt. TREUER.

(*z*) *Illuſtrior adhuc fiet cauſa*]. Veritatem ſuæ ſententiæ magis perſuaſurus Auctor contendit, nihil præter civitates procurandæ ſecuritati ſuffeciſſe, non (1) *Legem Naturalem*, quod facile quis conceſſerit, nam licet homines legem illam obſervare debeant, attamen per malitiam non obſervant, ut, in ea perſuaſione ſecuritatem ſuam collocare velle, nimis ſimplex fuerit, add. *d. c.* 1. §. 8. 9. 10. TITIUS

(*a*) *Degere queant*] Solam legem naturæ per ſe quidem hominibus regendis ſufficere, ex intentione ſapientiſſimi legiſlatoris manifeſtum eſt. At vero lex illa, quæ hominum naturæ ita implantata, ut per ejus inſpectionem potentia proxima poſſit cognoſci, in ſtatu naturali (1) obſcurius plurimis hominibus innoteſceret, non quod ſtatus naturalis legis cognitionem impediret; ſed quod homines ſibi relicti nullumque reſpectum ad ſe invicem involventes per ſuam malitiam parum curæ habituri eſſent culturæ animi, notitiæ ſui ipſius & attentionis ad principia juris naturæ. Licet enim multa vitia ignoraturi eſſent, quæ homines in civitate ingenio ſuo male utentes in fraudem legis excogitarunt, & ad promovendam, augendam, ſervandam luxuriam ceterasque cupiditates ſuſtentandas invenerunt: multis tamen adminiculis quoque deſtituerentur, quibus officii ſui admoneri & ad veritates ſalutares ex natura depromendas manuduci poſſent. (2) In ſtatu naturali ſuis fulcris quidem nititur auctoritas legis divinitus nobis præſcriptæ: in hominibus tamen præfractæ mentis & ferocioris ingenii vix ſperanda tanta legis reverentia, ut ſibi temperaturi eſſent ab ejusmodi læſionibus, ubi nulla pericula ab imbecilliore eſſent pertimeſcenda, nulla bella metuenda, & ubi injuriæ impune inferri poſſent. Cui lædendi licen-

Digitized by Google

turi inde mali cupiditates ſuas utcunque compeſcant: magna tamen ex adverſo eorum turba datur, quibus omne jus vile eſt, quotiens ſpes lucri arriſerit, & fiducia propriarum virium, aut ſolertiæ, qua repellere aut eludere læſos ſeſe poſſe ſperent. Quos uti nemo non cavere nititur, qui ſalutem ſuam amat: ita cautio illa commodius, quam ope civitatum, obtineri nequit. Nam utut aliqui mutuo fidem dederint (*b*) de auxiliis invicem ferendis; ni tamen adſit aliquid, quo & judicia eorum uniantur, & voluntates firmiter adſtringantur ad explendam fidem, fruſtra ab iisdem certum auxilium ſibi quis promittit.

J. N. & G. *l.* vii. *c.* i. §. 8.

Denique licet lex naturalis (*c*) hominibus ſatis inſi- IX. Neque Numinis

centiæ & pruritui civile imperium alios ponere ſolet obices, acriusque effrenatam animorum ferociam reprimit ac conſtringit. Ger. Noodt id diſerte & ſignificanter edocet *diſſ. de civili prudentia opp. adjecta p.* 754. *Aude tollere jus civile, ut ſit civili furore. Dic, ubi libertas, inæſtimabile illud naturæ bonum? Si potes; oſtende rerum dominia; quam putes tuam eſſe hereditatem, etſi patris aut matris voto ac pietate delatam? quid vult contractus vel bona fide initus? quæ vis obligationis? Atqui hæc novit jus gentium: utinam res eſſet! ut experimentis conſtat eſſe nomen, niſi in naturæ ſtatu adverſus vim, ferociam, improbitatem bello atque armis adjuvetur, aut poſt inventas leges majeſtas ſummi imperii veritatem naturæ officio jurisdictionis exſequatur.* Treuer.

(*b*) *Nam utut aliqui mutuo fidem dederint*]. Amplius cenſet, nec (2) *Fœdera ſuffeciſſe, cum deficiente Imperio Civili ad fidem explendam paciſcentes adigi ſatis nequeant*: Verum hoc gratis dici & utique fœdera, pro iſto rerum ſtatu, ſecuritatem præſtare potuiſſe, deinde oſtendam. Titius.

§. IX. Quorundam conſcientiam quaſi cauterio inuſtam eſſe, indicavit Paulus 1 *Tim.* IV. *vſ.* 2. licet enim morſus adſint, illi tamen diuturna peccandi conſuetudine non ſentiuntur: in graviſſimis etiam criminibus eſt conſcientia ſtupefacta eorum, qui dedoluerunt, *Eph.* IV. *vſ.* 19. (2) Multi audacius peccant, quod pœna ἐπ' αὐτοφώρῳ ſcelera rarius comitatur, aut ſequitur; ſed *lento gradu ad vindictam ſui divina procedit ira, tarditatemque ſupplicii gravitate compenſat*, ait Val. Max. I. 1. *ext.* 3. (3) Bonis male, & malis bene eſſe, pæne conturbavit Jobum XXI. *vſ.* 6. & Davidem *Pſ.* LXXIII. *vſ.* 2. Claudiano etiam I. *in Rufin.* *vſ.* 1. & 13. dubiam ſæpe mentem traxit ſententia, curarent ſuperi

metus, & morſus conſcientiæ.

inſinuet, non impune laturos (*d*), qui alios injuria affecerint: tamen neque METUS DIVINI NUMINIS, neque CONSCIENTIÆ MORSUS ſat validam deprehenduntur vim habere quorumvis hominum malitiæ coërcendæ (*e*). Nam apud multos (*f*), educationis & conſuetudinis vitio, vis rationis velut

terras, cum res humanas tanta vol[illegible]ciendam & ſuſtinendam: nullus vi caligine

Adſpiceret, lætosque diu florere nocentes,
Vexarique pios &c. OTTO.

(*c*) *Denique licet Lex Naturalis*]. Tandem (3) *Nec metum Divini Numinis, nec conſcientiæ morſus reprimendæ hominum malitiæ ſufficiſſe*, add. *d. c.* 1. §. 11. quod non novum argumentum, ſed primi potius pars eſt, ac adeo cum eo conjungi debet. Nam uti Lex Naturalis non tantum oſtendit, quid ſit agendum vel omittendum, ſed & pœnam divinam ſimul minatur, ita, ſi mens humana illorum cognitione imbuatur, inde conſcientia exoritur. TITIUS.

(*d*) *Non impune laturos*]. Hæc conjungi debuerant cum, iis quæ in *præc.* §. Auctor de Lege naturali philoſophatur: quippe, ut illic *præcepto*, ita hic *ſanctione* Legis Naturalis, haud ſatis efficaciter reprimi oſtendit Hominum malitiam. Quæ in fine *præc.* §. interjiciuntur de Fœderibus, ultimo loco erant ponenda. CARMICH.

(*e*) *Malitiæ coërcendæ*]. Verum eſt, principiis honeſti, quæ internam operantur obligationem, multum quidem roboris ineſſe ad perſuadendum: parum roboris ad coërcendos animos feroces, impios, injuſtos. Non enim remediis coactivis nituntur; ſed inclinant animos ad præſtanda officia internam tranquillitatem promoventia. Poſſet ſufficere metus divini numinis, & deberet ſufficere ad pacem omnium hominum ſul-

hic defectus ex parte religionis. Enimvero hominum corruptio tanta eſt, ut vel numinis notitiam retundant, ſupprimant, contemnant; vel minus recte de DEO cogitent, ejus ideam ſuæ paſſioni accommodent, & inane numen cerebrinum ſibi efforment, quod vel crimina mortalium non attendat, vel ſaltem otioſe eadem ſpectet, & nec punire velit, nec poſſit. Conſcientia aut debilis maxime, aut erronea apud plurimos exiſtit: quæ quum notitiam legum divinarum primum ponat & requirat; non poſſunt non ejus in mente hominum obſcura nonnumquam eſſe veſtigia: vix enim homines ſibi relicti attendunt ad ſuam naturam, ex qua lex naturaliter cognoſcenda: vix utuntur potentia proxima ad inveſtigationem DEI ſuorumque officiorum: ſed immerſi humanæ vitæ negotiis, voluptatibus, illecebris omnem vitam curis impendunt & DEUM & conſcientiam negligentes. Alii, qui incidunt in ſuperſtitionem, conſcientia quidem ſæpe ducuntur; ſed illa conſcientia cum peſſimis vitiis ſtare poteſt, & a ſuperſtitioſo quovis turpiſſima ſcelera committi poſſe videmus. Quam exigua conſcientiæ vis ſit in ſtatu civili exinde patet, quod ejus dictamina promiſcue negligantur, ut honor externus utilitasque conſervetur: famæ plerumque major auctoritas, quam conſcientiæ. vid. BÆLII *dict. crit. t. III. tit.* PATIN. *p.* 2315. Si hæc in civitate deprehendimus, ubi conſcientiæ monitis plerumque civilis ſubvenit aucto-

Digitized by Google

ut obſurdeſcit. Unde fit, ut illi præſentibus tantum immineant, futurorum parum curioſi; ac non niſi iis moveantur, quæ in ſenſus incurrunt. Cum autem vindicta divina lento fere pede ſoleat in-

auctoritas; quanto imbecillius in ſtatu naturali erit robur conſcientiæ, ubi quisque ſui dominus eſſe intelligitur nullum adgnoſcens ſuperiorem. Treuer.

(*f*) *Nam apud multos*]. De cætero facile quis etiam illam probationis partem admiſerit, nam pœna divina non ſtatim urget, præterea in multis conſcientia vel plane deficit, vel affectuum intemperie vincitur, quæ Auctor hic inculcat, ut illorum quidem conſideratio homines ſecuros præſtare non poſſit.

2. Hæc eſt Pufendorfii ſententia, quæ, licet ſcriptoribus recentioribus plerumque probari ſoleat, mihi tamen rationi & veritati parum convenire videtur; nam *primo* eadem ſententiæ, ab initio rejectæ, ſi hæc recte intelligatur, non eſt contraria; qui enim hominem natura ad ſocietatem civilem ferri docent, illi objecta externa, naturam moventia, non excludunt, ſed potius præſupponunt, vid. Jacob. Thomaſ. *Phil. Pract. tab* 39. *n.* 4. 5. dum igitur iſta Pufendorfius enucleatius tradere vult, tantum abeſt, ut ſententiæ Peripateticorum contradicat, ut potius eam magis explicet. Illi bonum, quod naturam hominis ad civitatem impulerit, in genere allegant, Auctor illud in ſpecie nominat, inter quæ nullam eſſe contradictionem facile liquet.

3. Sed *ſecundo*, tota illa Philoſophia, quæ univerſalem aliquam ac uniformem cauſam impellentem adſtruit, ac eo nomine metum, indigentiam vel ſimile quid allegat, a veritate abire videtur, nam præſupponit, quaſi ingens hominum multitudo convenerit, ac de conſtruendis civitatibus deliberaverit, tandemque poſt maturam deliberationem decreverit, civitates eſſe erigendas, eam ob cauſam, quod alias vita parum ſecura vel culta ſit futura. Atqui talis hypotheſis ab omni veriſimilitudine eſt aliena, cum omnia inſtituta humana a tenuibus oriri ſoleant initiis, & ſolennis ejusmodi conventus probari nequeat, imo nec primi homines, etiamſi illos congregatos fuiſſe, concedas, exactam civitatis & bonorum vel malorum, eam comitantium, cognitionem habuerint, utpote quæ longa experientia hominibus, poſt conſtitutas civitates, demum advenire ſolent, negata vero illa notitia, decretum quoque, eam præſupponens, corruit.

4 *Tertio*, quod metum in ſpecie attinet, nolim quidem eum negare, contra quod diſputat Auctor *d. l.* VII. *c.* 1. §. 7. hoc tamen contendo, eum non fuiſſe tantum, ut ideo neceſſario in civitates fuerit coëundum, nam ab hominibus, vel fortuito concurrentibus, vel pacto aliquo conſociatis, mala, quæ metuebantur, inferri debuerunt, hinc non apparet ratio, quare eadem ab hominibus, ſimili nexus genere conjunctis, non potuerint repelli, & quare adeo fœdera ſecuritatem hominibus in ſtatu naturali ante civitates præſtare non potuerint, de quo ſupra §. 8. lit. (*b*). jam dictum; licet enim Imperium Civile paciſcentes ad ſervanda fœdera non adegerit, attamen utilitas valide ſatis eos impellere potuit, cum illa fœdera ſanctiſſime ſervari ſoleant, quæ mutua utilitate ſanciuntur, ceu ipſe Auctor *d. l.* VII. *c.* 1. §. 9. recte docet.

incedere; inde pravis mortalium præbetur occaſio (*g*), ad alias cauſas impiorum mala referendi, præſertim cum ſæpe videant, improbis affatim adeſſe, queis vulgus felicitatem metitur. Accedit, quod ſtimuli conſcientiæ, quæ facinus antecedunt, non ita validi videantur, quam qui idem ſubſequuntur, quando id, quod factum eſt, infectum amplius fieri nequit. Enimvero pravis cupi-

cet. Facile igitur liquet, illos, qui metum pro cauſa impellente venditant, ejusmodi mala, quæ a civitatibus bene compoſitis inferri poſſunt & ſolent, in oculis habere, eademque ad illum generis humani ſtatum, in quo civitates nondum erant, transferre, quo ipſo Philoſophiæ hujus inconcinnitas apparet.

5. Magis ſerio igitur ſi de cauſa impulſiva conſtitutarum civitatum philoſophandum ſit, dicerem, homines natura ad ſocietatem civilem ferri, ob *appetitum boni*, quæ eſt ſententia Peripateticorum, bonum vero, neque certum, neque uniforme, quoad omnes homines, nominari poſſe, ſed hunc hujus, illum alterius conſideratione fuiſſe permotum, ut in civitatem concederet, quare is etiam, qui per vim imperio ſubjectus fuit, appetitu boni permotus dici poteſt, nam pro iſto rerum ſtatu, maluit eſſe civis, quam mori, aut graviora mala pati, ſeu ex duobus malis minus elegit.

6 Quodſi tamen magis definite pronunciandum ſit, non improbabile eſt, ſi prima civitatum initia ab *ambitione* repetas, dum callidi & ambitioſi, coadunatis utcunque hominibus, ſimpliciores & imbelles oppreſſere, in eosque dominatum ſumſerunt, hoc enim ex indole hominum, quid ſcilicet illi appetere vel averſari ſoleant, imo ex certaminibus, quæ circa imperia conſtituta occurrunt, non male forſitan colligas.

7. Jactis ita fundamentis, alii variis de cauſis acceſſere, aut etiam nova corpora civilia condere, vel evitando dominatui Respublicas polyarchicas inſtituere cœperunt. Poſtquam vero unum & alterum ejusmodi corpus validum inter homines exſiſtit, tum non abnuerem, alios *metu malorum* præcipue fuiſſe impulſos, ut in ſimilia corpora coirent, ne ab aliis, arctiori vinculo conjunctis, opprimerentur, ſed quod metus prima fuerit cauſa, quæ magnum hominum numerum, ad ſolennem deliberationem ac civitatis conſtituendæ decretum ejusque exſecutionem compulerit, id utique fabuloſum videtur.

8. Illud interim manifeſtum eſt, quamcunque demum cauſam conſtitutarum civitatum adſtruere velis, quod civitatum exiſtentia hominum *naturam ex parte malam* præſupponat, nam vel a malitia, vel in remedium malitiæ, illæ ſunt introductæ, quod ſi autem hominum natura penitus *recta* & *integra* foret, tum nihil eſſet, quod civitatem homini facere potuerit appetibilem. Titius.

(*g*) *Præbetur occaſio*]. Non quod divina providentia in culpa ſit, quæ arcana ratione procedit: ſed quod homo vix attendens ad ea, quæ in ſenſus incurrunt, judiciorum divinorum arcana conſilia non deprehendat, nec providentiæ metho-

cupidinibus reprimendis præſentaneum, & ad indolem hominum probe attemperatum remedium in civitatibus reperitur.

J. N. & G. *l.* VII. *c.* I. §. 12.

thodum introſpiciat. Ea propter plurima argumenta, quæ providentiam Dei in lumine naturæ demonſtrant, obſcuriora ſupra diximus, quoniam ex iis obſervationibus deſumta ſunt, de quibus impios ex ratione convincere non poſſumus; quod non aliis cauſſis præter ſolam operationem divinam ſint adſcribenda. Theologia tamen naturalis habet nonnulla argumenta, quibus luculente conſervationis & cooperationis Dei neceſſitas & efficacia declaratur. Treuer.

C Æ

Caput VI.

De Interna Civitatum ſtructura.

Summaria.

I. *Securitati optime conſulitur per homines alios,*
II. *Bene multos,*
III. *Ad eundem finem conſpirantes,*
IV. *Et voluntates ſub una poteſtate unientes,*
V. *Cui ſinguli ſuam voluntatem ſubjiciunt,*
VI. *Itemque ſuas vires.*
VII. *Civitas ergo tribus coaleſcit, 1. Pacto ſingulorum cum ſingulis,*
VIII. 2. *Decreto de forma regiminis,*
IX. 3. *Pacto inter cives & imperantem.*
X. *Inde civitas unam perſonam moralem conſtituit,*
XI. *Cujus voluntas ſe exſerit, vel per unum hominem,*
XII. *Vel per concilium paucorum, aut omnium.*
XIII. *Conſtat imperante & civibus, originariis & adſcititiis.*
XIV. *Eſt tamen ſano ſenſu a Deo.*

I. Avertendis malis utilis conjunctio hominum.

PROXIMUM eſt (*i*), ut inveſtigemus, qua ratione Civitates ſint exſtructæ, earundemque INTERNA COMPAGES cohæreat. Ubi illud primo ma-

§. I. Materia civitatum remota eſt hominum multitudo, proxima autem ſunt Imperantes & ſubditi. Licet enim capite præcedente negatum fuerit, homines perinde natura ad civitatem, atque aves ad volandum, impelli & trahi; haud tamen diffitemur, eos, tum ob uſum rationis, tum propter manus ad omnis generis arma fabricanda & tractanda habiles, ſolos eſſe aptos ad vim repellendam: id quod Auctor, remotione trium aliorum non ſufficientium, oſtendit. (a) Enim *loca* munita ſunt carceris inſtar, & arces, tanquam libe-

Digitized by Google

maniſeſtum (*k*) eſt, adverſus mala, ab hominum pravitate imminentia, ſingulis hominibus neque locum aliquem, neque arma, neque animantia bruta (*l*) commodius & efficacius præſidium potuiſſe ſuppeditare, quam ALII HOMINES. Eorum autem vis (*m*) cum in longa diſtantia non feratur,

liberorum hominum compedes, a multis olim ſpretæ ſunt, & nunc ſpernuntur. (b) Ab *armis* pauci ſibi opem non poſſunt polliceri, adverſus plures. (c) *Brutorum* denique ſatellitium idoneum non eſſe, exemplo elephantorum, Robertus Knox *de Inſul. Ceylon. II. c.* 1. oſtendit. (2) Recte igitur Solon apud Lucianum *de Gymnaſiis* ait, civitatem non eſſe muros mutos, aut conjunctionem tectorum, delubris diſtinctam, ſed omnem vim atque auctoritatem ejus in civibus & junctis eorum viribus ſitam eſſe. *Ἄνδρες πόλις, καὶ οὐ τεῖχοι*, Nicias apud Thucydid. dixit VII. 14. cui ſimile eſt illud Themiſtoclis apud Juſtinum II. 12. *Patriam municipes eſſe, non mœnia; civitatemque non in ædificiis, ſed in civibus poſitam.* (3) Juvenalis denique XV. *vſ.* 154. arma & turres cum multitudine virorum conjunxit: *Tutos vicino limite ſomnos ut collata daret fiducia: protegere armis Lapſum, aut ingenti nutantem vulnere civem, Communi dare ſigna tuba, defendier iisdem Turribus, atque una portarum clave teneri.* OTTO.

(*i*) *Proximum eſt*]. Pergit Auctor ad civitatum *ſtructuram*, ſed debebat præcedere disquiſitio de *aptitudine coëuntium*, vid. c. 5. §. 1. h. l. lit. (*k*) de qua paucis ita dicendum. Homines ad civitates ſunt apti, ob *uſum rationis*, quo ſtructuram civitatis intelligunt & efficere poſſunt, vid. *l.* VII. *c.* 1. §. 3. Deinde ob *reſiduam naturæ bonitatem*, cui ſi accedat debita cultura, homines utique animalia politica aut boni cives eſſe vel evadere poſſunt. TITIUS.

(*k*) *Ubi illud primo maniſeſtum*]. Circa civitatum ſtructuram ſpectari poterit *materia* & *forma*, illam conſtituere homines facile liquet, nec opus eſt, ut ex metu malorum cum Auctore hoc repetamus §. 1. *h.* add. *l.* VII. *c.* 2. §. 1. IDEM.

(*l*) *Neque animantia bruta*]. Ex bona, quæ homo per remotionem illorum malorum exſpectat, ſingulis provenire nequeunt; ſed a ſola ſocietate proficiſcuntur. Tria autem ſunt: ſolamen contra ſolitudinem, adjumentum in negotiis & protectio contra injurias. Vid. VERULAMIUS *de augm. ſcient. l.* VIII. *c.* 1. *pag.* 206. ſive ut alii exponunt: vivere, juſtitia frui & beate vivere. Quæ tamen omnia in ſtatu naturali per conjunctionem familiarum ſine unione civili obtineri poterunt. PICCART *ad Ariſt. polit. l. III. c.* 6. *p.* 381. & HERT. *elem. prud. civ. p. I. ſect.* 4. *p.* 51. TREUER.

(*m*) *Eorum autem vis*]. Forma conſiſtit in legitima hominum conjunctione, cujus neceſſitatem Auctor hic iterum ex ſua de metu hypotheſi repetit, ſed non opus eſt, ut ad cauſam impellentem præciſe reſpiciamus, cum finis, vel ultro, vel variis de cauſis asſumtus, illa omnia determinet. Id potius obſervandum, quod unio voluntatum moralis, quæ conſenſu fit, dupliciter fieri poſſit: vel enim plures ita uniuntur, ut maneant æquales, ac ſingulis competat poteſtas de iis quæ ad utilitatem totius cœtus neceſſaria exiſtimantur, ſtatuendi, vel ita, ut ſublata æqualitate, uni ſaltem, vel quibusdam, illa facultas, cum impe-

tur, neceſſum erat CONJUNGI, per quos finis iſte obtinendus erat.

J. N. & G. *l.* VII. *c.* 2. §. 1.

II. Neque eorum paucorum, Nec minus conſtat (*n*), ejusmodi ſecuritatem adverſus alios homines præſtare non poſſe duorum vel trium conſenſionem. Quia facile eſt, ut ad

perio in reliquos, competat; prior nexus doctrinæ gratia dici poterit *ſimplicis obligationis*, poſterior *imperii*: Homines *pacto* & *imperio* connecti docet Auctor *l.* VII. *c.* 4. §. 9. ſed inter hæc non eſt juſta oppoſitio. Conf. *Specim. Jur. Publ. Romano-German. l.* VI. *c.* 7. §. 13. 14. 15. TITIUS.

§. II Si civitas ex ſuis initiis antiquis æſtimetur, vel quindecim homines liberi civitatem & populum efficere poſſent; aut ſane tres familiæ, ſi eas tam locupletes, quam Ælia familia Romæ fuit, ponamus. Val. Max. IV. *c.* 4. *n.* 8. Apulejus *in Apologia: Quindecim liberi homines populus ſunt: totidem ſervi familia: totidem vincti ergaſtulum.* Omnium enim regnorum hiſtoria nos docet, parvas olim, ſed multas, Respublicas fuiſſe, quæ ex una ampla gente, vel ex paucis familiis compoſitis adoleverant. Europa certe pro hodiernis regnis infinitas olim respublicas in Græcia, Gallia, Britannia & Germania ante Romanorum dominationem numeravit. Atque hæc eſt *vetus Germaniæ libertas* democratica apud Tacitum XI *Ann* 16. & *Germanum bonum*, uti Lucanus vocavit VII. *vſ.* 435. (2) Quod ſi vero civitatem nunc condendam intelligas, poſtquam regna majora ex variis rebuspublicis coaluerunt, majore multitudine adverſus vim hoſtium opus eſt: Plinius quidem XXXV. 2. *familiæ populum*, & Juſtinus X. 1. quinquaginta fratres magnum *populum*, ſed per metaphoram appellarunt: Ulpianus vero in *l.* 4. §. 3. *D. de vi bon rapt.* decem aut quindecim homines, rectius *turbam*, quam populum vocavit. (3) Numerus ille civium præciſe non poteſt definiri; quia natura nullam nobis dedit cognitionem horum finium, ſed res omnis metienda eſt comparatione potentiæ vicinorum, ut eorum injuriæ repelli poſſint. Hoc ipſum Plato V. *de Leg.* jam obſervavit, ſed quorundam judicio nimiam multitudinem 5040. civium communiter requiſivit; certe non ſatis pie adjecit, procreationem liberorum, ſi nimis affluat in civitate, prohiberi poſſe. vid. Obſervat. Halenſ. *tom. IX. Obſ.* 1. ubi Bodini doctrina I. *de Rep.* 2. quinque ſcilicet perſonas ad familiam, & tres familias ad civitatem conſtituendam ſufficere, rejicitur. (4) Hippodamus Mileſius altero tanto majorem numerum, quam Plato, & decem millia civium poſtulavit, auctore Ariſtotele II. *Pol.* 8. & III. 2. nec tamen ille nimius eſt reſpectu imperiorum magnorum: nam Romæ, regnante Tiberio, cenſa legimus quinquies ac decies millies centena millia, præter tot pæne toto orbe diſperſos cives, provinciales, ſocios, ſervos & ancillas. vid. *l.* 2. §. 9 *D. de orig. jur.* Lipſ. III *de Magnis. c.* 3. & Iſaac Voſſ. I. *Obſ.* 6 OTTO.

(*n*) *Nec minus conſtat*]. Requirit porro Auctor ad civitatem *homines multos* §. 2. *b.* add. *l.* VII. *c.* 2. §. 2. ſed ex ſua iterum hypotheſi, quæ ob metum malorum

ad paucos hoſce opprimendos tot conſpirent, quot certiſſimam ſibi de illis victoriam ſpondere poſſint; quibus ſpes ſucceſſus & impunitatis fiduciam ad aggrediendum eſt datura. Igitur ad iſtum finem neceſſarium eſt, INSIGNEM HOMINUM MULTITUDINEM (*o*) ſeſe conjungere; ut paucorum hominum ad hoſtes acceſſio non ſit ipſis conſpicui momenti ad victoriam. ſed bene multorum.

J. N. & G. *l.* VII. *c.* 2. §. 2.

III. Per eadem media in

Inter multos iſtos (*p*), hoc fine coëuntes, opor-

rum, homines primo coiiſſe arbitratur, quam ſi neges, etiam hic aliter erit pronunciandum, mihi ſic videtur: ſi civitatem ex ſola autonomia æſtimes, tum familia, in ſtatu naturali exſiſtens, civitas eſt, illiusque adeo numerus ad hanc ſufficit, ſi vero civitatem velut majus quid a familia diſtinguas, tum numerus, hac major, ad illam requiritur, qui deinceps ex comparatione cum Rebuspublicis vicinis amplius determinandus eſt. Titius.

(*o*) *Inſignem hominum multitudinem*]. Auctor non primam civitatum originem ante oculos habuit; ſed animo voluit ideam exorituræ civitatis, quæ nunc demum inter homines relicta naturali libertate condenda foret: quare non exponit auctor, quomodo exſtructæ fuerint civitates, ſed quomodo ſint conſtituendæ, & quibus rationibus commodiſſimis cives novi id negotium abſolvere poſſint & probabiliter ſint perfecturi. Requirit ergo inſignem hominum multitudinem, qua profecto non opus fuit in primis civitatibus condendis, quas parvas fuiſſe tot monumenta hiſtorica & ipſa Biblia loquuntur: non enim tanti exercitus hoſtium pertimeſcendi erant, quales poſtea reipublicæ ad ſumma faſtigia elatæ ſibi invicem oppoſuerunt: & quando hoſtes tunc temporis augebantur, minores illæ civitates potentiam ſuam amplificabant & muniebant per federa: id quod auctor *de l'hiſtoire de la république des provinces-unies t. I. p.* 21. concinne ſatis exponit: *Ces ſocietés n'ont pas été fort nombreuſes d'abord. Il ſuffiſoit de les contracter entre quelques familles. Le genre humain n'étoit pas encore fort multiplié. Ainſi la neceſſité de s'unir en grande troupe n'étoit pas fort preſſante. Peu de gens pouvoient reſiſter à la violence exterieure. Mais dans la ſuite le nombre des méchans s'eſt augmenté. Ils ſe ſont même unis pour avoir le moyen de pouſſer leur invaſions plus facilement. En quoi l'on peut dire qu'ils ſe ſont reglés ſur ce, que les perſonnes foibles avoient fait pour leur mutuelle conſervation. C'eſt ce, qui a donné lieu à ceux, qui ſe ſont unis pour ſe defendre en commun, de fortifier leurs ſocietés par un plus grand nombre de confederés.* Treuer.

§. III. Forma civitatis conſiſtit in morali ac perpetua unione voluntatum & virium; qua ſine corpus multorum hominum, oneri magis, quam præſidio ſibi futurum, finem reipublicæ haud po-

eundem ſinem conſpirantium.

portet, ut ſit CONSENSUS (*q*) CIRCA ADHIBENDA MEDIA, AD EUNDEM FINEM IDONEA. Nam etiam multi, ni conſentiant inter ſe, ſed diſtracti ſententiis in diverſa tendant, nihil efficient. Aut licet ad tempus conſentiant, impellente aliquo affectu, mox tamen, prout mutabilia ſunt hominum ingenia & inclinationes, in diverſa abibunt (*r*). Et quamvis pacto inter ſe promittant, quod ad defenſionem communem vires ſuas ſint adplicaturi; tamen ne hoc quidem modo ad diuturnitatem iſti multitudini ſat cautum erit. Sed oportet, ut quid ampſius accedat, ut qui ſemel ad pacem & mutuum auxilium, cauſa communis boni, conſenſerint, prohibeantur, ne poſtea, cum bonum ſuum pri-

terit obtinere. Cumque totidem ſtudiorum, quot hominum vivunt, ſint millia, nihil efficient voluntates diverſæ, aut vires ſingulorum disjunctæ, ad vim unitam hoſtis propulſandam; ſed opus eſt, ut *jura & officio cohæreant*, Seneca *Epiſt.* 102. Atque hoc eſt tertium illud genus corporum, *quod ex diſtantibus conſtat; ut corpora plura non ſoluta, ſed uni nomini ſubjecta, veluti populus, legio, grex*, ait Pomponius in *l.* 30. *D. de uſurpat.* OTTO.

(*p*) *Inter multos iſtos*]. Ut penitus conſtet, quo nexus genere civitates conſtruantur, præſupponendum eſt, quod civitas ſit vel *ſimplex*, ſeu *una*, vel *compoſita*, quæ ex nonnullis conſtat, ac ſyſtema civitatum etiam dici ſolet. Hoc præſuppoſito Auctor recte, quoad civitatem ſimplicem, requirit *unionem*, recte etiam *nexum ſimplicis obligationis*, velut inſufficientem removet §. 3. *b.* add. *l.* VII. *c.* 2. §. 3. 4. TITIUS.

(*q*) *Ut ſit conſenſus*]. Hunc conſenſum in primis civitatibus metus extorſit, neceſſitas ſine prævia deliberatione elicuit, patientia taciturna confirmavit. Nec obſtat conſenſum ex metu eſſe coactum & minus validum: nam ex ſuperioribus conſtat, metum a tertio aliquo incuſſum præter culpam alterius paciſcentis, conſenſus valori non derogare. Sic qui in imperium civile dicta ratione conſenſerunt, a metu inimicorum compulſi voluntati alicujus, qui cauſſa metus non exſtitit, ſe ſubmittere maluerunt, quam eorum inſultui vel vindictæ eſſe expoſiti. Quod ſi etiam aliqua civitas poſtea per violentiam potentiorum ſit producta; principium ejus omnino violentum fuit & non liberum; ſed quod per conſenſum ſubſequentem & adprobantem confirmatum eſt: coacta enim voluntas etiam voluntas eſt. Quæ tamen auctor de hoc conſenſu profert generatim, nondum evincunt civitatis neceſſitatem: ſuppetebant enim in ſtatu naturali adminicula ad finem ſecuritatis idonea, quæ in federibus & adſociationibus familiarum inveniri potuiſſent. TREUER.

(*r*) *In diverſa abibunt*]. Ni ſc. per idoneum aliquod remedium, quale infra deſcribitur, huic incommodo obviam eatur. CARMICH.

§. IV.

Digitized by Google

privatum a publico diſcrepare viſum fuerit, iterum diſſentiant.

J. N. & G. *l.* VII. *c.* 2 § 3.

IV. Huc ſpectat voluntatum ſub una poteſtate unio.

Cæterum in humano ingenio (*s*) DUO potiſſimum occurrunt VITIA, quæ impediunt, quo minus multi, ſui juris, & abs ſe invicem non dependentes, diu in communem aliquem finem poſſint conſpirare. Unum eſt DIVERSITAS INCLINATIONUM ET JUDICII circa diſcernendum, quod ad finem eſt utiliſſimum: cui in multis eſt conjuncta HEBETUDO ad diſpiciendum, quæ ſententia ex pluribus ſit magis proficua; & PERVICACIA mordicus defendendi, quod ſemel utcunque arriſerit. Alterum eſt TORPOR ET AVERSATIO ultro faciendi, quod utile eſt, ubi deſit aliqua neceſſitas, quæ tergiverſantes, velint nolint, ad officium faciendum ſubigat (*t*). Priori vitio occurritur, unitis in

§. IV. Vix uniri poſſunt multitudinis voluntates & vires, propter duo vitia humani generis, hic allata, quibus accedit naturale illud, *Negligi, quod communiter poſſidetur*, *l.* 2. C. *quando & quib. quarta.* Opus ergo eſt, ut cuncti voluntates & vires ſuas unius hominis, vel collegii voluntati ſubmittant, eique facultatem conferant puniendi contumaces, refractarios, contemtores magiſtratuum, & quotquot ſalutem Reipublicæ impediunt. (2) Ex quibus ſimul differentia patet, inter civitates hominum & quaſi reſpublicas, vel familias formicarum & apum; quas Salomo, Columella, & Apulejus figurate *populum*; Homerus & Virgilius *gentem* appellarunt. Licet enim apes habeant reges, prætoria, urbes & populos, ut Servius ait *ad* IV. *Georg. vſ.* 3. magis tamen ex inſtinctu, quam conſilio agunt, utque uniant voluntates ſuas, non habent neceſſe; quia neque certamen honoris, neque diverſitas temperamentorum, multo minus faſtidium ſtatus præſentis, aut lenocinium verborum eas turbat; omnes denique non tam de defenſione mutua, quam de pabulo, erga hyemem ſunt ſollicitæ. OTTO.

(*s*) *Cæterum in humano ingenio*]. Recte etiam Auctor, commemoratis vitiis, quæ cœtus humanos facile ſolvere ſoleant, arctiorem nexum, quem *Imperii* diximus, requirit §. 4. *b.* ejusque indolem in *ſubmiſſione voluntatum & virium, uni vel paucis facta*, conſiſtere docet §. 5. 6. add. *d. l.* VII. *c.* 2. §. 5. 6. TITIUS.

(*t*) *Subigat*]. Quæ vitia oriuntur (1) ex antipathia animorum, ſive contrarietate temperamentorum & adfectuum: (2) ex invidia, ne aliis bene ſit: (3) ex nimia habendi cupidine, quæ ſibi

in perpetuum voluntatibus omnium. Poſteriori autem, ſi conſtituatur aliqua poteſtas, quæ præſens & in ſenſus incurrens malum infligere poſſit communi utilitati reluctantibus.

J. N. & G. *l.* VII. *c.* 2. §. 5.

V. Unio voluntatum qui obtineatur?

Uniri multorum hominum voluntates nulla alia ratione poſſunt (*v*), quam ſi unusquisque ſuam

ſoli omnia vindicat: (4) ex metu, ne, dum aliorum utilitati proſpicimus, noſtram perdamus. Treuer.

§. V. Multitudo, ex pluribus corporibus phyſicis, natura diductis, & ſingulis compoſita, ita non poteſt unire voluntates ſuas, ut (a) naturalis libertas volendi in ſingulis exſtinguatur, & ſolus Princeps, vel ſola concilii membra velint. Neque (b) ita, ut in magna illa ad diſſentiendum facilitate omnes idem velle incipiant. *Putas tu, poſſe ſententiam unam eſſe omnium? non eſt unius una*, ait Seneca *Ep.* 102. Non etiam (c) per naturam fieri poteſt, ut voluntates civium in animum imperantis transfundantur. (d) Moralis igitur unio, & quaſi traditio per uſum & patientiam hic intelligitur, cujus vis eſt, ut paciſcentes in his, quæ ad finem obtinendum faciunt, unum fiant corpus, & diverſa licet ſentientes id voluiſſe videantur, quod vel uni Regi, vel paucis Optimatibus, vel majori parti Populi placuerit. Hinc Auguſtinus: *Da unum, & populus eſt. Tolle unum, & turba eſt.* Hoc reſpectu civitas crebro à Platone, Ariſtotele, & Plutarcho cum animali comparatur, quod variis mutationibus ſecundum ætates ſuam non exuit naturam, nec temporis lapſu aliud fit ex alio, ſed easdem ſemper affectiones, naturæ ſuæ conſentaneas, ſervat, quamdiu communitas animæ & corporis unitatem ſuam conſervaverit. (2) Ex eadem hac unitate Civitatis multa conſectaria fluunt, v. c. quod ſubditi ex delicto rectoris tenentur; & contra, Principes participant ex delicto ſubditorum. Hinc fœdera durant, etiam capite mutato: nec deſinit populus pecuniam debere, qui Regem accepit; & rex eundem locum in conventibus occupat, quo ante miſſi ex populo ſedebant. Non alio ex fonte manat juſtitia repreſſaliarum, & jus belli in quoscunque hoſtilis civitatis. Deinceps qui naſcuntur, aut civitatem intrant, idem, quod priores, velle intelliguntur. vid. Grot. *l.* II. *c.* 9. §. 8. *c.* 16. §. 16. *c.* 21. & *l.* III. *c.* 2. & 4. (3) Recte idcirco Alphenus Varus philoſophatur in *l.* 76. *D. de judic. Populum eundem vocari, qui abbinc centum annis fuiſſet, cum ex illis nemo nunc viveret*: nam in ſacris & profanis libris eidem populo ſæpe tribuuntur, quæ multis ante ſeculis acciderunt, *Deut.* I. *vſ.* 9. *Act.* VII. *vſ.* 38. & Cicero rempublicam pulchre cum olea & lauro comparavit, quarum perennis opacitas eſt, aliis foliis labentibus, aliis orientibus apud Auguſtin. XXII *de Civ. Dei* 6. vid. Hert. *Diſſ. de plur. hom. unam perſ. ſuſtin. ſect. II.* §. 4. *& ſeqq.* & vita *Alfeni Vari cap.* 7. Otto.

(*v*) *Nulla alia ratione poſſunt*]. Uniri multorum hominum voluntates non poſſe citra conſtitutionem imperii, falſum omnino eſt: poterant enim per alias ſocietates & ſe-

ſuam voluntatem voluntati unius hominis, aut unius concilii ſubjiciat, ita ut deinceps pro voluntate omnium & ſingulorum ſit habendum, quicquid de rebus ad ſecuritatem communem neceſſariis ille voluerit.

J. N. & G. *l.* VII. *c.* 2. §. 5.

VI. Unio virium ſub aliqua poteſtate qui fiat?

Potestas autem talis, quæ omnibus ſit metuenda, itidem inter multos homines nulla ratione conſtitui poteſt, quam ſi omnes & ſinguli ſeſe obligaverint, quod eo modo vires ſuas ſint adplicaturi, ſicut ille voluerit, in quem omnes virium ſuarum directionem reſignarunt. Ubi autem & voluntatum & virium unio facta fuerit, tunc demum multitudo hominum in validiſſimum corpus, Civitatem nimirum, animatur.

J. N. & G. *l.* VII. *c.* 2. §. 5.

VII. Civitas coaleſcit

(*x*) Porro ut Civitas (*y*) regulari modo coaleſcat,

ſedera uniri, quod Germanis olim ſollemne fuit. Rectius colligere licet, unionem voluntatum ad communem ſecuritatem commodius finem ſuum adſequi non poſſe, i. e. communem defenſionem, niſi capite quodam vel concilio conſtituto, a quo communis utilitas poſſit diſpici, promteque ac opportune in actum deduci. Ubi enim ſumma ſecuritatis & defenſionis contra gentium latrocinia fuit cura; ibi non potuit non aliquid reipublicæ oriri: neque enim bella adminiſtrari niſi uno imperante poſſunt; vel ſaltem nonnullis ducibus opus erit, ubi plures reperiuntur pares prudentia. Late id de Germanis proſequitur Conringius *diſſ. de urbibus Germanicis* §. 44. *ſqq.* oſtendens, ſilentibus licet, immo amiſſis Romanorum monumentis veroſimile tamen eſſe, Germanorum ſocietatibus aliquid regii, Laconici tamen aut Æſymnetici non potuiſſe non commiſceri. Treuer.

§. VII. Viri Cl. Titius & Barbeyracus vellicant hanc doctrinam: rectius vero Hertius in *Diſſert. de modo conſtit. civit. ſect. I.* eam ſequitur, & *ſect. II.* Hobbeſium, Houtuynum & Huberum, in alia omnia abeuntes, refellit. Ut res plenius intelligatur, ſciendum eſt (1) de perfectæ reipublicæ ſtructura nos loqui, expreſſa populi volutate ſtabilita; non vero de rudi quadam & indigeſta mole, qualis initio rerumpublicarum, nondum cognitis diverſis formis, fuiſſe videtur: neque de illa,

1. Pacto ſingulorum cum ſingulis:

leſcat, requiruntur DUO PACTA, & UNUM DECRETUM (z). PRIMO enim omnium illi multi, qui in libertate naturali conſtituti intelliguntur, ubi ad

quam tacita voluntas lapſu temporis introduxit. (2) Non quæri, an duo pacta cum decreto intermedio poſſint in uno pacto ſimul conjungi; ſed an non re ipſa differant, quod recte Auctor affirmat. (a) Quia ſinguli primum inter ſe de cohabitatione & mutua conjunctione paciſci, deinde univerſi cum imperante conjungi debent. (b) Primum efficit conſociationem juris & imperii; alterum relationem inter eos, qui regunt & reguntur. (c) Illo ſublato deſinit civitas, non contra. (d) Iſtud plane liberum eſt; quia nemo invitus libertati naturali renuntiat; at in ſecundo plurima ſuffragia etiam diſſentientes obſtringunt; niſi armis oppoſitis ſint valentiores. (3) In Democratia primum tantum pactum reperiri videtur, ſed tamen poſterius ei ineſt, ut majoris partis ſcitum fiat totius populi voluntas, omnesque obligentur decreto plurimorum, etſi pejus ſentientium, in comitiis facto. (4) Alius eſt modus imperii conſtituendi voluntarius, alius involuntarius, vel mixtus: quod ſi enim imperans victor ſibi facit ſubditos, ſecundum quidem deditionis pactum magis apparet, uti in formula apud Liv. I. 38. ſed huic primum ineſſe incipit, ſimul ac homagium victori præſtatur. (5) Si populus recens imperantem quærit, omnino duo adſunt pacta, neque primum, inſtar contignationum & pulpitorum, eſt temporarium, uti Titius putat: nam familia imperante exſtincta prius pactum vim ſuam quam maxime oſtendit. vid. Cl. Carmichaël *ad h.* 6. OTTO.

(x) §. VII. VIII. IX. Nimis hic auctor defixit mentem ſuam in ſæcula præſentia, omnemque priſcorum temporum ſimplicitatem ac ruditatem neglexit. Nam (1) initium civitatum apud primos homines ſollemni conventu & deliberatione cœpiſſe ab omni veroſimilitudine alienum eſt, qui finem non habebant accurate cognitum, ob quem coiiſſe finguntur; nimirum civile imperium. (2) Omnium inſtitutorum humanorum tenuia & rudiſſima fuerunt initia, monente TITIO ad c. 5. h. l. §. 9. lit. (f). Quid? quod (3) de forma regiminis non potuerunt decernere nec paciſci, quæ iis incognita fuit: ignoti autem nulla cupido. (4) Quis tantum ſibi concipiat ordinem obſervatum ab hominibus nulla ingenii cultura gaudentibus? quis vota collegit? an per majora, an per unius eloquentiam res peracta? putasne omnia ſine contradictione ſtatuta? quis rationibus decidendi pondus adjecit? ponas centum tantum homines inculto & agreſti morum habitu imbutos, quorum quilibet ſuimet abſolutus eſt dominus, anne perſuadere tibi potes, hosce barbaros circumſpexiſſe omnia illa conſilia, expendiſſe rationem ſtatus formandi, elegiſſe formam regiminis ſibi optime convenientem, pactisque duobus & decreto eam rem eo ordine abſolviſſe, qui cultiſſimis temporibus dignus eſt, & nonniſi ab aliquo PUFENDORFIO potuit excogitari, qui civitatum bene conſtitutarum jam fuit gnarus. TREUER.

(y) *Porro ut civitas*]. Non novus nexus innuitur, prout quidem videri poterat, ſed quomodo nexus Imperii antea delineatus producatur, exponitur. Nimirum, ex ſententia Auctoris, ut ſubditi Imperanti nexu imperii arctiori obſtringantur, primo quidem inter ipſos pactum, quo ſimplex obligatio producatur, intercedere debet §. 7. *b.* TITIUS.

(z) *Et unum decretum*]. Hic ſpecialius explicare Auctor aggreditur,

Digitized by Google

ad civitatem faciendam congregantur, inter ſe SINGULI CUM SINGULIS PACTUM ineunt, quod in unum & perpetuum cœtum coire velint, ſuæque ſalutis ac ſecuritatis rationes communi conſilio ac ductu adminiſtrare; uno verbo, quod velint concives mutuo fieri. In quod pactum omnes & ſinguli ut conſentiant, neceſſum eſt; qui non conſenſerit, is extra futuram civitatem manet.

J. N. & G. *l.* VII. *c.* 2. §. 6, 7.

VIII. 2. Decreto de forma regiminis:

POST iſthoc pactum (*a*) oportet, ut DECRETUM

ditur, quomodo dicta modo *voluntatum*, atque adeo *virium unio* producatur. CARMICH.

§. VIII. Inter primum & ſecundum pactum plerumque intercedit decretum, quo multitudo illa conjuncta ſtatuit, quam Reipublicæ formam, regularem, puram, an mixtam ſequi velit. Hoc autem decretum aliquando primo pacto incluſum eſt, ſæpe ſub ſecundo comprehenditur, ut in lege Regia Romanorum, qua poteſtas populi & in populum Principi data eſt, *ei & in eum*, ait Ulpian. *l.* 1. *D. de conſt. princ.* In jure regio autem Hebræorum decreti habemus exemplum, quod ab utroque pacto ſeparatum eſt, *Deut.* XVII. *vſ.* 14. 1 *Sam.* VIII. *vſ.* 9. (2) Diverſi generis eſt decretum vel pactum, quo Achæi, in varias ſui juris civitates olim diviſi, *unum corpus & imperium* conſtituerunt, ut ſingularum pericula mutuis viribus propulſarentur, Juſtin. XXXIV. 1. Similiter Unio Trajectina ſeptem Civitates, in rebus ad communem defenſionem pertinentibus, *velut ſi una natio eſſent*, conjunxit A. 1579. d. 29. Jan. apud Leon. ab Aitzema, Wicquefortium & du Mont, *Corp. Diplom. t. V. p. I. p.* 522. OTTO.

(*a*) *Poſt iſthoc pactum*]. Poſtquam multitudo ſimplici illo pacto in aliquem cœtum utcunque digeſta eſt, facile deprehendit, unionem illam ad procurandam ſalutem publicam non ſufficere, nec diu durare poſſe, hinc de arctiore conjunctione deliberat & decernit §. 8. *b.* poſt quod decretum ſequitur ſecundum pactum, quo ſubditi voluntates & vires deſignato imperanti ſubmittunt, atque ita nexum Imperii producunt §. 9. *b.* add. *d. l.* VII. *c.* 2. §. 7. 8. 9. 10. 11. 12.

2. Cæterum iſta Puſendorſii Philoſophia, recentioribus licet nonnullis (vid. Kulpis. *Monzamb. p. II. c.* 6. §. 7. *pag.* 226. *n.* 2.) probata, partim ex falſis hypotheſibus (quaſi ingens hominum multitudo civitatis condendæ cauſa convenerit, aut omnes, vel primæ ſaltem civitates libero conſenſu conſtructæ ſint, quarum neutra tamen veritati eſt conſentanea) reſultat, partim iis licet admiſſis in ſe falſa eſt.

3. Nimirum primum pactum, illudque inſecutum decretum, quod Auctor loquebatur, vel ad fabulas pertinet, vel ita ſimpliciter non eſt admittendum, nam ſi quis imperium per vim in alios ſibi ſumat, (quæ civitatum origo valde probabilis eſt) tum manifeſtum eſt, quod primum illud pactum & decretum ceſſent, & licet illi cæ-

tum fiat, qualis forma regiminis ſit introducenda. De hac enim antequam conſtitutum ſit, nihil conſtanter poterit expediri, quod ad communem ſalutem faciat.

dict. §. 7.

IX. 3. Pacto inter cives & imperantem.

Poſt decretum circa formam regiminis alteRO PACTO opus eſt, quando conſtituuntur ille vel illi, in quem, vel quos regimen naſcentis civitatis confertur: quo quidem pacto hi ad curam commu-

qui deinceps alii accedant, quia tamen Imperans jam adeſt, cum eo ſaltem, non etiam concivibus, pactum initur.

4. Si vero hominum multitudo ultro civitatem conſtituere velit (qui caſus poſt prima civitatum initia dabilis omnino eſt) tum, quia nondum adeſt Imperans, cum quo pactum inire queat, hactenus utique primum illud pactum idque ſecutum decretum erit admittendum, quo per ea multitudo ad pactum, cum Imperante celebrandum, habilis reddatur, interim primum illud pactum, magis re ipſa, ſeu facto, quam expreſſo conſenſu fiet, & poſt pactum, cum Imperante deinceps initum, exſpirabit, nam conſtituta civitate nullus ejus effectus amplius apparet.

5. Breviter: ſi Imperans ſibi facit ſubditos, tum unicum pactum adeſt; ſi ſubditi Imperantem quærunt, tum duplex quidem occurrit, ſed primum ſaltem temporarium eſt, efficiendo ſecundo interim confectum, non ſecus ac pulpita vel contignationes ædium exſtruendarum cauſa confici ſolent, quæ his exſtructis iterum tolluntur.

6. Abſolvitur igitur omnis civitatum ſtructura *unico pacto*, quod inter *imperantem* & *futuros ſubditos* initur. Hoc *reciprocum* eſt, ac ſubditos *nexu imperii*, Imperantem vero *ſimplici obligatione* obſtringit, ac non ſimul, ſed *ſucceſſive* celebratur, vel ſaltem pacto primævo, ſucceſſu temporis, alii accedunt. Titius.

§. IX. Alterum hoc pactum inter imperantes & ſubjectos, Hobbeſius negavit, ejusque loco poſuit renunciationem libertatis civilis, ut immenſam Imperantium poteſtatem faceret; Huberus vero utrumque miſcet; ſed ſeparari illud & in primis attendi meretur, quia imperio, pacti ſuperioris vindice definito, & legibus ac conditionibus deſcriptis, ſecundum quas utraque pars officio ſuo fungi debeat, ſtructuræ civitatis colophonem quaſi imponit. Exempla ejus ſunt *Joſ.* I. *vſ.* 16. 18. 1 *Sam.* X. *vſ.* 24. 2 *Sam.* V. *vſ.* 1. 1 *Chron.* XI. *vſ.* 3 item in Capitulatione Imperatoris Romano-Germanici, & Pactis conventis, quæ Regibus Polonorum præſcribuntur. Solet etiam hoc pactum ab utraque parte metu divini Numinis firmari; dum Reges jurant, ſubditi vero obſequium homagio confirmant. Romanis quidem hoc fuit ignotum; ab Athenienſibus vero ad Imperatores Orientis, ab his ad Francos pervenit, & hodie ubivis fere per Europam obſervatur. Seneca I. *de Clem.* 4. ſummum illud imperium *vinculum* appellat, *per quod Reſpublica cohæret: ille ſpiritus vita-*

Kk 2

munis ſecuritatis & ſalutis, reliqui ad obſequium his præſtandum ſeſe obſtringunt; quo ipſo etiam omnes ſuam voluntatem ſubjiciunt voluntati iſtius, vel iſtorum, ſimulque ſuarum virium uſum & adplicationem ad communem defenſionem eidem, vel iisdem deferunt. Atque hoc pactum ubi rite fuerit exſecutioni datum, tunc demum perfecta & regularis Civitas inde provenit (*b*).

J. N. & G. *l.* vii. *c.* 2. §. 8.

Civi-

lis, quem tot millia trahunt, nihil ipſa per ſe futura, niſi onus & præda, ſi mens illa imperii ſubtrahatur. Otto.

(*b*) *Inde provenit*]. Quod ad *Civitatem* conſtituendam, & *Civile Imperium* erigendum *Conſenſus Civium* requiratur, ex principiis ſupra poſitis abunde liquet: ſed utrum ordine hic deſcripto eum conſenſum adhiberi ſemper ſit neceſſe, fas eſt dubitare: neque hoc affirmare voluit ipſe Auctor. Fateor equidem, cum perfecta *Civitas*, & cui de diuturnitate ſatis ſit cautum, in conſtitutione ſua *duplicem* includat *Obligationem*, alteram *Civium inter ſe*, alteram *Imperantis & Subditorum mutuam*, & illam quidem ab hac independentem; cumque ad illam producendam, *primum* ſupra deſcriptum *pactum*, ad hanc *ſecundum* (quod, ubi primum ſimpliciter initum præceſſerat, intermedium ſupponit *Decretum*) peculiariter collineat; non poſſe talem civitatem conſtitui, quin aliquid agatur, quod omnium *trium actuum* hic memoratorum vim atque efficaciam habeat. Hoc vero poteſt agi, vel magis explicite, per diverſos ſuccedentes actus, juxta ordinem ab Auctore deſcriptum; vel compendioſius, per unum, qui utramque dictam modo obligationem pariens, iis omnibus æquipolleat. Prius ſi contingat, manifeſtum eſt utrique pacto ſuum conſtare effectum, eumque permanentem: ut minus recte a Cl. Annotatoribus ſæpius laudatis primum pactum dicatur ad ſecundum ſe habere, ut pulpita vel contignationes ad ædes exſtruendas: rectius longe Auctor, permanenti primi pacti efficaciæ tribuit, quod Subditi in Monarchia electiva, defuncto rege, ut in hereditaria, extincta familia regnatrice, civili adhuc vinculo conſtricti maneant, quo tenentur ſuæ ſalutis ac ſecuritatis rationes communi conſilio ac ductu adminiſtrare. Sed poteſt quoque, ut diximus, per unum pactum utraque prædicta obligatio ſtabiliri, atque adeo perfecta Civitas conſtitui. In republica quidem populari agnoſcit Auctor de *J. N. & G. h. t.* §. 3. non ita liquido poſterius pactum adparere: contendit tamen, illud hic etiam eſſe omnino agnoſcendum tanquam fundamentum obligationis, qua ſinguli Cives tenentur, non modo ſtare decretis & juſſis a conſilio univerſorum profectis (quod forte a primo pacto inferri poſſet) ſed & ſimul curam Reipublicæ pro virili capeſſere. At quid obſtat, quo minus ſinguli, ab initio Rempublicam popularem erigere ſtatuentes, ſimul & ſemel paciſcantur cum ſingulis, quod velint, tum ſuam quisque voluntatem voluntati univerſorum ſubjicere, tum etiam

X. Civitatis natura & definitio ex traditis.

Civitas ita conſtituta (*c*) ad modum UNIUS PERSONÆ concipitur, unoque NOMINE ab omnibus diſtin-

publicarum curarum ſuam quisque partem ſuſtinere: quo in caſu, per unum, aut certe per uniusmodi pactum perfecta *Democratia* conſtituitur. *Monarchiam* porro per unicum pactum, id ſcil. quod Monarchæ & ſingulis futuris Civibus intercedit, citra ullam antegreſſam inter ipſos Cives conventionem, conſtitui poſſe Auctor fatetur *d. l.*: qua tamen ratione ut conſtituatur perfecta, & ad diuturnitatem valitura Civitas, conſiderari debet Princeps, ut ſtipulans quaſi in gratiam naſcentis Civitatis, ab unoquoque Cive, non modo officium quod ſibi imperanti, ſed & quod ſingulis Concivibus, & integræ Civitati, ad civilis ſocietatis finem obtinendum, præſtari debuerit: quo caſu illud unicum pactum, Imperanti cum Subditis initum, & primi & ſecundi pactorum ab Auctore deſcriptorum vim continet: quemadmodum omnes fatentur, in qualibet jam conſtituta Civitate, per unum ejusmodi pactum, ſeu tacite ſeu expreſſe cum Summo Imperante initum, omnes poſtmodum adſcitos Cives, non ipſi modo Imperanti, ſed & integræ Civitati, & ſingulis Concivibus, obligari.

Poteſt itaque perfecta Civitas utrovis modo ab initio formari; vel ſc. per duo pacta cum intermedio decreto (quod tamen decretum poteſt etiam in primo pacto includi) vel per unicum pactum: illic Cives colligantur, primo ſinguli inter ſe, dein univerſi cum Imperante; hic ſinguli ſtatim cum Imperante, ſimulque per eum inter ſe. Prior utcunque modus, ſaltem ubi unius vel paucorum imperium eſt conſtituendum, videtur maxime naturalis: quippe, ſicut a ſingulis ſeorſum imperium paucis deferri vix poteſt, niſi iſti pauci prævio pacto ſint inter ſe conjuncti; ita neque facile poteſt intelligi Imperium a ſingulis ſeorſum delatum uni, niſi idoneum ſubditorum numerum vel jam habenti, vel ſtatim habituro: ſi jam habere dicatur, Civitas modo conſtituta ſupponitur; nos vero hic de prima ejus conſtitutione quærimus: quod ſi ſubditos tantum mox habiturus ſupponatur; quibus in rebus, ante conſtitutas Civitates, iſta exſpectatio fundari potuerit; & quid eæ cuiquam ad civilis Imperii acquiſitionem contuliſſe ſint cenſendæ; rectius percipietur poſt ſequentia notata.

Primo, Cum regularis & pacatus, vel ſimplicis *Familiæ*, ſtatus non ferat, ut qui in eadem degunt, lite inter ipſos orta, vi decernant; vel jura ſua adverſus extraneos ſeorſum defendant, aut proſequantur; hinc, qui ſocietatem domeſticam ineunt, ſub patrefamilias in libertate adhuc naturali verſante (quantumvis non tam jurium tuendorum, quam indigentiæ mutuo ſupplendæ cauſa, iſta Societas ineatur) aliquid interim inſtar *Civilis Imperii*, patrifamilias, in ſe & pro ſe exercendum, videntur permittere: quinimo, cum una familia ſibi adverſus externam vim defendendæ haud ſufficiat; nec Pater familias, dum alios in familiam recipit, jus ſuum cum iis communicare velle videatur; cenſentur quoque hi ſe ſubjiciendos paciſci, quamdiu in familia manſerint, illi Imperio civili, cui Paterfamilias ſe ſuaque voluerit ſubjicere: multo magis, qui familiam civili Imperio jam ſubjectam ingrediuntur, vel adulti in ea manent, ſuopte conſenſu eidem Imperio ſe ſubjicere intelliguntur: ſicut in omnibus etiam hiſce caſibus, Imperii, cui ſe ſubjiciunt, protectionem viciſſim ſtipulantur.

Secundo, Cum dominium rerum, quale naturaliter ex originariis acquirendi modis reſultat, includat fa-

Digitized by Google

ſtinguitur, atque dignoſcitur, habetque peculiaria JURA, ac RES proprias, quæ neque ſinguli, neque

facultatem de iis pro lubitu diſponendi, ita ut inſerviant uſibus ad quos Hominibus a Deo ſunt conceſſæ; is qui plenum & illibatum alicujus *Soli Dominium* obtinet, recte poteſt exigere, ne quis in iſto Solo degat, niſi ita ut ſummum ſuum Civile Imperium velit agnoſcere: quin & hoc jus, quod *Soli imperium* dicitur, poteſt Dominus, retento cæteroquin dominio, ad alterum transferre; quo facto, nec Dominus, nec alius quiſpiam, in iſto ſolo recte verſabitur, illudve poſſidebit, niſi ejus alterius imperio ſubjectum ſe tulerit: poteſt & is qui ex pleno jure Dominus, imperio ſibi retento, *Dominium vulgare*, quod appellant, transferre ad alios.

Atque hinc intelligimus, quomodo Civitatum firmitati, & Imperiorum civilium durationi, non obſtante ſingulorum hominum naturali libertate, ſit conſultum. Uſus ſc. Soli, cui alii aliis vinculis adglutinantur, cum civilis ſubjectionis obligatione connexus hæret; quam idcirco tacito conſenſu, quoad in illo ſolo manſerint, in ſe ſuſcipere intelliguntur, tum qui ibi nati, poſtquam adulti ſint, ibidem manent; tum qui aliunde citra hoſtilitatis profeſſionem eodem accedunt.

Ex his demum intelligi facile poteſt, tum *Familiarium numero*, tum poſſeſſorum *Fundorum amplitudine*, etiam ante majores Societates communis defenſionis gratia combinatas, potuiſſe unum Patremfamilias, præ vicinis pluribus, quaſi digito monſtrari, tanquam aptiorem, cujus ductui & imperio reliqui ſe ſubjicerent, ſuamque ſalutem, rerumque ſuarum incolumitatem, tuendam commendarent; ſi modo æqui cura eidem non deeſſet; & præſertim, ſi egregiæ quoque animi corporiſque dotes accederent. Sed vix eſt, ut omnes iſtæ qualitates, quouſque in ſegrege illo ſtatu ſupponi queunt, ullum unum Patremfamilias permovere potuerint, ad ſemet permanſuro civilis ſubjectionis vinculo ulli alteri ſubmittendum, priusquam pacto cautum eſſet, alios etiam, quorum beneficio civilis Societatis incundæ finis obtineri poſſet, hoc idem eſſe facturos. A veri itaque ſimilitudine haudquaquam abhorret, *in primis Civitatum fundamentis jaciendis, idoneum Patrumfamiliarum numerum, inter ſe prius colligatorum, illi, quem Imperantem adſciſcere voluerunt, junctim detuliſſe Imperium*; hoc eſt, prima Civitatum Monarchicarum ſpecimina per duo potius quam per unum pactum, fuiſſe producta. Decretum vero, quo non tantum *Formam Regiminis*, ſed & *Hominem recturum*, oportebat definiri, facile potuit in primo pacto includi.

Id interim unum ſatis mirari nequeo, Cl. Viros, *Titium* & *Barbeyracium*, cum haud ægre largiantur, poſt prima Civitatum initia potuiſſe, vel etiam debuiſſe novas Civitates formari, eo fere ordine, qui ab Auctore deſcribitur; inter fabulas tamen referre, quod primæ Civitates eo modo formatæ fuerint: nullum certe ego inter primas & ſequentes Civitates hac in parte diſcrimen excogitare queo; ni forte, quod in cujusvis Civitatis majore veri ſimilitudine, quam in primæ formatione explicanda, *Vim* cum Cl. Viris cauſari liceat. Ad hiſtoriarum fidem hic fruſtra provocatur; cum prima, quæ legimus, ejusmodi vis intentatæ exempla, ſatis magnas Hominum multitudines, ſub civili Imperio jam conjunctas, ſupponant.

Utcunque ſit, cum liquido conſtet, *neque Civium inter ſe, neque Imperantis & Subditorum, Obligationum*

que multi, neque adeo omnes ſimus, citra eum, qui ſummum habet imperium, ſeu cui regimen civitatis commiſſum, ſibi aſſerere poſſunt. Unde civitas DEFINITUR (*d*), quod ſit perſona moralis compoſita, cujus voluntas, ex plurium pactis implicita & unita, pro voluntate omnium habetur, ut

nem mutuam, *niſi in Conſenſu*, *expreſſe vel tacite*, *immediate vel mediate*, *ſimul vel ſucceſſive*, *adhibito*, *poſſe fundari*; illi certe operam ludunt, & merito ridendos ſe propinant, qui e rerum geſtarum monumentis, *legitimum* civile Imperium absque Civium conſenſu posſe conſtitui, probatum eunt: quippe in ſingulis, quæ adferri posſunt exemplis, neceſſe eſt, vel ſupponi patiantur conſenſum hunc, licet forte ab Hiſtoricis non notatum, revera fuiſſe qualicunque modo adhibitum, vel agnoſcant Imperium injuſte fuiſſe uſurpatum; niſi aliquem alium juſtum, in quo fundetur, titulum aſſignaverint; quod nunquam poterunt: quippe nec *Patriam Poteſtatem*, nec *Occupationem Bellicam* eſſe talem titulum, ex ſupra dictis liquet; & de hac, ex dicendis ad *cap.* 10 plenius patebit. Caute interim diſtingui oportet, *Imperium Civile* proprie ſic dictum, quod Homines reſpicit, ab *Imperio Soli*, quod ſupra diximus ejusdem dominio naturaliter ineſſe, & Domini conſenſu poſſe transferri. Confer de toto hoc Argumento *Lockii Tract. Poſt. de Imp. cap.* 8. & *Grot. lib. I. cap.* 3. CARMICH.

§. X. Civitas, in ordine ad alios, tanquam perſona moralis, dicitur naſci, vivere, mori, contrahere, litigare, poſſidere, delinquere, & puniri *l.* 56. *D. de uſufr. l.* 21. *D. quib. mod. uſufr. amitt. l.* 22. *D. de fidej. l.* 7. *D. quod cujusque univ.* (2) Caput illius perſonæ eſt imperans, qui totam molem agitat, & per artus infuſus eodem quaſi officio fungitur, quo gubernator in navi, & mens in corpore. (3) Non inepte etiam Hobbeſius civitatem cum magno animali comparavit, cujus anima eſt imperans, artus ſunt magiſtratus, nervi præmia & pœnæ: nam veteres etiam animæ & ſpiritus vocabulis hac in re crebro utuntur. (4) Auctor ab eodem Hobbeſio *de Cive c. V.* §. 9. petiit definitionem civitatis, quam Titius more ſuo, carpit aliamque ſubſtituit in *Spec. jur. publ.* VI. *c.* 7. §. 16. alias Ariſtoteles I. *Polit.* 2. Grotius I. *c.* 1. §. 14. Huberus I. *Digr.* 13. & Hertius *Prud. civil. p. I. ſect.* 2. §. 4. dedere. Sed breviter deſcribo, quod ſit conſociatio multorum patrumfamilias, inæqualis & rectoria, per unionem voluntatum & virium, ſub eodem ſummo imperio, juris fruendi, & communis ſalutis cauſa, contracta. vid. Ciceron. II. *Offic.* 12. OTTO.

(*c*) *Civitas ita conſtituta*]. Poterit civitas conſiderari, vel in ordine ad *Imperantem & ſubditos*, vel *alios*; illo reſpectu per modum *ſtatus* concipiuntur, in quo Imperantes & ſubditi exſiſtunt, hoc vero ad modum *perſonæ moralis compoſitæ* §. 10. *h.* add. *l.* VII. *c.* 2. §. 13. TITIUS.

(*d*) *Unde civitas definitur*]. Deſumta eſt hæc definito ex Hobbeſio *de Civ. c.* 5. §. 9. nec valde laudari debet, cum civitatem & Imperantem confundat, ac licet de illa auſpicetur, in hujus tamen definitionem revera deſinat; facienda quidem in definitione civitatis mentio Imperantis eſt, ſed non ideo hic in ejus locum ſubſtituendus, quod tamen aperte heic ſit. Aliam & forte meliorem definitionem dedi

ut ſingulorum viribus & facultatibus ad pacem & ſecuritatem communem uti poſſit (*e*).

J. N. & G. *l.* VII. *c.* 2. §. 13.

XI. Regimen civitatis vel uni homini traditum.

Exſerit autem ſeſe VOLUNTAS (*f*) CIVITATIS, tanquam principium actionum publicarum; vel PER UNUM HOMINEM, vel PER UNUM CONCILIUM, prout in illum, aut hoc ſumma rerum fuit collata. Ubi penes unum hominem (*g*) eſt regimen civitatis,

—

ſti in *Specim. Jur. Publ. Romano-Germ. l.* VI. *c.* 7. §. 16. ubi etiam in ſequentibus oſtendi, in quo civitatis *perfectio* & *unitas* conſiſtat, quæ huc transſcribere non attinet. IDEM.

De accurata definitione civitatis, quam hic auctorem cum HOBBESIO *de cive c.* 5. §. 9. minus recte attuliſſe rationi conſentaneum eſt, quia imperantem civitati confundit, vid. TITIUS *in ſpecim. jur. publ. Rom. Germ. l.* VII. *c.* 7. §. 19. HERTII *elem. prud. civ. p. I. ſect.* 2. §. 4. BOEHMERUS *jur. publ. univ. part. ſpec. l. I. c.* 3. §. 1. *p.* 187. ubi eam definit, *quod ſit cœtus plurium hominum ſub imperio pactis vel expreſſis vel tacitis unitus tutioris & tranquillioris vitæ gratia.* TREUER.

(*e*) *Uti poſſit*]. Gratis hanc definitionem ſollicitat Cl. *Titius*, tanquam *Civitatem cum Summo Imperante* confundentem: certum enim eſt, voluntatem Summi Imperantis, de iis quæ ad genuinum Civitatis finem videri poſſunt conducere, quæque ſunt intra limites Poteſtatis illi conceſſæ, pro voluntate Civitatis eſſe habendam; imo voluntatem Civitatis, tanquam principium actionum publicarum, per ipſum Summum Imperantem ſe exercere, vide §. *ſeq.* ut non ſit mirum, voluntati Civitatis hic tribui, quod de voluntate Summi Imperantis Cl. Obſervator non negat eſſe verum. Civitas interim brevius, nec minus apte, definiri poteſt, quod ſit. *Idonea Hominum multitudo, per voluntatum & virium ſub uno Summo Imperio Unionem, ad incolumitatem mutuo tuendam conjuncta.* CARMICH.

§. XI. Civitas præterea conſiderari poteſt in ordine ad imperantes & ſubditos; & tunc per phyſicam Regis, Optimatum, vel majoris partis voluntatem totius civitatis voluntas ſeſe exſerit: unum enim Reipublicæ corpus unius hominis, vel concilii animo regendum eſſe, Aſinius Gallus apud Tacitum dixit I. *Annal.* 12. (2) Nec tamen, quod Hobbeſius & Houtuynus voluerunt, quicquid Monarchæ placuit, continuo lex eſt: nam placuiſſe ipſi debet cum ratione, & ſecundum leges regni, ſi quæ ſunt, fundamentales: quicquid vero ultra eas, vel ut privatus, in negotiis, ad ſalutem ſubjectorum non pertinentibus, jubet, pro lege minime haberi poteſt. vid. ſupra I. *c.* 2. §. 8. OTTO.

(*f*) *Exſerit autem ſeſe voluntas*]. Conſtituta civitate, exſiſtunt *Imperantes* & *ſubditi.* Illi ſunt, *per quorum voluntatem phyſicam voluntas totius civitatis ſe exſerit*, ſeu *qui ea omnia, quæ utilitas civitatis requirit, ac quæ arbitrio humano effici poſſunt, facere, ſubditorumque actiones & vires, independenti imperio, eo dirigere poſſunt & debent.* TITIUS.

(*g*) *Ubi penes unum hominem*]. Si pe-

tatis, civitas velle intelligitur, quodcunque iſti homini (cui ſanam rationem conſtare præſupponitur) placuerit (*h*), & quidem circa negotia (*i*), quæ ad finem civitatum ſpectant.

J. N. & G. *l.* VII. *c.* 2. §. 14.

XII. Vel Concilio, ex Verum ubi regimen (*k*) civitatis collatum eſt in Con-

penes unum hominem Imperium ſit, tum civitas quidem per ejus voluntatem celerrime operari poteſt, ſed non quævis hujus voluntas pro illius voluntate haberi debet, ſed tum demum, ſi homini illi (1) Sana ratio conſtet, (2) ſciens & prudens ille agat, (3) circa negotia, ad finem civitatis ſpectantia, & quidem (4) juxta præſcriptum legum fundamentalium, aliquid velit. add. *l.* VII. *c.* 2. §. 14. Sed ubi illa in tanta libertate obſervantur? ut facile liqueat, quanto periculo vita & fortunæ ſubditorum, imo & vicinorum imbellium hoc rerum ſtatu ſint expoſitæ. IDEM.

(*h*) *Placuerit*]. Non quidem abſolute id intelligendum, ita ut civitas imperantis voluntati omni, quæcumque etiam placuerit, ſe ſubmiſiſſe dicenda ſit, uti HOBBESIUS & HOUTUYNUS volunt, qui ab imperante nullam plane civibus injuriam fieri poſſe adſerunt. Sic enim tyrannis, non civitas conſtituitur: ſed imperans, qui jus accepit dirigendi actiones hominum ſubditorum, continetur (1) intra cancellos obligationis ad legem naturæ, cui æque ac ceteri homines adſtrictus eſt: (2) intra terminos finis reipublicæ, ob quem cives ſuas voluntates ejus arbitrio detulerunt, nimirum, ut viverent ſecure atque beate. Multa cives non potuerunt imperantis voluntati concedere, multa noluérunt, é. c. adſenſum & diſſenſum ſuum internum reſpectu variarum doctrinarum, vitæ generis electionem, regimen conſcientiæ, domeſticarum rerum curas & providentiam, poteſtatem ſibi nocendi &c. In ea itaque imperanti nulla erit poteſtas, nec alii principes eo extendunt ſuas voluntates, quam qui Machiavellismi principiis imbuti non tantum tondere pecus volunt, verum etiam deglubere. TREUER.

(*i*) *Circa negotia*]. Vid. *Obſ. in præced.* §. CARMICH.

§. XII. In Ariſtocratia & Politia valet jus majoris partis: de quo Pragmatici Doctores late, ſed minus accurate diſſerunt. Ita vero habendum eſſe videtur. (1) *Extra collegia* naturaliter æquum non eſt, ut pars major vincat minorem: quia argumentum peſſimi turba eſt, neque tam bene cum rebus humanis actum, ut meliora pluribus placeant. Hinc in re communi, quod omnes tangit, ab omnibus, liberum partis ſuæ arbitrium habentibus, debet expediri, & major ratio habenda eſt unius prohibentis. (2) *In collegio* autem & Senatu, v. gr. Ordinum Ariſtocratico, vel in Comitiis Populi Democraticis, ea non tantum pacto expreſſa, ut Hobbeſio placet, ſed etiam præſumta creditur voluntas fuiſſe coëuntium, ut ratio aliqua eſſet, expediendi negotia; hæc autem non alia eſt, quam ut major numerus ſuffragiorum vincat minorem: licet namque impar ſit prudentia, par tamen jus eſt; & diſputatio abiret in infinitum, utrius partis vota ſint ſaniora, cum unaquæque ſuum optimum eſſe putet.

Concilium, ex pluribus hominibus conſtans, quorum quisque ſuam retinet voluntatem naturalem; regulariter illud habetur pro voluntate civitatis, in quod conſenſerit major pars hominum (*l*), ex qui- pluribus collecto, commiſſum.

patet. (3) Si *pares* ſunt ſententiæ, res manet in ſtatu quo, & in cauſis *civilibus* nihil agitur; quamvis illa pars quibusdam in collegiis vincat, a qua ſtat Præſes. In *criminalibus* vero pondus utrobique æquale, tanquam in æquilibrio, pœnam ſuſpendit; quia in dubio præſtat, nocentem abſolvere, quam innocentem damnare. Paulus IV. *tit.* 12. §. 5. & *l.* 38. *D. de re jud. Inter pares numero judices, ſi diſſonæ ſententiæ proferantur, in liberalibus quidem cauſis, pro libertate ſtatutum obtinet; in aliis cauſis pro reo, quod & in judiciis publicis obtinere oportet.* Idem docet Seneca pater I. *Contr.* 3. III. *Contr.* 1. & filius *Epiſt.* 81. *Reus ſententiis paribus abſolvitur, & ſemper quicquid dubium eſt, humanitas inclinat in melius.* Idem in fabula de Oreſte apud Æſchylum & Euripidem per famoſum calculum Minervæ indicatur, de quo Bœcleri, nec non Cocceji *Diſſert.* exſtant. (4) Inter plures ſententias *diſcrepantes* illa prævalet, quæ ſingulis diſſentientibus major eſt; licet omnibus diſſentientibus, ſimul ſumtis, ſit minor: unde duriores condemnantes conjunguntur contra mitiores abſolventes, & inter condemnantes illa prævalet, in quam pars major conſenſit: v. c. ſi in *numeris* eſt diſſenſus, & duo judices abſolvunt, tres condemnant, unus in XV. alter in X. tertius in V. reus in decem eſt condemnandus; quia primus in eandem ſummam conſpirat. Jus Romanum vero minimam ſummam præfert, *l.* 27. §. 3. *D. de recept. qui arb. l.* 38. §. 1. *D. de re jud.* atque ita Ariſtoteles II. *Polit.* 6. At ſi discordia in *qualitate* eſt, difficilior videtur inſpectio: exemplum habet Plinius VIII. *Ep.* 14. unus damnat ad mortem, alter relegat, tertius abſolvit. Plinius nihil hic actum eſſe cenſebat, etiam Cujacius XII. *Obſ.* 16. & Grot. II. *c.* 5. §. 19. Sed cum Alciato IX. *Parerg.* 12. æquius eſſe putem, duos poſteriores conjungi; quia hi hominem conſervare nituntur. Alia exempla vide apud Gell. IX. 15. Ærodium *Pand. rer. jud.* V. *t.* 22. *c.* 6. 7. & Huber. ad *D. tit. de re judic. n.* 18. ut & de *Jure civ. III. ſect.* 2. *c.* 6. *n.* 4. *ſeqq.* Otto.

(*k*) *Verum ubi regimen*]. Si Imperium pluribus ſit collatum, tum, quia multiplex eſt voluntas, per quam actiones publicæ ſuſcipi debent, adeoque diſſenſus oriri poteſt, hinc utile eſt, ut plures illi *nexu Imperii* ita uniantur per leges fundamentales, quo majora valeant, ac plures conſpirantes pro imperio decernere, ac pauciores diſſentientes ad ſervandum placitum adigere queant, per quas leges ipſa etiam majoritas ejusque effectus amplius determinatur, quod Auctor §. 12. *h.* indicat, ac amplius *l.* VII. *c.* 2. §. 15. 16. 17. 18. 19. illuſtrat. An vero in hac aut illa Republica polyarchica majora valeant, tum quæ majoritatis ratio eſſe debeat, illud ex pactis fundamentalibus cujusvis civitatis repetendum eſt; interim ſi aliud expreſſe non ſit conſtitutum, in Rebuspublicis ſimplicibus (ſecus in compoſitis) pro auctoritate majorum votorum præſumendum eſt, de quo pluribus egi in *Vindic. Vitriar. caſtigat. annot.* 299. *ſeqq.* Titius.

(*l*) *Major pars hominum*]. Sive membrorum, ſive collegiorum, ſive civitatum ad rempublicam pertinentium. Major illa pars eſt, quæ unica etiam ſententia tantum alte-

Digitized by Google

quibus Concilium componitur; niſi expreſſe ſtatutum ſit, quota pars concilii conſentiens requiratur ad repræſentandam voluntatem univerſitatis. Ubi autem duæ ſententiæ diſcrepantes pares ſint, nihil agetur (*m*), ſed res in priori ſtatu manebit. Inter plures ſententias diſcrepantes illa prævalebit, quæ

alteram vicit, niſi expreſſe lex civilis, vel *fundamentalia* pacta aliud determinaverint, uti oſtendit Boeclerus *diſſ de calculo Minervæ t. I. diſſ. p.* 229 *ſeq.* Hertius *ad Puf. op. maj. l.* VII. *c.* 2. §. 15. Licet autem majoritas votorum in multis ſecundum rationem rectam non debeat attendi, quum plerumque imprudentum major pars eſſe ſoleat & ſuffragia non tam numeranda, quam ponderanda ſint, Senecæque *de vita beata c.* 2. monitum ſua luce radiet: *Quum de beata vita agitur, non eſt, quod mihi illud diſceſſionum more reſpondeas: hæc pars major eſſe videtur: ideo enim pejor eſt. Non tam bene cum rebus humanis agitur, ut meliora pluribus placeant: argumentum peſſimi turba eſt.* Attamen variæ ſubſunt rationes, cur juſtum eſſe videatur, ut majora ſuffragia prævaleant: (1) quia nullum aliud remedium adparet, quo plurium diſſenſus ad concordiam poſſit redigi: (2) quia negotia vel ſecundum unum, vel paucos, vel plures ſunt decidenda, quod ultimum tantum juris naturæ: (3) quia collegium conſideratur ut perſona, cujus tota voluntas inclinat in id, ubi fortior ratio eſt: (4) quia ubi major pars, ibi regulariter quoque major perſpicacia: (5) quilibet lubens pro ſe majora ſuffragia amplectitur, ergo & contra ſe admittere debet. Multis ſcriptorum teſtimoniis gentiumque variarum exemplis id confirmat Franc. Meyer. *pereruditа diſſ. ſub præſidio* Ill. Cocceji 1705. *Francof. hab.* Conf. etiam quæ contra Vitriarium diſputat Titius *in vindic. Vitriar. caſtig* §. 299. *p.* 236. Sunt tamen nonnulli caſus, ubi ſuffragia numero majora non concludunt: (1) quando manifeſtum eſt, artibus fraudulentiis & fallaciis captata eſſe majora, antequam in publicum proferantur: (2) quando a perſonis feruntur, quæ deliberationi intereſſe non deberent: (3) ſi ii non vocati ſint, qui debuiſſent: (4) quando non tam per deciſionem, quam in tumultu feruntur: (5) ſi res ad univerſitatem, non qua univerſitatem; ſed ad ſingulos ſpectet. Vid. Gronovium *ad Grot. l. II. c.* 5. §. 17 Gothofr. de Jena *de rat. ſtatus diſſ* 15. *concl.* 1. Meyeri *diſſ cit.* Treuer.

(*m*) *Nihil agetur*]. Hinc, paribus utrinque ſuffragiis, ubi quæſtio verſatur ſimpliciter de aliqua re agenda vel non agenda, ſententia negans re ipſa quidem vincit pro tempore; non tamen habet vim Decreti, quod eandem quæſtionem in eodem Concilio denuo tractari impediat. In judiciis duntaxat benigne receptum eſt, ut paribus Judicum ſententiis Reus intelligatur abſolvi; ita ut eidem actioni, vel accuſationi, opponere deinceps potuerit exceptionem *Rei judicatæ.* Ex his porro intelligitur, cur, ſi utrumque membrum quæſtionis habeat aliquid poſitivi, quod autem poſitivi eſt in uno, ſub altero includatur; paribus ſuffragiis, vincat quod minus eſt. Vide *Dig lib. XLII. tit.* 1. *l.* 38. In Noſtratibus vero plerisque Curiis & Conciliis ſuffragiorum æqualitas vitatur, recepto more, quo Præſes ſuum ſuffragium tam demum permittitur interponere, ubi cætera in partes æquales ſcinduntur. Carmich.

(*n*)

quæ ſingulis diſſentientibus major eſt (*n*); modo in eam tot conſpirent, quot alias voluntatem univerſitatis per Sanctiones publicas repræſentare poſſunt.

J. N. & G. *l.* VII. *c.* 2. §. 15—19.

XIII. Membra civitatis, Imperans, Monarcha, Senat.

Civitate ita conſtituta (*o*), ille, in quem imperium eſt collatum, prout eſt vel unum concilium paucorum, aut univerſorum, Monarcha, Sena-

(*n*) *Diſſentientibus major eſt*]. Utcunque omnibus diſſentientibus ſimul ſumptis ſit minor. At recte monet *Grotius lib. II. cap.* 5. §. 19. diverſas ſententias. quarum altera partem alterius continet, conjungendas eſſe in eo, quo conveniunt. Quinetiam, ubi nulla ſententiarum continet alteram, ne id pro Concilii decreto habeatur, quod majori parti minus placet, caveri poteſt, ſi plerisque ita videatur, quæſtionem pluribus membris conſtantem reſolvendo in plures quæſtiones bimembres. Carmich.

§. XIII. Quemadmodum in arbitrio populi eſt, quam formam Reipublicæ velit eligere, ita idem ſymbola quoque imperii, titulum & epitheta imperantis ſui definit: exteri vero ad honores, qui inde ſequuntur, legatis præſtandos, non niſi conſenſu expreſſo, vel tacito obligantur. Sic rectam capite tiaram gerere, ſolis olim Regibus datum eſſe, Seneca VI. *de Benef.* 31. & Plutarchus in *Artaxerxe*, referunt. Apud recentiores hoc diſcrimen obſervatur, quod Imperatorum diadema inſtar hemisphærii eſt clauſum, Regis vero apertum, teſte Anna Comnena III. *Alexiad.* (2) De verbis, dignitatem exprimentibus, exemplum noviſſimum eſt in titulo Imperatoris Ruſſorum, de quo vide, ſi lubet *Diſſert. meam III.* Ita Reſpublica Veneta *Sereniſſima Signoria*, & Ordines Belgii Fœderati Generales *Celſiſſimi & Potentiſſimi*: Hollandiæ vero & Zelandiæ Status *Illuſtriſſimi* & *Potentes*, ex eorum decreto, compellari debent. (3) Subditi aliquando vocantur *Cives*: differunt autem, quod ipſe Rex civis eſt, ut aquila avis, non autem ſubditus. Servi porro & incolæ ſunt ſubditi, non cives; qui denique ad tempus commorantur, ſubditi velut *temporarii* ſunt, ut Grotius appellat II. *c.* 11. §. 5. & legibus loci ſubjiciuntur, licet in album civium non fuerint relati. (4) Diſcrimen inter cives originarios & adſcriptos, ut Cicero, vel δημοποιήτους, ut Athenienſes appellabant apud Hebræos & Græcos, habuit ſuum uſum, etiam hodie, in honoribus & ſucceſſionibus illis in locis, ubi jus indigenatus vel albinagii viget: in plerisque vero allecti ejusdem cum originariis ſunt conditionis, eadem onera ferunt, iisdemque juribus utuntur. vid. Brunn. *ad l. un. C. de priv. corp.* Otto.

(*o*) *Civitate ita conſtituta*]. Circa nomina Imperantium, quæ hic referuntur, illud obſervandum, quod Reſpublica ſui juris uti formam, ita etiam titulum mutare, ac v. gr. Ducem liberum Regem dicere poſſit, eo effectu, ut a ſubditis pro tali haberi debeat, exteris tamen liberum quoque erit, an eundem titulum eidem tribuere velint, nec ne, licet diſſentire videatur Auctor *l.* VII. *c.* 3. §. 9.

tus, aut Populus liber; & cives originarii vel adſcititii.

SENATUS, aut POPULUS LIBER (*p*) dicitur; reliqui Subditi (*q*) audiunt (*r*), aut CIVES, vocabulo hoc latius accepto (*s*). Etſi preſſius illi quibusdam duntaxat cives ſoleant dici, quorum coitione & conſenſu primo civitas coaluit, aut qui in horum locum ſucceſſerunt; nempe patresfamilias. Sunt porro CIVES (*t*), vel ORIGINARII, vel ADSCITITII (*v*). Illi ſunt, qui vel initio (*x*) civitati naſcen-

nam cum ab ejusmodi titulo major exiſtimatio aliæque prærogativæ dependere ſoleant, non poterit ſane quis Regii nominis uſurpatione ad eas ſibi tribuendas invitas gentes adigere, aut denegationem earum injuriam interpretari. TITIUS.

(*p*) *Populus liber*]. Sunt etiam variæ appellationes honorariæ, & epitheta, quibus quisque horum ſolet inſigniri; & quæ, quatenus ſummum duntaxat ac independens notant Imperium, quilibet Summus Imperans, ſalvo ſuæ Civitatis jure, ſibi poteſt aſſumere; neque de iis ita intellectis alius quispiam jure poteſt litem movere: quatenus vero ea certum inter vicinos Principes ac Populos ordinem, certamve dignationem his agnoſcendam, innuunt, ab horum conſenſu, expreſſo vel tacito, pendere ſunt cenſenda: abſurde vero ulli uni, ſeu Papæ, ſeu Imperatori iſtos titulos, effectu adverſus alios a ſe non pendentes valituro, dandi vel denegandi poteſtas aſſeritur. CARMICH.

(*q*) *Reliqui Subditi*]. In Monarchia ſc. omnes præter Monarcham: at in aliis Civitatibus ſinguli, ſeorſum ſumpti, ſunt Subditi; etiam illi qui in ſupremo Concilio ſuffragii jus habent; imo & is, qui in eodem præſidet, atque adeo præcipuum in tali Republica Magiſtratum gerit. IDEM.

(*r*) *audiunt*]. Hos alteram perſonarum claſſem conſtituere, jam ſupra §. 11. lit. (*f*) admonui. Eſt autem ſubditus, *qui Civitati & Imperanti, quoad vitam & fortunas, ſubeſt in iis, quæ ad utilitatem Reipublicæ pertinent, ac imperio humano obtineri poſſunt.* TITIUS.

(*s*) *At cives, vocabulo hoc latius accepto*]. Civium nomen ambiguum eſt, poterit enim civis accipi, (1) pro ſubdito, (2) pro eo, cujus conſenſu civitas coaluit, (3) pro eo, qui de Imperio Civili participat, (4) qui jurium alicujus Reipublicæ, (5) alicujus municipii capax & particeps eſt, add. *l.* VII. *c.* 2. §. 20. Primus & ultimus ſignificatus uſitatiſſimi ſunt, ſecundi exiguus videtur uſus, tertius ad democratias pertinet, quartus olim in Republica Romana obtinuit. IDEM.

(*t*) *Sunt porro cives*]. Cives, ſive ſubditi, (1) ſunt vel *perpetui*, vel *temporarii*, illi vel *originarii*, vel *adſcititii* §. 13. *b.* (2) A *vario ſtatu* & *exiſtimatione* varie quoque diſtingui poſſunt, vid. *d. c.* 2. §. 21. 22. 23. 24. quæ diſcrimina ex habitu cujusvis Reipublicæ ſpecialius cognoſcenda ſunt. IDEM.

(*v*) *Vel adſcititii*]. Hanc diſtinctionem recte obſervat *Titius* eſſe exigui momenti, æque ac in longæva Civitate applicatu admodum difficilem. At magis e re fuerit notaſſe, non ubique omnes Patresfamiliarum, qui in Civitate fortunarum ſedem figunt, pro Civibus proprie ſic dictis haberi, tanquam in Civium originariorum Jura adſcitos: imo ad hoc plerumque aliæ requiruntur conditiones, quibus qui deſtituuntur, quantumvis fixam in Civitate habitationem habeant,

Digitized by Google

naſcenti interfuerunt, vel qui ex hiſce ſunt geniti; quos etiam INDIGENAS adpellari mos eſt. Hi autem ſunt, qui civitati jam conſtitutæ extrinſecus accedunt, eo fine, ut fortunarum ibi ſedem figant. Nam qui tantum ad tempus, commorandi cauſa, in civitate verſantur, etſi tantisper ipſius imperio ſubjiciantur, cives tamen non habentur, ſed peregrini, aut inquilini vocantur.

J. N. & G. *l.* VII. *c.* 2. §. 20.

Iſta tamen, quæ ſuper origine (*y*) civitatum tra. XIV. Imperium civile quo ſenſu a Deo ſit?

beant, vel etiam ibi nati fuerint, habentur adhuc *Inquilini.* Carmich.

(*x*) *Illi ſunt, qui vel initio*]. Sed quis hoc oſtendet, poſt aliquot ſeculorum, per quæ Reſpublica ſtetit, decurſum? Non opus eſt, ut in definiendis civibus originariis & adſcititiis tam alte adſcendamus, ac primas ſollicitemus origines. Videtur cum hoc diſcrimine comparatum eſſe, ſicut cum antiquitate & novitate, quicquid ante centum annos v. gr. novum fuit, id hodie jure optimo rebus antiquis annumerabitur, ita qui per tempus ſatis longum indigenatum in aliqua civitate obtinuit, ille civibus originariis adſcribi poterit: ſed qui nuper eum conſecutus eſt, is ad claſſem adſcititiorum remittendus erit. Forte etiam totius illius diſcriminis non magnus eſt uſus. Titius.

§. XIV. Quæſtio hæc theoretica maximis animi motibus agitata eſt, ſed logomachiis magis involvitur, quam periculoſis illis conſequentiis laborat, quibus utraque ſententia oneratur. Vid. Thomaſ. *Inſt. juriſpr. div. III c.* 6. §. 66. *ſeqq.* (1) Auctor *Op. maj.* VII. *c* 3. merito inconditam Ziegleri, Hornii, Strauchii, Boſii & Graswinkelii ſententiam refellit, qui majeſtatem, velut ens phyſicum, Regibus, a populo electis, adeo immediate infundi, tanquam fidei articulum tuentur: eadem quoque Grotio diſplicuit l. *c.* 4. §. 7 *n.* 3. & Hertio, in *Diſſ. de modo conſt. civ. ſect II.* §. 2. & 3. ubi ad contraria reſpondit. Apud Germanos vero dogma illud, anno 1338. conſtitutione publica adverſus Papam fuit firmatum, & juvari videtur auctoritatibus ſacris atque profanis. Ἐκ δὲ Διὸς βασιλῆες. *Ab Jove ſunt Reges*, Homeri dictum eſt; eoque nomine Callimachus ceteris Diis Jovem præfert, quod, cum ex Apolline Poëtæ, ex Marte milites ſint, Reges non niſi a Jove, id eſt, a ſummo Deo. Titus *Principatum fato dari* ait apud Sueton. *c.* 3. & in nummis Providentia deorum legitur. Imperatores Orientis ΘΕΟΣΤΕΦΕΙΣ. Occidentis a deo coronatos ſeſe appellarunt, & hodierni ſe tales *Dei gratia* eſſe ideo profitentur, quia plebs incondita, quod non habet, non videatur dare poſſe. Accedit Pauli dictum *Rom.* XIII. *v.* 1. *Non eſt poteſtas, niſi a Deo, & quæ ſunt poteſtates, ſunt a Deo ordinatæ; itaque quisquis obſiſtit poteſtati, Dei ordinationi obſiſtit.* Denique Reges Dei vicarii

tradita ſunt, non obſtant, quo minus IMPERIUM CIVILE A DEO eſſe recte dicatur (z). Cum enim idem

ſunt; vicarius autem non ab inferiore, ſed a ſuperiore conſtituitur; unde & *Dii* dicuntur *Pſ.* LXXXII. *vſ.* 6. (2) Verum ſicut tota civitatum ſtructura clamat, eas, imbris more, de cœlo non eſſe delapſas, neque homines, Dei præcepto, ſed ambitione potentiorum compulſos, vel ſponte adductos, experimento infirmitatis, Reſpublicas, earumque formas inveniſſe, ita cives quoque paciſcentes ſunt cauſa proxima & ſpecialis ſummæ poteſtatis, tam in ſucceſſivis, quam in electivis regnis; ut vel ex Saulis hiſtoria apud Samuelem conſtat I. *c.* 8. & Divus Petrus firmat *Epiſt. I. c.* 2. *vſ.* 13. ubi imperium civile ἀνθρωπίνην κτίσιν, *humanam ordinationem* appellavit. Eodem tendit Ovidii fictio, ex honoris & reverentiæ conjugio, ſatam eſſe majeſtatem, qua mundus temperatur, V. *Faſt.* *vſ* 25. (3) Deus vero cauſa prima dici poteſt, & univerſalis, quatenus is homines docuit in civitates coire, ejusque voluntati pacta inniiuntur: idem quoque tanquam Deus ordinis, ſalubre civilis poteſtatis inſtitutum ejusque collationem probat, & fidem, mutuo datam, ſancte colendam eſſe, imperat. *Nihil eſt illi principi Deo, qui omnem hunc mundum regit, quod quidem in terris fiat, acceptius, quam concilia cœtusque hominum, jure ſociati, quæ civitates appellantur: harum rectores & conſervatores, hinc profecti, huc revertuntur*, ait Cicero *Somn. Scipion.* 3. Immo quoad peculiares effectus, ſumma poteſtas à Deo eſt, quatenus is providentia ſua, ad Regum conſtitutionem concurrit, dum voluntates civium in certi hominis vel familiæ favorem inclinat, & has illosve, ad iram vel amorem ſuum exercendum, per varios caſus & rerum diſcrimina ad regiæ dignitatis faſtigium evehit. Præſertim in Theocratia Judaica, in qua omnia ſuis auſpiciis peragi voluit; unde Saulum & Davidem, divino mandato unctos, ſpiritus Domini invaſiſſe dicitur, ut in alios viros mutarentur. Atque ita non modo apparet, diverſo reſpectu ſummam poteſtatem, & divinam, & humanam ordinationem eſſe, ſed cetera quoque, quæ *Exodi* III. *vſ.* 10. 1 *Sam.* IX. *vſ.* 15. 2 *Sam.* XII. *vſ.* 7. 8. *Eſa.* X. *vſ.* 5. XIV. *vſ.* 11. *Dan.* IV. *vſ.* 32. *Jobi* XXIV. *vſ.* 39. *Prov.* VIII. *vſ.* 15. & alibi leguntur, commode explicari poſſe. (4) Cauſas vero, unde opinio veterum & recentiorum, de immediata illa origine majeſtatis divina fluxerit, & magis magisque aucta fuerit, Cl. Treuer *ad h.* §. ab aſtutia conqueſtorum, ab artibus ſacerdotum, a plebis inadæquato venerationis ſtudio, & maxime ex prava S. Scripturæ explicatione derivandas eſſe, pulchre monſtravit. (5) Denique fruſtra Petrus de Marca II. *de concord. regn. & ſacerd. c.* 2. ad pietatis prætextum confugit, quod noſtra *ſententia libertatem Regum aliquo pacto imminuit, dignitatem violat, factionibus vires ſubminiſtrat, immo in ipſas ſacras ſcripturas peccare videtur, quæ Deo imperium uniuscujusque Principis adſcribit.* Ex contrario autem, in alteram partem ſævior, Puſend. *d.* VII. *c.* 3. §. 3. omnes convelli clamat conventiones, & leges fundamentales, quæ inter Regem & ſubditos circa adminiſtrationem imperii ineuntur, everti exiſtimat. OTTO.

(*y*) *Iſta tamen, quæ ſuper origine*]. Inter Imperantem & ſubditos eſt nexus moralis reciprocus, *illi* inhæret jus & obligatio publicam promovendi utilitatem, quibus in *his* obligatio ac jus reſpondet. Jus Imperantis notiſſimo

cor-

idem legem (*a*) naturalem ab omnibus hominibus exerceri velit; & vero poſt multiplicatum genus

termino *Majeſtas* dicitur, de cujus *origine* varie diſputatur. Titius.

(*z*) *Imperium civile a Deo eſſe recte dicatur*]. Triplice ratione *Imperium Civile*, præeunte ipſa natura rerum, ad Deum *Auctorem* refertur. 1. Quatenus Deus naturalia iſta Jura, quorum exigua parte ad Imperantem tranſlata Imperium conſtituitur, Hominibus conceſſit. 2. Quatenus idem, per naturam rerum, interveniente rectæ rationis dictamine, eosdem docuit, ad decus, pacem, ac incolumitatem, Humani Generis in multitudinem aucti, neceſſario pertinere, ut, libertate naturali aliqua ex parte circumſcripta, in Civitates coirent, & Imperio Civili ſe ſubjicerent; atque adeo hoc, tanquam medium iis finibus ſubſerviens, ipſa Naturæ Lege injunxit. 3 Denique, quatenus idem Deus eâdem Lege definivit obligationes ex Civili Imperio ſtabilito inter homines reſultantes; atque fidem ſancte colendam imperat, in primis circa mutua Imperantium & Subditorum officia; utpote a quibus Humanæ Societatis ſalus ac incolumitas præcipue pendent. His, inquam, tribus reſpectibus, Imperium Civile Auctori Deo recte tribuitur, etiam dum ab Hominibus immediate conſtituitur; eſtque ſimul, ut uni atque alteri Apoſtolo nuncupatur, *τῇ τοῦ Θεοῦ διατάγῃ, Epiſt. ad Rom.* XIII. 2. & *Ἀνθρωπίνῃ κτίσει*, 1 *Pet.* II. 13. Sin quis cum *Titio* malit dicere, Deum eſſe Summi Imperii immediatam cauſam *efficientem*, Pactum vero eſſe cauſam *ſine qua non*, vel *occaſionalem*; res eodem redit: illa enim efficientia, quæ in Legis juſſu, tertio loco a nobis jam notato, conſiſtit, non alio ſenſu, fatente Cl. Viro, Deo tribuitur circa *Imperium*, quam circa aliud quodvis *Ens morale*; quatenus omne *jus*, omnemque *obligationem*, ſive ex pacto, ſive ex lege humana, ſive ex alio quocunque capite, ſuboriatur, in *Legis Divinæ* juſſum ultimo oportet reſolvi; ut jam ſupra notavimus, *Suppl. I.* §. 19.

Imperite obiiciunt nonnulli, non poſſe Summum Imperium, eodem modo quo alia jura ab Hominum pactis reſultare; quia, *quod quis non habet, id non poteſt in alterum conferre*; aſt, neque ſinguli Homines, inquiunt, neque multitudo diſſoluta habuit *Majeſtatem*, ſive ſummam Poteſtatem civilem. Ultro quidem concedimus, neque ullum unum Hominem, neque univerſos, antequam aliquo pacto unirentur, ſummam hanc Poteſtatem habuiſſe *junctim*, ſeu per modum *unius perſonæ moralis*, prout in Summo Imperante exiſtit: tuto nihilominus affirmari poteſt, in ſingulorum *naturali Libertate*, velut diſperſa latuiſſe ſemina iſtius poteſtatis, quæ per pactum, unum vel plura, ad Summum Imperantem delata, atque in eo unita, *Summi Civilis Imperii* venit nomine: quod manifeſtius fiet, ex ſpecialiore conſideratione variarum Summi Imperii partium, quas *ſeq. Cap.* recenſet Auctor. Carmich.

Opinio illa de immediata a Deo origine majeſtatis ſive ſummi imperii vetuſtiſſima eſt & ex arcanis dominationis ſubnata: ii enim, qui imperium conſtituebant vel affectabant inter ethnicos, omnem movebant lapidem, ut Deorum auctoritate id ſibi conceſſum eſſe oſtenderent, ſeque in omnibus Deorum juſſa immediate exſequi perſuaderent, quo aptius jugum divinitus quaſi acceptum hominibus injicere poſſent. Quod pluribus inluſtravit Naudæus *conſil. polit. ſur les coups d'eſtat cap.* 4. Ea pro-

Digitized by Google

nus humanum tam horrida vita inter homines proventura fuerit, ut legi naturali vix ullus relinquere-

propter Anglus quidam morti proximus aſpero ſtilo, ſed ſignificantiori dixit: *Les Rois ne doivent pas s'imaginer, qu'ils tiennent leur autorité immediatement de Dieu même; ni que cet être bon & ſage ait tiré du neant les hommes tout ſellez & tout bridez, pour être galoppez à n'en pouvoir plus par deux ou trois.* Burnet. *hiſt. des dernieres revolutions d'Angleterre l. 4. p.* 674. His fraudibus acceſſerunt artes ſacerdotum, qui non tantum principum & conqueſtorum præmiis excitati hanc ſententiam populo egregie inculcabant, ſuisque oraculis, teſtimoniis, unctionibus, conſecrationibus firmabant; ſed etiam ad auctoritatis & jurisdictionis amplificationem referebant. Cui rei non parum roboris addidit, quod plebs eam opinionem imbibiſſet, ſacerdotes immediate a Diis conſtitui, nec non arctiſſima cum iisdem habere commercia: quamobrem ſacerdotia cum ſummo imperio apud multas gentes conjuncta fuiſſe non miramur. Inde enim colligebat populus, majeſtatem per ſacerdotes a diis in principes conferri, immo principes per conſecrationes divinitatis participes reddi. Unde plurimi eorum in Deos abierunt, quos cæcum vulgus idolatrico cultu proſequebatur. Eadem ratione clerus Romanus manibus pedibusque in eamdem deſcendit ſententiam, ut vicario ſcilicet Dei pontifici Romano jus conferendi majeſtatem adſereret eique poteſtatem in imperantes omnes vindicaret: quod multa hiſtoricorum turba obſervavit, & ſcriptores etiam religioni Romanæ addicti multifariam teſtati ſunt. Alii porro in hanc ſententiam delapſi ſunt ex inadæquato venerationis ſtudio in imperantes, quod putarent, hoc dogmate illorum imperia & auctoritatem firmari: quæ tamen dogmatibus obſcuriſſimis nec ulla ratione explicabilibus parum apud ſaniores roborantur, potius infringuntur. Alii mala dictorum biblicorum interpretatione adducti tanto fervore cauſſam immediatæ originis propugnarunt, ut articulum fidei tueri ipſique ſoli majeſtatis acerrimi vindices eſſe viderentur: quum tamen iſta dicta nil aliud notent, quam Deum approbaſſe majeſtatem & confirmaſſe, ut & providentia ſua peculiariter circa ſummum imperium verſari. Ad rem ipſam quod attinet, eam Hertius *de modo conſtit. civit. ſect. II.* §. 3. Vitriar. *inſtit. jur. publ. l. III. tit.* 13. § 9. Thomasius ſcriptis contra Masium. *& inſtit. J. D. l. III. c. 6.* §. 66 *ſqq.* Boehmerus *jur. publ. univ. l. I c.* 2. §. 24 *ſqq. p.* 181. Noodt *orat. de jure ſummi imperii & lege regia* diſcuſſerunt. Tantum vero abeſt, ut ii, qui majeſtatis immediatam a Deo originem defendunt, principum auctoritatem auctum eant, ut potius ejus fundamenta vera diruant & fictitia ſubſternant. Multi enim perſpicacioris ingenii homines pervidere facile poſſunt, modum originis immediatæ nullum, nullum argumentum vel indicium adferri poſſe, præter conjecturas credulorum & ſuperſtitioſorum; vel placita callidorum hominum ad decipiendam plebem adaptata: cogitabunt ergo facile, totam rem ad fraudes ſpectare & fundamento deſtitui. Quod ſi etiam certi eſſe nequeant cives, Deum immediate majeſtatem alicui conceſſiſſe, præſertim ſi quis per ſcelera viam ad ſummam poteſtatem ſibi paraverit, eamdemque nefarie adminiſtret: populos exinde imperanti obſequia ſua juſto quaſi titulo ſubtrahendi & ad minimum juſtiſſimam dubitandi rationem deprome-

re-

ſe

retur locus; cujus tamen exercitium per inſtitutas civitates egregie promovetur; ergo (cum qui jubet finem, jubere etiam cenſeatur media, ad finem neceſſaria) Deus quoque mediante dictamine rationis antecedenter præcepiſſe humano generi multiplicato intelligitur, ut civitates, quæ ſummo imperio velut animantur, conſtituerentur. Quarum ordinem quoque (*b*) in divinis literis

re poterit, ei majeſtatem a Deo conceſſam eſſe. Præterea tot rerumpublicarum hiſtoria docet, ſummos magiſtratus non e cœlo demiſſos eſſe, ſed communi civium conſenſu impoſitos. Concludimus ergo cum Noodt *l. c. p.* 770. *b. Imperia quum* Deo *deberi dicuntur; non ei alio imputantur ſenſu, quam leges, quam cetera, quæ ab hominibus ratione facta aut ſublata,* Dei *voluntate fieri aut tolli intelliguntur. An unquam fando audivimus, reges aut principes, aut quocumque tandem titulo ſummi honos magiſtratus eminet, primo de cælo demiſſos eſſe, non hominum placito aut conſenſu electos? an non res loquitur, unam eſſe naturalem rationem, illam veram ac divinam, quæ prima hominem homini conjunxit, atque eam ſocietatem, quia ſine legibus & imperiis haberi nequit, legibus atque imperiis firmari juſſit? quidni igitur a* Deo *conſtitui aut mutari dicantur imperia, quæ ab hominibus ad tuendam ſocietatem ratione, i. e. divina voluntate aut conſtituuntur, aut abrogantur.* Plura dixi in notis *ad L. B. de* Schroedern *diſſ. von abſoluten Fürſten Recht.* Treuer.

(*a*) *Cum enim idem legem*]. Auctor cenſet, eo ſenſu Imperium Civile eſſe a Deo, quod *ejus conſtitutionem antecedenter Deus præceperit*, ſed uti hoc non adeo liquidum, certe non generale eſt, nec ad omnes civitatum formas, multo minus ad Imperii Civilis abuſum, pravis Imperantibus uſitatum, pertinet, ita, licet ſuo modo admittatur, ad rem tamen nihil facere videtur, cum Deus ita ſaltem ſit cauſa *moralis* Imperii Civilis, non autem *efficiens*, de qua tamen unice quæſtio eſt. Titius.

(*b*) *Quarum ordinem quoque*]. Deinde, *quod conſtitutum approbet*, add. *l.* VII. *c.* 3. §. 2. Sed ita non eſt *originis*, ſed *approbationis* ſaltem divinæ. Alii cenſent, Majeſtatem eo ſenſu eſſe immediate a Deo, quod idem eam velut ens aliquod phyſicum creet, ac Regi, voluntate populi deſignato, infundat, quas nænias ſolide & eleganter refellit Auctor *l.* VII. *c.* 3. §. 3. 4. *ſeqq.* add. Thomaſ. *J. J. D. l.* III. *c.* 6. §. 66. *ſeqq.* Vitriar. *J. J. P. l.* III. *tit.* 13. §. 9. *in fin.*

2. Non difficile erit, veram Majeſtatis originem oſtendere, modo puериles conceptus ac paraſitorum principia ſeponas. Nimirum ſicut alia jura, occaſione pacti, per Legem Naturalem conſtituuntur, ita quoque Majeſtas, juxta menſuram pacti, inter Imperantem & ſubditos initi, de quo ſupra not. ad §. 8. lit. (*a*). *n.* 6. voluntate divina illi tribuitur, ac ſimul ſubditis obligatio, Imperio reſpondens, imponitur. Eſt igitur Majeſtas ad modum aliorum jurium, ſeu entium moralium, immediate a Deo, ut non intercurrat intermedia cauſa *efficiens*, pactum vero præcedens eſt *cauſa ſine qua non*, vel *occaſionalis*, qua remota, Deus illud jus non lar-

 gitur,

teris expreſſe adprobat, ejusque ſanctimoniam peculiaribus legibus ſancit, ſibique illud peculiariter curæ eſſe teſtatur.

J. N. & G. *l.* VII. *c.* 3.

gitur, in quem ſenſum Philoſophia Auctoris *d. l.* VII *c.* 3. §. 1. etiam accipi poteſt, utut terminis, aliter paulo ſe habentibus, eam proponat. Idem.

Ca-

Caput VII.

De Partibus Summi Imperii.

Summaria.

I. *Partes ſummi Imperii.*
II. 1. *Poteſtas legiſlatoria*,
III. 2. *Pœnas ſumendi*,
IV. 3. *Judiciaria*,
V. 4. *Belli, pacis ac fœderum*,
VI. 5. *Creandi Magiſtratus*,
VII. 6. *Indicendi tributa*,
VIII. 7. *Conſtituendi Doctores.*
IX. *Partes hæ indiviſibiles.*

Quæ Partes (*c*) ſint ſummi imperii (*d*), & quibus modis ejusdem ſeſe vis in civitatibus I. Partes ſummi Imperii variæ.

§. I. Summum imperium vulgo *Majeſtas* dicitur, quæ vox tamen magis dignitatem notat, ex magnitudine ſummi, quam comitatur, imperii oriundam. Trebellius Pollio *in Gallienis cap.* 14. *Conſtat de dignitate imperii, vel, ut cœperunt alii loqui, de Majeſtate.* Rectius *ſumma poteſtas*, *ſumma rerum*, & *regimen in omnia civitatis* vocatur. Deſcribi poteſt, quod ſit facultas eminens, ordinandi civitatem ad ſuum finem, ſic ut actus ejus, humanæ voluntatis arbitrio, per modum imperii, non poſſint infirmari. Dividitur (1) *in Ordinarium* & *Extraordinarium*, quod ob neceſſitatem, in materia infelici expresſum. Aliis *Ratio ſtatus*, & *Imperium* vel *Dominium ſupereminens* dicitur. (2) In *perpetuum* & *temporarium*, quale erat vafræ Semiramidis, quod ex diurno diuturnum factum. (3) In *uſufructuarium* & *patrimoniale*, quod inter vivos & mortis cauſa alienari poteſt. vid. infra *c.* 9. §. 7. Vitioſa autem diviſio Majeſtatis eſt (4) in *delegantem* & *delegatam*; quia hujus acta priori ſubſunt, & ab illa poſſunt infirmari; id quod naturæ *ſummi* repugnat. (5) Nec melior eſt monarchomachorum, in *realem* & *perſonalem*, vel *regni* & *regis*; ſicut enim in una linea duæ non dantur ſummitates, ita duplex ſummum imperium, alterum Principis, alterum civitatis, concipi nequit; quia hæc poteſtate ſua ſe abdicavit, nec duo ſumma per rerum naturam eſſe poſſunt. *Quod ſummum eſt, adjectionem non recipit:* quid

Digitized by Google

bus exſerat, ex natura & fine earundem liquido poteſt colligi (*e*).

J. N. & G. *l.* VII. *c.* 4. §. 2.

In

quid enim ſupra ſummum erit? ait Seneca *Ep.* 85. (6) Nec tamen negamus, in omni civitate, ſubjectum *commune* ſummæ poteſtatis eſſe Rempublicam, ſive populum; *proprium* vero perſonam unam pluresve, pro cujusvis gentis moribus: imperium namque, quod Principi, ut capiti datum, manet in populo, ut in toto, cujus pars eſt caput; ideoque unus Rex caput eſſe poteſt plurium regnorum; & extincta domo regnatrice, populi eſt ſumma poteſtas; eaque durante, flumina, portus ceteræque res publicæ recte populi dicuntur, licet Princeps in eas imperium exerceat. vid. Grot. I. *c.* 3. §. 7. II. *c.* 9. §. 8. *c.* 16. §. 16. & Huber. *de Jur. civ. I. ſect.* 3. *c.* 1. §. 11. *ſeqq.* OTTO.

(*e*) *Quæ Partes*]. Partes nimirum *poteſtativæ*, quæ jura majeſtatis, jura ſummi imperii, regni & regalia dici ſolent. Scriptorum de iisdem optimus cenſeri debet decandatiſſimus tr. CASP. ZIGLERI *de juribus majeſtatis Witteb. denuo* 1710. *ed.* 4. *Cui jungi poteſt* HUBERUS *de jure civitatis* cum notis THOMASII. LOCK. *ſur le gouvernement civil. c.* 7. TREUER.

(*d*) *Sint Summi Imperii*]. Majeſtas eſt *ſumma & independens poteſtas, ob mutuum futuri Imperantis & ſubditorum conſenſum, Lege Naturali Imperanti tributa, qua ad obtinendam beatitudinem civilem quosvis actus cum exteris ſuſcipere, ſubditorumque actiones & vires dirigere poteſt*, quam definitionem pluribus expoſui in *Specim. jur. publ. l.* VI. *c.* 8. §. 14. *ſeqq.*

2. Menſura igitur Majeſtatis eſt *utilitas civitatis*, ex hoc adeo fine ſingulas etiam partes poſſe & debere judicari, Auctor recte dicit §. 1. *h.* De cætero planiſſime Majeſtas pro *complexu variorum jurium* habetur, quorum ſingula partes ejus conſtituunt. Alii cenſent, Majeſtatem eſſe rem indiviſibilem, quæ circa quodvis objectum tota occurrat, & pro ratione peculiaris objecti peculiare ſaltem ſortiatur nomen, vid. Vitriar. *J. J. P. l. I. tit.* 7. §. 5. Sed manifeſtum eſt, quod illa doctrina ex ignorantia rerum moralium oriatur, ſeu ſit falſæ hypotheſeos, qua Majeſtas ens aliquod phyſicum eſſe exiſtimatur, conſectarium, ut mirer, ab illa Philoſophia ſibi non temperaſſe Auctorem *l.* VII. *c.* 4. §. 1.

3 Dicuntur etiam partes Majeſtatis *Regalia*, quæ in *majora* & *minora*, ut & in ea, quæ *pacis* aut *belli* tempore obtineant, aut *utrique* ſint communia, a nonnullis diſcernuntur, vid. Thomaſ. *J. J. D. l.* III. *c.* 6. §. 144. Sed incertæ & parum conſtantes ſunt illæ diviſiones, hinc optime Majeſtas diſtinguitur in *immanentem*, quæ Rempublicam ipſam, & *transeuntem*, quæ exteros reſpicit, vid. Jacob. Thomaſ. *Philoſ. pract. tab.* 49. *ibique annot.*

4. Immanens Majeſtas ſummatim *libertate* & *imperio* conſtat, ac vel circa *ſacra* vel *profana* occupatur, ab objectis vero magis ſpecialibus ſpecialius diſtinguitur, quod in hypotheſi oſtendi in *Specim. Jur. public. l. III. c.* 1. §. 2. Tranſiens vero *libertas* ſaltem eſt, ac in *pacificam* & *bellicam* diſcernitur: illa, ſi mediate exerceatur, *jus legationum* dicitur, quod circa *negotia concilianda, fœdera pangenda* ac *civilitatem explicandam* ſummatim occupari videtur, qua de re iterum in hypotheſi nonnihil explicatius egi *d. tr. l.* III. *c.* 4

5. Circa ſingulas autem Imperii

Civi-

Digitized by Google

In civitate omnes (*f*) ſuam voluntatem ſubmiſerunt voluntati imperantium circa negotia ad ſalu

II. 1. Poteſtas ferendi leges.

Civilis partes obligatio occurrit, qua Imperans earum exercitium ad utilitatem civitatis referre tenetur, hoc igitur quo recte exequatur, probitate & prudentia politica opus eſt, quæ ex accurata, tum propriæ, tum vicinarum civitatum, cognitione advenit. Titius.

(*e*) *Poteſt colligi*]. Cl. *Lockius*, *Tract. Poſt. de Imperio cap.* 12. omnes Summi Imperii partes haud inconcinne reducit ad tres, *Legiſlativam* (ut vulgo, licet improprie, dicitur; vide ſupra *Obſerv. in lib. I cap* 2. §. 16.) *Exſecutivam* & *Fœderativam*. Ad poteſtatem *Legiſlativam* pertinet, non modo præcipere, quid ſit faciendum, quid omittendum, &c. ſed & quæ pœna, illud omittenti, vel hoc facienti, ſit infligenda; ut huc pertineant §. 2. & 3. Poteſtas *Exſecutiva*, quæque ejus exercitio ſubſervit, judicaria, explicantur §. 4. *Fœderativa* denique §. 5. Sed & poteſtas Magiſtratus & Miniſtros conſtituendi, de qua Auctor §. 6. ſponte ſe refert, vel ad Exſecutivam, vel ad Fœderativam, prout hujus, vel illius, ſubordinati actus Magiſtratibus aut Miniſtris iis demandantur. Porro, quod ad ſumptus attinet §. 7. eorum indictionem ad poteſtatem Legiſlativam, actualem vero exactionem ad Exſecutivam, facile retuleris. Circa doctrinas denique §. 8. utramque iſtam poteſtatem poſſe occupari, ſatis eſt manifeſtum.

Sed & haſce *omnes Summi Imperii partes a conſentiente Subditorum voluntate hauriri*, facile oſtenditur. Poteſtas enim Civilis, quatenus præcipiendo aut prohibendo, mulctam pecuniariam indicendo, ſententiam judicialem ferendo, vel denique cum exteris paciſcendo Cives *obligat* ad iſta facienda, omittenda, vel patienda, quæ in ſtatu naturali, omittere, agere, vel prohibere, integrum iis fuiſſet, manifeſte fundatur in conſenſu eorum, *adverſus quos* exercetur: idem enim jus de actionibus ſuis, atque adeo de rebus, quatenus ab actionibus pendent, diſponendi, quod, dum in naturali ſuo ſubjecto manet, vocatur *Libertas*; idem, inquam, Jus cujusque conſenſu, quoad Civilis Societatis finis poſtulat, ad Summum Imperantem tranſlatum evadit *Imperium*. Poteſtas Civilis contra, quatenus Civium *Jura exſequitur* adverſus ſeu Concives, ſeu Exteros, oritur a conſenſu eorum, *in quorum gratiam* exercetur: eſt enim re ipſa illud Jus, quod ſingulis in ſtatu naturali, ad ea, quæ ſua ſunt vel ſibi debita aſſerenda, competebat, eidem Imperanti, civilis pacis cauſa, delatum. Atque ad poſterius hoc genus pertinet facultas *corporaliter puniendi* nocentes; niſi quod hæc, cum naturaliter conveniat omnibus (vid. *Obſerv. in lib I cap.* 5. §. 17.) non tam Summo Imperanti *delata* dici debeat, quam eidem *reſtricta*, dum reliqui Cives ejus uſu ſibi interdicunt. Carmich.

§. II. Objectum ſummæ poteſtatis eſt complexus univerſorum reipublicæ jurium, quæ vulgo *jura majeſtatis*, ſive imperii; ab Anglis *prærogativa regiæ*; ab Italis & Germanis ambigua voce *Regalia*, vel barbare *Regaliæ* appellantur II. *F.* 56. (2) Horum alia ſunt *majora*, quæ in ipſa poteſtate regendi territorium; vel *minora*, quæ in mediis; vel *minima*, quæ in emolumentis conſiſtunt. Duo priora, tanquam eſſentialia majeſtatis, hoc proprium habent, quod a ſummo imperante non poſſunt avelli. Varie autem diſpeſcuntur: nam aliæ atque aliæ partitiones ſunt Ariſtotelis IV. *Pol.* 14. Dionyſii IV. 20. Grotii *l.* I. *de J. B. & P. c.* 3. §. 6 Puſendorfii *l* VII. *c* 4. § 1. Lockii *de Imperio c.* 12. & Hertii *Prud. civ. p. I. ſect.* 6. §. 18. (3)

Opti-

ſalutem civitatis facientia, quod velint facere, quidquid illi voluerint (*g*). Hoc ut fieri poſſit, neceſſum eſt, ut IMPERANTES CIVIBUS SIGNIFICENT, QUÆ IPSORUM CIRCA TALIA SIT VOLUNTAS. Iſtud igitur faciunt, non ſolum PER MANDATA, AD SINGULOS directa circa negotia particularia; ſed etiam PER GENERALES REGULAS, unde omnibus in perpetuum de agendis omittendisve conſtet. Per quas etiam definiri ſolet (*h*), quid cuique ſuum, quid alienum cenſeri debeat; quid in civitate pro licito, quid pro illicito (*i*), quid pro honeſto aut inhoneſto habendum (*k*); quid cuique ex liber-

Optima vero diviſio eſt in jura majeſtatis *immanentia*, & *transeuntia*: illa in ipſos ſubjectos, intra fines civitatis per eccleſiaſticam, legiſlatoriam & judiciariam poteſtatem; hæc cum exteris Principibus & Rebuspublicis, in negotiis belli, pacis, fœderum & legationum exercentur. (4) Magnus utriusque claſſis eſt numerus, quæ Bocerus, Sixtinus, Arniſæus, Gentilis, Einſidel, de Jena, Cramerus & Jargow, ſed pleniſſime Caſpar Ziglerus *de juribus majeſtatis*, explicuerunt. Auctor ſeptem tantum, hoc capite, exempli cauſa, proponit, eaque infra latius *cap.* 11. 12. & *ſeqq.* illuſtrat. (5) Primo *jus legum condendarum* ad eum ſolum pertinet, in quem ſumma poteſtas eſt collata; quia tota Reipublicæ conformatio legibus ineſt, quæ faciunt, ut multitudo in populi unius corpus convaleſcat, quarumque imperia potentiora ſunt, quam hominum, ut Livius tradit I. *c.* 8. 11. & 12. Cicero eandem legum, quæ Regum conſtituendorum, cauſam fuiſſe, ait II. *Off.* 12. quo cives, dignitate dispares, æquales fiant, & cum omnibus una voce loquantur. (6) Eſt autem poteſtas illa, intra cancellos legis naturalis & divinæ, utilitatis civium & pactorum fundamentalium coërcenda; nam omne honeſtum & turpe ab arbitrio Principis ſuſpendere, craſſiorem Hobbeſii Philoſophiam ſapit *de Cive c.* 6. §. 9. OTTO.

(*f*) *In civitate omnes*]. Auctor promiſcue nonnullas Imperii partes recenſet, quæ tamen neque totam Majeſtatem exhauriunt, neque accurate ſatis ubique ſibi opponuntur. Primo occurrit *poteſtas legislatoria*, quæ recte pro parte habetur, quatenus normam agendi ſubditis præſcribit. TITIUS.

(*g*) *Quidquid illi voluerint*]. Vel illimitate, vel limitate ſecundum pacta conventa. TREUER.

(*h*) *Per quas etiam definiri ſolet*]. Sed illa facultas definiendi intelligenda eſt, *ſalvis legibus divinis*, nam utut Auctor craſſioris Philoſophiæ Hobbeſianæ, omne honeſtum & turpe a legis humanæ definitione ſuſpendentis *de Cive c.* 6. §. 9. 16. verba uſurpet, hoc tamen eum ſano ſenſu feciſſe, exiſtimandum eſt, cum ex aliis locis hoc ſatis appareat, add. *l.* VII. *c.* 4. §. 2. *l.* VIII. *c.* 1. §. 2. *ſeqq.* TITIUS.

(*i*) *Quid pro illicito*]. Ex iis, nimirum, quæ Divina Lege, nec in univerſum ſunt præcepta, nec vetita. CARMICH.

(*k*) *Aut inhoneſto habendum*]. Legum ferendarum poteſtas primarius majeſtatis character eſt: no-

Digitized by Google

bertate naturali ſuperſit, aut quomodo quisque uſum ſuorum jurium ad tranquillitatem civitatis temperare debeat; quid denique & quo modo quisque ſuo jure ab altero exigere queat. Hæc omnia enim liquido definita eſſe, ad decus & tranquillitatem civitatis plurimum facit.

dict. §. 2.

Is porro potiſſimus (*l*) civitatum finis eſt, ut homines mutua conſpiratione & ope tuti ſint adverſus damna & injurias, quæ ab hominibus invicem inferri poſſunt & ſolent. Id ut obtineatur ab

III 2. Jus determinandi atque infligendi pœnas.

notat enim voluntates omnium in una voluntate majeſtatis eſſe unitas, qua perfecte obligari intelliguntur. Illa vero poteſtas non ita concipienda, ac ſi nullis finibus eſſet comprehenſa, omneque juſtum & honeſtum in ſe dicendum ſit, quod imperantis eſſe voluntas declaratur. De *facto* quidem in ea civitate, ubi regulas præſcribendi jus exercet imperans ſecundum externum juſtitiæ & honeſtatis valorem & effectum, omnia imperantis placita propter vim imperii coactivam vim juſti & honeſti obtinent, bonique cives præmiisque digni cenſentur, qui eadem obſervant: at vero rei natura eam ob cauſſam non mutatur, nec relatio ejus ad leges divinas non tollitur; ſed placita illa internam ſæpe involvunt turpitudinem, & injuriam civibus inferunt. Hobbesius ergo, qui *de Cive c.* 6. §. 9. & 16. tantum juſtum & honeſtum ex externo effectu in civitate dijudicat, in eo non peccat, quod eo ſenſu juſtum & honeſtum ab imperantis voluntate pendere adſeruerit; ſed in eo minus accurate proceſſiſſe dicendus eſt, quod nullam aliam juſti & honeſti ideam in cive ſuo admiſerit. Regulæ enim, quæ in republica præſcribuntur, intra cancellos legis naturæ, civium utilitatis pactorumque fundamentalium ſe detinere debent. Conf. Houtuyn *politica contracta* §. 27. *ad* 35. Treuer.

§. III. Ad tutelam civium internam pertinet *jus vitæ & necis*, quod alias major animadverſio *l.* 11. *D. de eff. proc.* ſumma & maior poteſtas *l. un. D. de eff. præf. præt.* ἀλλειγεgικῶς jus ferri Lucano V. *vſ.* 312. & poteſtas gladii vocatur *l.* 6. *pr. D. de eff. proc. l.* 70. *D. de R. J. Rom.* XIII. *vſ.* 4. (2) Ut vero quies reipublicæ obtineatur, metu pœnæ opus eſt ad ſceleſtorum malitiam reprimendam, quæ coëundo in civitatem ab illis non exuitur. Quotusquisque enim reperiretur, qui impunitate omnium propoſita abſtinere poſſit injuria? Nonne alter alterum vivus deglutiret? ut in Hebræorum proverbio erat. Vinculis igitur & carcere fatigandi ſunt, quos Numinis metus non terret. *Valeria lex nihil ultra, quam improbe factum, adjecit. Id (qui tum pudor hominum erat) viſum, credo, vinculum ſatis validum legis, nunc vix ſervo ita minetur quisquam*, ait Liv. X. 9. (3) Atque hoc eſt, quod Solon dixit, Rempublicam præmio & pœna contineri; ejusque imitator Ulpianus,

ab hominibus, quibuſcum in eandem ſocietatem conjungimur, non ſufficit, ut mutuo inter ſe paciſcantur de injuriis non inferendis: neque etiam ut nuda Superioris voluntas civibus innoteſcat: ſed opus eſt METU POENÆ, ET FACULTATE EANDEM REPRÆSENTANDI (*m*). Quæ pœna, ut huic fini ſufficiat, ita eſt temperanda, ut aperte majus malum ſit leges violaſſe, quam obſervaſſe (*n*); utque adeo pœnæ acerbitas voluptati aut lucro, quod ex injuria capitur aut ſperatur, præponderet. Nam non poſſunt homines non ex duobus malis minus eligere. Licet autem multi per imminentem pœnam ab injuriis non reprimantur, id tamen inter minus frequentia habendum eſt; quæ plene evitare conditio humana non patitur.

J. N. & G. *l.* VII. *c.* 4. §. 3.

IV. 3. Poteſtas civium li- Quia etiam ſæpe (*o*) controverſiæ ſuper recta legum

nus, veræ & non ſimulatæ Philoſophiæ munus eſſe, ait *bonos non ſolum metu pœnarum, verum quoque præmiorum exhortatione efficere*, in *l.* 1. §. 1. *D. de J. & J.* & Conſtantinus in *l.* 3. *C. Th. de numerar. Vel laus eos & dignitas honorabit, vel ſi in culpa fuerint deprehenſi, pœna comitabitur.* Adde ſupra *ad l. I. c.* 2. §. 8. Otto.

(*l*) *Is porro potiſſimus*]. Deinde *poteſtas puniendi* adducitur, quam ita exercendam eſſe, ut ſcopum propoſitum, in quantum indoles vitæ humanæ hoc admittit, illa aſſequatur, Auctor hic præcipit, add. *l.* VII. *c.* 4. §. 3. qua de re *c* 13. amplius diſpiciendum erit. Titius.

(*m*) *Et facultate eandem repræſentandi*]. Lex omnis ſine pœnæ repræſentatione, vel etiam ſine poteſtate puniendi fulgur eſt ex pelvi. Exempla in lege Cincia & Valeriana adfert Boehmerus *de jur. publ. univ. part. ſpec. l. II. c.* 3. *p.* 404. *not. p.* Metu opus eſt in civitate, in qua cives malitiam ſuam non amiſerunt, quibus eam ob cauſſam mala ſunt opponenda, in quæ incidant, niſi mores ad utilitatem & tranquillitatem reipublicæ componant. Conſtat etiam ex eo: leges obligare debent: obligationis autem natura non tantum ſpem boni, ſed & metum mali requirit. Treuer.

(*n*) *Ut aperte majus malum ſit, leges violaſſe, quam obſervaſſe*]. Sed eſtne malum leges obſervare? Eſt, non juxta *rei veritatem*, ſed *delinquentis opinionem*, quæ hic reſpicitur, cum per pœnam ſit corrigenda. Titius.

§. IV. Judicia pertinent ad jus privatum, ſed eorum conſtitutio eſt juriſpublici ac Majeſtatis. Recte enim Cicero, poſt Herodotum & Ariſtotelem, dixit II. *Off* 12. *juſtitiæ fruendæ* cauſa, in civitates coitum eſſe, & Plato ait, ſine judic

legum adplicatione ad facta ſingularia oriri ſolent, ac multa accurate expendenda occurrunt, ſi quid contra leges factum eſſe dicatur: inde, ut inter cives tranquillitas conſtet, ſummi imperii eſt, LITES CIVIUM COGNOSCERE ET DECIDERE (*p*), ſingulorumque facta, quæ legibus contraria arguuntur, examinare, ac pœnam, legibus convenientem, dictitare & exſequi. tes cognoſcendi ac decidendi.

J. N. & G. *l.* VII. *c.* 4. §. 4.

Ut autem, qui in civitatem coiverunt, adverſus extraneos tuti ſint, ſummi imperii eſt, CONGRE- V. 4. Jus belli & pacis ac fœderum.

diciis non eſſe civitatem. Enimvero cum inops multitudo ab iis premeretur, qui majores opes habebant, ad unum aliquem confugiebant, qui præ ceteris juſtitiæ, ſapientiæ & virtutis fama florebat, ut injuria tenuiores prohiberet, & & æquitate ſummos cum imis retineret. (2) Solent autem Imperantes tres judicii partes, facti cognitionem, juris ad illud applicationem, & exſecutionem aliis mandare, tum ratione territorii, tum ratione cauſarum; ſic tamen, ut ultimam provocationem ſibi reſervent: nam ut nulla ratione poſſit provocari, cum perſona ſubditi pugnare, ait Grot. *l. II. c.* 4. §. 13. (3) Veterum plerique, ut ſanctitati judiciorum magis proſpiceretur, in magna reliquorum ignorantia ſacerdotes iis præfecere, Cæſar VI. *de B. G. c.* 13. Tacit. *de M. G. c.* 7. Ælian. XIV. 34. ibique Cl. Perizon. *in not.* Otto.

(*o*) *Quia etiam ſæpe*]. Ulterius ſub Imperio Civili continetur *poteſtas judiciaria* §. 4. Jus *belli* & *pacis*, nec non *fœderum* §. 5. (ſub quo jus *guarantiæ*, *neutralitatis*, ſimiliaque jura comprehenduntur) *Mediationis* & *civilitatis publicæ exhibendæ* (quæ tria jura, mediate exercita, nomine *Juris Legationum* venire, ſupra §. 1. lit. (*d*). *n.* 4. jam dixi) denique *Jus conſtituendi miniſtros & magiſtratus* §. 6. ac *Jus exigendi ſumtus publicos* §. 7. add. *d. l.* VII. *c.* 4. *ſeqq.* Titius.

(*p*) *Lites civium cognoſcere & decidere*]. Poteſtas judiciaria, quæ legum vim in civium cauſſis manifeſtat, penes ſolum imperantem eſt, qui, ut eo aptius jus dici poſſit, judices peculiares conſtituit & ſubordinat. Tribus autem ea abſolvitur: (1) facti cognitione: (2) juris adplicatione, vel dictione, qua de facto cognito judicatur: (3) imperio ſive exſequutione ejus, quod de facto ſtatutum eſt. Vid. Boecleri *diſſ. polit. X. de jurisdict. & judic.* Treuer.

§. V. Ad defenſionem civitatis adverſus injurias exterorum pertinet Bellum; id, quod ut jure gentium ſolenne ſit, non niſi ab iis, qui jus totius habent, ſuſcipi poteſt; quia univerſa civitas, ipſaque ſceptra & coronæ in diſcrimen vocantur. Apud Romanos in crimen Majeſtatis incidebat, qui injuſſu Principis bellum geſſiſſet, *l.* 3. *D. ad L. Jul. maj.* & *l. un. C. ut armor. uſus.* Juris belli autem latiſſimi ſunt fines, quia conſcriptionem & hoſpitationem militum, armamentaria, caſtella,

ar-

GREGARE, UNIRE ET ARMARE, aut ejus loco conducere, quod pro incerto numero, & viribus hoſtium ad communem defenſionem opus viſum fuerit; rurſusque, ubi expedierit, pacem facere (*q*). Cumque & belli & pacis temporibus inſerviant FOEDERA, ut & commoda diverſarum civitatum melius communicari poſſint: & validior hoſtis junctis viribus repelli, aut in ordinem redigi queat; penes ſummum quoque imperium erit; utrique tempori inſervientia fœdera inire, univerſosque ſubditos ad ea ſervanda obſtringere, ſimulque exinde redundantia commoda in civitatem derivare.

J. N. & G. *l.* VII. *c.* 4. §. 5.

VI. 5. Poteſtas creandi Magiſtratus.

Cum etiam civitatis amplæ negotia, tam belli quam pacis tempore occurrentia, ab uno homine ſine MINISTRIS & MAGISTRATIBUS exſecutioni dari nequeant; opus erit, ab ſummo imperio conſtitui

arces, claſſes, guarantiam, pacem, neutralitatem, fœdera & legationes comprehendit. vid. *c.* 16. & 17. OTTO.

(*q*) *Pacem facere*]. Jus belli & pacis, quod hic innuitur, neque civitati, neque magiſtratui inferiori; ſed ſoli majeſtati competit ordinarie: niſi ſumma neceſſitas ad arma præcipitandi conſilio capienda impellat, vel civitas a principe ſuo deſerta ſit. vid. BOECLER. *ad Tacit. annal. l. I. c.* 10. *n.* 3. GROTIUS *lib. I. c* 3 *n.* 5. BERNEGGER. *ad Tacit. quæſt.* 187. TREUER.

§. VI. Adminiſtrare rempublicam ſummi imperantis eſt; ſed quia is ubique eſſe nequit, multos oculos, aures, manus & pedes, ad tenendam ſummæ reipublicæ molem, ſibi comparare debet: tales autem ſunt Legati, Conſiliarii, belli Duces & Magiſtratus. (2) Priores ipſum Principem repræſentant, ejusque negotia publica, in aulis exterorum, vel in ſanctiore concilio, expediunt. Olim *Patres*, *Amici* & *Comites* Regum vocabantur. Hi vero ſunt miniſtri, cum facultate quadam imperandi, a republica conſtituti. Vellejus Paterculus II. *c.* 127. *Magna negotia magnis adjutoribus egent: intereſtque Reipublicæ, quod uſu neceſſarium & dignitate eminere, & utilitatem auctoritate muniri.* (2) Illud certum eſt, præſtare mali Principis bonos Conſiliarios, quam boni malos; ſed plerumque *qualis eſt judex populi, tales etiam ſunt miniſtri ejus*, *Eccleſ.* X. *vſ* 2. Symmachus IV. *Ep.* 7. *Summis imperii moderatoribus pia & decora ſuadentes inſtrumenta ſunt boni ſæculi. Eſt quidem Rectori noſtro divini fontis*

inge-

Digitized by Google

ſtitui homines (*r*), qui ipſius vice controverſias civium examinent, vicinorum conſilia explorent, milites gubernent; opes civitatis colligant, & diſpenſent, ac denique utilitati civitatis undique proſpiciant. Quos ipſos ſummus imperans ad officium faciendum compellere, geſtorumque rationes poſcere poteſt ac debet.

J. N. & G. *l.* VII. *c.* 4. §. 6.

VII. 6. Jus imperandi tributa & vectigalia.

Quia porro nec belli nec pacis tempore civitatis negotia ſine SUMTIBUS geri poſſunt, ſummi imperii eſt adigere cives, ut eosdem ſuppeditent (*s*). Id quod variis modis contingit; puta, ſi vel cives aliquam bonorum aut proventuum regio-

ingenium, & omnium virtutum promta natura. Sed ut imagine uti liceat, optimos gubernatores haud mediocriter etiam remigum manus juvat. OTTO.

(*r*) *Conſtitui homines*]. Jus conſtituendorum magiſtratuum ſoli majeſtati competit: (1) quia populus a majeſtate vult regi; cui ergo liberum erit de regiminis miniſterio ſtatuere: (2) ſummus imperans, ſive per ſe velit, ſive per alios agere, hoc perinde eſt, modo ſua voluntate id fiat: (3) magiſtratus ſunt exſequutores legum; quod munus immediate ex majeſtatis fonte promanat. Vid. BOECLER. *diſſ. polit.* 9. TREUER.

§. VII. Ut quies Reipublicæ interna & defenſio adverſus exteros comparetur, juſtum eſt, ut civis, qui commodis civitatis frui cupit, etiam ad ſumtus belli & pacis concurrat. Neque enim quies gentium ſine armis, neque arma ſine ſtipendiis, neque ſtipendia ſine tributis haberi queunt, auctore Tacito IV *Hiſt.* 74. Ulpianus ait: *In tributis Reipublicæ nervos eſſe, nemini dubium eſſe* in *l.* 1 §. 20. *D. de quaeſt.* Quintilian. *Decl.* 341. *Neceſſaria eſſe vectigalia civitati; exercitus ſtipendium accipiunt, &c.* (2) Ad aulam quoque Principis cum ſplendore quodam ſuſtentandam opus eſt certis reditibus & bonis; quæ hodie *Domanialia*, *Cameralia*, vel *Menſalia* appellantur. Uſum illorum antiquiſſimum apud Ægyptios & Spartanos, Diodorus Siculus & Xenophon prodidere. De Latinis Servius ad illa IX. Æneid. *vſ.* 274. verba: *Et campi, quod Rex habet ipſe Latinus,* notat: *Mos fuerat, ut viris fortibus, ſive Regibus, pro honore daretur aliqua publici agri particula, ut habuit Tarquinius Superbus in campo Martio, quod ſpatium ab Homero τέμενος dicitur.* Add. infra *c.* 15. §. 3. & 5. OTTO.

(*s*) *Ut eosdem ſuppeditent*]. Jus tributorum majeſtati ſumme neceſſarium: ſine iis ceſſant media defenſionis; ceſſat auctoritas reipublicæ; ceſſat tranquillitas: ſine eo imperium diſſolvitur, neque quies gentium ſine armis, neque arma ſine ſtipendiis, neque ſtipendia ſine tributis haberi queunt: quæ verba ſunt TACITI *l.* IV. *hiſt.* 74. *n.* 2. ad quæ prolixe de tribu-

gionis, abs ſe inſeſſæ, partem ad hos uſus ſeponant, vel ſinguli cives de ſuis bonis conferant, ſimulque, ubi opus ſit, operas ſuas præbeant; vel ſi vectigalia imponantur mercibus, quæ importantur & exportantur, (quorum illud tamen magis cives, hoc exteros onerat,) aut ſi de pretio rerum, quæ conſumuntur, modica pars decidatur.

J. N. & G. *l.* VII. *c.* 4. §. 7.

VIII. 7. Poteſtas conſtitu- Denique cum ſingulorum (*t*) actiones a ſua cujus

tis explicuerunt commentarii. vid. præterea Barclajum *Argenid. l.* IV. *c.* 10. Thysius *memorab. veterum rerump. c.* 18. *p.* 598. 687. Berneggerus *quæſt* 81. Treuer.

§. VIII. Ad imperium civile quoque pertinet cura Scholarum & Religionis. Quamvis enim privata liberorum educatio in patris ſit arbitrio, neque civitates ſacrorum cauſa ſint conſtitutæ, ex voto tamen optimarum felicitas conſiſtit in eo, ut cives, animo ſcientiis exculto, ſecundum virtutes operentur, quas inter præcipua eſt pietas, baſis & fundamentum omnis honeſtatis. (2) Quumque teſtæ diu retineant odorem, quo ſemel recentes ſunt imbutæ, ſuprema inſpectio in ſtudia imperanti competit, ne porticus ſolæ legibus ſint impletæ, ſed ut juſtitiæ ſtudium penitus animis civium inſeratur. Hunc in finem opera danda eſt, ut in Academiis, recte dotatis & exornatis, vera ſanaque doctrina promoveatur; noxia vero, ſeditioſa & impia excludatur; utque rixis eruditorum modus ſit, a ſtulta ambitione communiter profectis. Recte ait Hobbeſius *de Cive c.* 1. *n.* 5 non conſentire alicui eſſe erroris eum tacite accuſare; in multis abire, eſſe eum pro ſtulto habere; hinc bella literaria inter Sabinianos & Proculejanos, Legiſtas & Decretiſtas, ſed acriora inter Theologos, quia Dei cauſa agitur. Mitto vetus dictum, inter horologia facilius quam inter Philoſophos convenire. Cohibendi ergo ſunt turbulenti, inſulſi & latrantes iſti, ut pruritum laceſſendi bilemque, in exitium Academiarum vergentem, abjiciant: alii monendi, ut deſerant inane ſtudium ſupervacuorum, ac quæſtiones, nulli profuturas, quæ ſpecioſa vanitate ita quosdam detinent, ut negligant neceſſaria: quamadmodum ſuo tempore Seneca *de Brevit. vitæ c.* 13. & in aurea *Epiſt.* 88. Juvenalis VII. *vſ.* 234. aliique graviter inculcarunt; quibus Cl. Buddei *Diſſertatio de cultura ingenii* jungatur. (3) Majoris momenti eſt jus Imperantis *circa Sacra:* quod vulgo, ſed perperam, *jus Epiſcopale* vocatur. Quemadmodum omnia collegia in civitate, ſic etiam univerſitas, quæ cultum religionis publice exercet, & certis juribus fruitur, imperio ſubjacet *l.* 1. §. 1. *D. de colleg. l.* 2. *D. de extr. crim.* ne ſpecie religionis turbæ, ſcelera & bella oriantur, quorum exempla ſunt apud Livium XXXIX. *c.* 8. *ſeqq.* Plutarch. *de Iſide c.* 58. & Juvenalem XV. *vſ.* 35. Nulla enim res efficacius multitudinem regit, quam ſuperſtitio & plebs, alioqui impotens, ſæva, mutabilis, *ubi vana religione capta eſt, melius vatibus*

jusque opinione regantur; plerique autem de rebus ita ſoleant judicare, prout aſſueverunt, & prout communiter judicari vident; pauciſſimi proprio ingenio vera & honeſta diſpicere queant: inde

endi publicos Doctores.

tibus ſuis, quam ducibus paret, Curt. IV. 10. (4) Si quæris, quousque jus illud circa Sacra ſe extendat. Separanda eſt religio naturalis a revelata, & gentilis a Chriſtiana, tum quoque cavendum, ne omnia Principi, nec ab altera parte Papæ aut Clero ſubjiciantur. Apud gentiles omnis de Diis doctrina ad rationes Reipublicæ particulares, & retinendam in obſequio plebem accomodata erat, nec mirum ergo, quod idem *Rex dux belli erat, judex controverſiarum, & dominus ceremoniarum erga Deos*, ut ait Ariſtot. III. *Polit.* 11. & Servius *ad Virg. III. Æneid. vſ.* 80. (5) Religio autem Chriſtiana, quatenus cultum *internum* & credenda continet, ſub imperio civilis poteſtatis non continetur: ea enim officia erga Deum, ac internam felicitatem hujus & futuræ vitæ pro ſcopo habet: Reſpublica autem circa officia hominum erga homines, & externam ſecuritatem occupatur. Neque ſubjecti mentes ſuas Imperanti ſubjecerant, quarum Rex ſolus Deus eſt: neque religionis eſt cogere religionem, quæ ſponte ſuſcipi debet; neque arma hujus militiæ carnalia ſunt; uti Lockius, Werenfelſius, Baylius, Saurinus & Noodtius profeſſa opera oſtenderunt. (6) *Externi* autem religionis actus arbitrarii, & media, quæ cultum internum promovent, & perſonæ, ſacris præfectæ, imperio civili non modo ſubjectæ ſunt, ſecundum Pauli illud: *Omnis anima Magiſtratibus ſubjecta eſto*, *Rom.* XIII. *vſ.* 1. ſed & officium Principis Chriſtiani eſt, Eccleſiam viſibilem alere, tutari & curare, ut omnia in ea ordine & decenter fiant. *Reges erunt nutritii tui*, *Eſa.* XLIX. *vſ* 23 (7) Totum ergo jus circa Sacra partim in directione, partim in defenſione conſiſtit, & circa publicum religionis exercitium, diſciplinam & ordinationes eccleſiaſticas, Miniſtros, Synodos, Conſiſtoria & bona eccleſiarum verſatur, de quibus Imperatores Conſtantinopolitani in utroque Codice compiures conſtitutiones dederunt. (8) Henricus autem Valeſius *ad Euſeb. de vita Conſtant. III. c.* 51. Conſtantinum culpavit, quod vix catechumenus doctorem egerit, & Petrus Faber III. *Sem.* 22. acrius reprehendit Juſtinianum, quod a Canonibus diſceſſerit, ſibique plus in Eccleſiaſticis vindicarit, quam laïco Principi conveniret. Alemannus in *præf. ad Procop p.* 4. eum idcirco *infauſtum Eccleſiæ monſtrum*, Conringius in *anis pag.* 35. *berilis ingenii Cæſarem* appellavit; ſed vide, quæ dixi ad Böckelmanni *Diſſ. jur. civ. & can. c.* 15. §. 4. & adde Grot. *de Imp. ſumm. pot. circa ſacra*, Puſend. *de habitu relig. Chriſtianæ ad vitam civilem*, Thomaſ. *vindic. jur. maj. circa ſacra*, & *de jur. princ. Evang. in controv. Theol.* nec non Oration. meam *de jure imp. & ſtat. imp. circa Sacra* OTTO.

(*t*) *Denique cum ſingulorum*]. Ad Imperium etiam pertinet *Jus ſcholarum & cura religionis.* Sub illo continetur (1) *jus inſtituendi ſcholas*, (2) *promovendi veram ſanamque doctrinam, noxiamque excludendi* §. 8. *b.* (3) *impediendi, ne diverſæ ſententiæ in odia & rixas erumpant, ac pacem civilem turbent*, add. *l.* VII. *c.* 4 §. 8.

2. Cura religionis involvit (1) *jus proſpiciendi, ne prætextu religionis ſocialitas turbetur, ac vel Reſpublica, vel ſinguli, in juribus ſuis, immerito lædantur*, quod Imperantes magna ſollicitudine exercere

inde civitati expedit, ut publice ejusmodi doctrinis perſonet (*v*), quæ cum recto fine & uſu civitatum congruunt, ſimulque animi civium a puero iſtis imbuantur. Ejusmodi igitur do-ctri-

cere debebant, ſed eo fere res rediit, ut in ejus neglectu, vel uſu contrario, ſalutem ſuam contineri exiſtiment. Quoad ipſam religionem, (2) *non babet Imperans jus religionem comminiſcendi, imperandi, aut ob non admiſſum, vel rejectam puniendi.* Poſita vero religione vel *conſenſus*, vel *diſſenſus* adeſt: illo caſu, (3) *babet jus ea omnia agendi, quo religio debite inſtituatur & conſervetur*, ex quo varia jura ſpecialia fluunt.

3. In caſu diſſenſus habet (4) *jus diſſentientibus emigrationem injungendi, citra ullam tamen læſionem, aut eos non recipiendi*, quod facilius procedit: non minus tamen ipſi competit (5) *jus eos recipiendi vel tolerandi.* Poſita autem tolerantia, amplius habet, (6) *jus a ſuæ Eccleſiæ cœtu diſſentientes excludendi*, fidei formulis eo fine compoſitis, ad quas tamen non temere ruendum, (7) *Conciliationem tentandi* per amicas collationes ſine ulla vi, vel directa vel indirecta, (8) *cultum publicum circumſcribendi*, vel *plane probibendi*, denique (9) *cultum publicum admiſſum dirigendi*, in quantum id indoles religionis, conſcientia Imperantis & eorum, qui religionem iſtam ſectantur, admittit. De cætero pro diverſitate diſſenſus hoc jus aliquando ſibi afferunt Imperantes, aliquando negligunt, ac curam religionis ordinandæ diſſentientibus ipſis relinquunt.

4. Quæ autem de receptione, vel tolerantia diſſentientium dicta ſunt, illa procedunt, ſi ipſorum religio non ſit inſociabilis, nec ſtatui Civili repugnet, alioquin non conſultum fuerit, hoſtes in Rempublicam recipere, vel in eadem tolerare. Sed illa delibaſſe ſufficiat, nam ex generalibus illis principiis, rite probatis, ſpeciales concluſiones deducere, ac quomodo hypocritæ conſcientiarumque tortores contra eas peccare ſoleant, oſtendere, id inſtituti anguſtia prohibet. Titius.

(*v*) *Perſonet*]. Huc itaque pertinet (1) jus circa ſacra, & quidem vel circa cultum, vel circa perſonas ad ſacra neceſſarias, vel circa bona eccleſiaſtica: (2) jus circa ſcientiarum permiſſionem & promotionem in republica: (3) jus circa dogmata ipſa & ſentiendi libertatem. De primo vid. eruditiſſimum librum Ant. de Dominis *de republica eccleſiaſtica.* Besoldum *de religionis jure.* Grotium *de imperio ſummæ poteſt. circa ſacra.* Rechenberg. *diſſ. P. II. D.* 21. *an cujus regio ejus ſit religio.* Conring. *diſſ. de majeſtatis civilis auctoritate & officio circa ſacra.* Jæger *de concordia imperii & ſacerdotii* De tertio Ant. Collini *diſcours ſur la liberté de penſer* variis occaſionem præbuit inveſtigandi jus principum circa ſentiendi libertatem. Conf. quoque Rapin. *reſl. ſur la philoſophie p.* 356. Malim tamen jus circa ſacra & religionem deducere ex principis jure ſupremæ inſpectionis in quasvis ſocietates, quævis collegia civium, quo præcavet, ne ullum reipublicæ præjudicium exinde pronaſcatur. Sicuti enim ſinguli cives ſubjecti ſunt principis imperio: ita quoque cives in ſocietates coaliti, vel integra civium corpora eamdem obſequii obligationem ſuſtinent. Jus vero illud principis vel magis vel minus ad res ſocietatis dirigendas ſe extendit, prout vim ea habent & exſerunt in rempublicam. Non opus hic eſt, ut fingamus jura principis *collegialia* juribus majeſtatis contradiſtincta; nihil eſt in prin-ci-

ctrinas qui publice doceant, ſummi imperii eſt conſtituere (*x*).

J. N. & G. *l.* VII. *c.* 4. §. 8.

Sunt autem iſtæ partes ſummi imperii naturaliter IX.

Quæ imperii par-

cipis imperio, quam majeſtas: nihil in majeſtate, quam complexus jurium ſummi imperii, quæ ſi adplicare neceſſe ſit ad interiorem alicujus collegii conſtitutionem; exinde non aliam induunt indolem, nec jura dici poſſunt a juribus majeſtaticis diverſa: quod viro magnifico PFAFFIO *in origin. jur. eccleſ. p.* 193 200 regerendum eſſe puto. Eccleſia vero eſt cœtus civium DEUM publice colentium: inſignem ille vim habet in animos hominum & per eorum motus in ipſam rempublicam. Quare principis eſt ita dirigere totius eccleſiæ externum habitum & jura illuc pertinentia, ne ſecuritati reipublicæ & ſaluti detrahat. Ubi vel inſignes doctorum eccleſiæ abuſus vel ceterorum membrorum corruptio ſe apertius manifeſtant, ibi princeps ſupremum inſpectionis jus etiam latius in eccleſiæ externam conſtitutionem extendit & limitibus eam circumſcribit, quibus opus eſt ad evitandam ſocietatis & reipublicæ corruptionem. Conf. *Caroli Franciſci* BUDDEI *Unterſuchung des wahren Grundes, aus welchem die höchſte Gewalt eines Fürſten über die Kirche herzuleiten iſt. Halæ* 1719. 8. Auctor hujus libri ſanioribus principiis inſiſtit, & juris publici univerſalis præcepta hac in parte egregie ordineque concinno enucleat. Adde Böhmerum *jur. publ. univ. part. ſpec. l. I. c.* 4. 5. TREUER.

(*x*) *Summi imperii eſt conſtituere*] Huc pertinet poteſtas erigendi *Academias*, easque Legibus firmandi & Privilegiis ornandi, quam inter *Jura Majeſtatis minora* (majora enim ſunt partes Summi Imperii eſſentiales, ab Auctore deſcriptæ) cenſere ſolent Scriptores Politici. Hoc interim, ut & alia pleraque Jura Majeſtatis quæ *minora* vulgo audiunt (qualia ſunt, *Dignitates conferendi*, *Monetam cudendi*, *Nundinas & Ferias concedendi*, *Liberos legitimandi*, *Famam reſtituendi*, *Veniam ætatis largiendi*, *Solennia Legum remittendi*, *Debitoribus inducias dandi*, *&c.*) ubi repeiuntur, ad Poteſtatem *Executivam* ſponte ſe referunt: horum tamen jurium aliqua ſubordinatis Magiſtratibus quandoque permittuntur; aliqua, ſalva Civitatis & Imperii Civilis conſtitutione, poſſunt prorſus deeſſe. Alia vero Jura, quæ ad hoc idem genus referuntur, ut *Mulctas Fiſco acquirendi*, *res nullius excluſis aliis occupandi*, &c. non tam ſunt partes Summi Imperii, quam Jura utilia, variarum Civitatum Legibus Summo Imperanti, ad dignitatem ejus ſuſtinendam, conceſſa.

Quod ſi vero, quæ ab Auctore hic præcipiuntur, ad Doctores Eccleſiaſticos intelligantur pertinere, ducunt ad quæſtionem vexatiſſimam, de *Jure Summorum Imperantium circa Sacra*: quæ quidem, ſive reſpiciat iſtum Sacrorum cultum, cui Leges civitatis favent, moderandum; ſive diſſentientes ab eodem, ſupprimendos aut tolerandos; quæſtio eſt, utroque reſpectu, altioris & ſubtilioris indaginis, quam ut eam hic vel leviter attingere inſtituti noſtri ratio permittat. CARMICH.

§ IX. Summum imperium unum quiddam eſt & indiviſum, quod intellectu magis partes habet, quam corpore, & ex diverſis opera-

tes natura ſunt indiviſæ.

ter ita CONNEXÆ (y) ut, ſiquidem regularis forma civitati conſtare debeat, omnes & ſingulæ penes

rationibus cognoſcitur. Tanta etiam partium illarum eſt conjunctio & nexus, ut majeſtas coronæ aſſimiletur, quæ, parte circuli amiſſa, nomen ſuum amittit. Hinc Auctor *Op. maj. l.* VII. *c.* 4. §. 9. *ſeqq.* multis rationibus poſt Bodinum & Hobbeſium evincere conatur, mixtas Reſpublicas non dari, atque ita Tacitus IV. *Annal.* 33. *Cunctas nationes & urbes populus, aut primores, aut ſinguli regunt; delecta ex his & conſtituta Reipublicæ forma laudari facilius, quam evenire, vel ſi evenit, haud diuturna eſſe poteſt.* (2) Verum licet Majeſtas regularis ſit indiviſa, vix etiam ex tribus formis mixtura fieri poſſit, & ſi populo ea arriſerit, compages civitatis irregularis, nec ſatis concinna, inde exſurgat; tamen quia levior ille morbus eſt, præ malis, quæ ex abuſu partium majeſtatis conjunctarum, ſub pravis imperantibus, proficiſci poſſunt; hinc populis quibuſdam placuit diviſio, & nihil vetat, quo minus ſummum imperium dividatur vel per partes *ſubjectivas*, ut plures Imperantes regalia pro indiviſo exerceant, & talis regni ſpecies ad Ariſtocratiam inclinat; vel per partes *potentiales*, ita ut jus belli & pacis Rex ſolus exerceat; tributa autem, & rerum gerendarum nervus a populi concilio dependeant. Exempla antiqua reipublicæ Hebræorum, Macedonum, Romanorum & Athenienſium, Grotius attulit *l. I. c.* 3. §. 17. & 19. recentiora in Germania, Suecia, Polonia & Hierachia Romana, Hertius laudavit *Prud. civ. p. I. ſect. XI* §. 8. (3) A mixtis autem his, ſive irregularibus, differunt reſpublicæ *temperatæ*, in quibus Regis partes ubivis primæ ſunt, ſed populus in quibuſdam, tanquam cauſa ſine qua non, concurrit, ut in magna Britannia: aut imago libertatis proceribus vel populo, in adminiſtratione, relinquitur. v. c. ſi Rex nolit, leges vel donationes valere, niſi a Senatu approbentur; ut in Gallia: vel ſi Optimatum reipublicæ ſimulacrum Regis adjiciatur; cujus exemplum eſt in duce Venetorum, *un veritable fantome & un ombra d'un Prince*, ait Didier. *p.* 2. *de la Ville & Rep. de Veniſe* OTTO.

(y) *Sunt autem iſtæ partes ſummi Imperii naturaliter ita connexæ*]. Nempe ex hypotheſi finis intenti, ſi enim illi, qui civitatem conſtituunt, felicitatem Civilem intendunt, naturale utique eſt, ut Imperium Civile ita efforment, quo habeat omnes partes, ad producendum illum finem neceſſarias, eaſque ita diſpoſitas, ut operatio publica commode poſſit ſuſcipi. TITIUS.

Majeſtatem non poſſe dividi, communis olim fuit ſententia partim ex adulatione, partim ex ſuperſtitione enata: quod majeſtatem immediate inſtar ſancti habitus animis principum e cœlo infundi crediderint, qui non poſſit communicari cum aliis; ſed indiviſim tamquam qualitas divinitus immiſſa poſſideri. Nil vero obſtat excuſſo illo errore, quo minus majeſtatem in partes abire poſſe putemus, ita, ut penes unum jus ſacrorum, penes alterum jus belli & pacis, penes alios jus legum ferendarum adeſſe queat. Non obſtat majeſtatis natura, quæ eſt complexus omnium jurium, quæ ad ſummum imperium pertinere judicamus: illa vero dividi commode poſſunt non tantum mente, ſed etiam praxi civili. Nec eſt, ut finem civitatis hac ratione obtineri non poſſe adfirmemus: experientia loquitur contrarium, & ſæpe e re civium eſt, ut ne omnia jura in uno reſideant capite. Nihil quoque monſtri alit ejusmodi partitio, qua licet facta, jura tamen

Digitized by Google

nes unum radicaliter eſſe debeant (*z*). Nam ſi una vel altera (*a*) plane abfuerit, mancum erit imperium, nec ad finem civitatis procurandum idoneum. Sin autem iſtæ dividantur (*b*), ita ut quædam radicaliter ſint penes unum, reliquæ penes alium, irregularem rempublicam & male cohærentem emergere, neceſſum eſt.

J. N. & G. *l.* VII. *c.* 2. §. 1, 11—14.

men omnia in una civitate remanent, tamquam in corpore: respublica enim perpetuum majeſtatis ſubjectum manet, quacumque ratione ejus jura diſtribuantur. Conf. Zigl. & Gronovium *ad Grot. l. I. c.* 3. §. 17. ipſumque Grotium, ubi varios ejus rei exponunt modos & exempla. Lampad. de republ. Rom. Germ. *p. I. th.* 60. 61. Besold. *op. polit. l. I. c.* 8. *p.* 278. *ſqq.* Furstenerium *de ſupremate c.* 11. *p.* 48. Treuer.

(*z*) *Omnes & ſingulæ penes unum radicaliter eſſe debeant*]. Tunc radicaliter & independenter penes unum omnes Imperii Civilis partes ſunt, ſi in ſubjecto, vel *phyſico uno*, vel *nexu imperii unito*, exſiſtant, ſi autem pluribus ita concedantur, vel diviſim vel indiviſim, aut illi *ſimplici ſaltem obligatione* ſint conjuncti, tum penes plures independenter & radicaliter reperiuntur. Titius.

(*a*) *Nam ſi una vel altera*]. In ſe igitur partium Majeſtatis ſeparatio vel diviſio non eſt impoſſibilis, ſed ſi fiat, operatur ſaltem vel Imperium mancum, vel Rempublicam male cohærentem, quod Auctor *h.* recte agnoſcit, quamvis *l.* VII. *c.* 4. §. 9. *ſeqq.* diviſionis poſſibilitatem penitus negare videatur, niſi forte ita accipiendus eſt; *unius partis diſtractionem non eſſe poſſibilem*, vel *diviſionem ſæpe jactari, ubi tamen revera omne Imperium ſit penes unum, ejus vero exercitium aliis delegetur*, vel *diviſionem in univerſum eſſe inutilem*, de quo alii curatius diſpiciant. Idem.

(*b*) *Dividantur*]. Evitari ſane vix poteſt, quin rationibus ab Auctore allatis de *J. N. & G. h. t.* §. 10. & *ſeqq.* largiamur, incommodam & male cohærentem fore Civitatis compagem, ubi variæ Summi imperii partes ponuntur ſubjectis adæquate diverſis: in eo tamen nihil eſt incommodi, quod Princeps, aut Senatus, nonnullas quidem Summi imperii partes poſſit ſolus exercere, ut Executivam & Fœderativam; aliam vero, nempe Legiſlativam, non niſi adhibito Ordinum conſenſu. Vide infra *cap.* 9. §§. 5. & 6. Carmich.

Caput VIII.

De Formis Rerumpublicarum.

Summaria.

I. *Formæ Rerumpublicarum.*
II. *Aliæ regulares, aliæ irregulares.*
III. *Regulares tres: Monarchia, Ariſtocratia, Democratia.*
IV. *Monarchia præ ceteris commoda.*
V. *Vitia civitatis,*
VI. *Alia ſunt hominum in Monarchia,*
VII. *Ariſtocratia,*
VIII. *Democratia,*
IX. *Et quavis forma Reipublicæ:*
X. *Alia Status.*
XI. *Unde Tyrannis, Oligarchia, Ochlocratia.*
XII. *Reſpublicæ irregulares variæ.*
XIII. *Syſtema civitatum*
XIV. *Aliud ex communi Rege,*
XV. *Aliud ex perpetuo fœdere.*

I. Formæ Rerumpublicarum variæ.) Summum imperium (*c*), prout vel in uno homine, vel in uno concilio, ex paucis, aut

§. I. Expoſita interna civitatum ſtructura, & partibus ſummi imperii generaliter definitis, nunc Auctor ordine ab Ariſtotele III. *Polit.* ſervato civitatum diſcrimina ratione formæ exponit. Forma autem eſt diſpoſitio reipublicæ externa, ſecundum quam Imperantes & ſubditi connectuntur. Quemadmodum vero Patresfamilias in ædibus exſtruendis non ſemper leges architecturæ obſervant, & commode tamen habitant, ſic idem accidit in ſtructura rerumpublicarum: quarum aliæ (1) ſunt *Simplices*, in quibus unus homo, vel unum Concilium, vel unus Populus, in comitiis congregatus, imperat; aliæ *Compoſitæ*, ubi diverſæ Reſpublicæ ſyſtema efficiunt. (2) ſimplices ſunt vel *Regulares*, de quibus §. *ſeqq.* vel *Ir-*

AUT UNIVERSIS CONSTANTE, reperitur, diverſas Formas Rerumpublicarum producere ſolet.

J. N. & G. *l.* VII. *c.* 5. §. 3.

(*d*) Sunt autem FORMÆ (*e*) CIVITATIS, vel RE- GU- II. Regulares vel irregulares.

Irregulares, de quibus *ad* §. 12. OTTO.

(*c*) *Summum Imperium*]. Poſtea expenditur Majeſtas, quatenus civitatem format, nimirum, pro diverſitate *Subjecti proprii*, cui illa inhæret, diverſam, in Republica ſimplici, producit *formam eſſentialem* §. 1. *b.* antequam igitur ſubjectum illud proprium adſit, civitas perfecta non adeſt, quod contra Kulpiſium pluribus oſtendi in *Specim. jur. publ. l.* VI. *c.* 7. §. 20. *ſeqq* Quod ſi Majeſtas bene vel male in actum deducatur, exinde oritur diverſa *forma accidentalis.* Idem contingit, ſi Imperii Civilis exercitium vel arbitrio & conſcientiæ Imperantis relinquatur, vel legibus fundamentalibus circumſcribatur, vid. *l.* VII. *c.* 5. §. 1. TITIUS.

(*d*) §. II. & III. De forma reipublicæ cujusdam judicari nequit, niſi aliquis adminiſtrationem jurium majeſtaticorum in eadem republica probe habeat cognitam, & nexum intimum, quo partes reipublicæ inter ſe ſunt unitæ, perfecte noverit. Decipimur facile in iis diſcernendis, quando ad ea tantum attendimus, in quibus regna tanquam in tertio ſimilitudinis conveniunt, & inde formæ *identitatem* colligimus: vel quando temporum & rerum viciſſitudines non attendimus; ſed ſemper eamdem eſſe arbitramur: vel quando verborum politicorum pompa inducimur, ut rem adeſſe putemus, cujus titulo respublica inſignitur. Nec de irregularitate reipublicæ ſpecialis ſtatim conſtat; quum de regula, ſecundum quam judicandum, clara & diſtincta idea plerumque non formetur, nec ſtatim irregulare dicendum, quod huic vel illi reipublicæ bene ordinatæ non convenit. Regula itaque, ſecundum quam civitatum regularitas judicanda eſt, conſiſtit in perfecta unione & connexione omnium partium ſummi imperii cum ſalute civitatis. Regularitas enim vel pulcritudo ſocietatis potiſſimum quærenda eſt in convenientia ſuorum membrorum totiusque ſtatus cum fine felicitatis. *La ſocieté*, inquit *la* CROSA *tr. du beau p.* 51. *fleurit & les particuliers, qui la compoſent ſont heureux a proportion, qu'il y a entre eux plus de liaiſon: c'eſt même la un de leurs premiers devoirs. Ils ſont dans l'obligation de rendre des offices mutuels & le cœur doit être le principe de ces utilités reciproques, qu'ils tirent les uns des autres La beauté de leur conduite roule ſur ſa convenance avec ce but, auquel elle doit ſe rapporter.* Eo perfectior itaque respublica, quo magis vis ſummi imperii & præſtatio obſequii tendunt & uniuntur ad finem ſalutis publicæ ſive totius ſocietatis. Male quæritur regularitas in ſola unione perfecta jurium ſummi imperii ad promtiorem exſequutionem voluntatis ſummi imperantis: abſoluta ejusmodi majeſtas fini reipublicæ ſæpiſſime male conſulit. Si ab angelis puriſſimis regeremur; ea forte ſummam reipublicæ pulchritudinem conſtitueret: ſed ut homines præſunt gentibus, qui abſoluta poteſtate abuti poſſunt, ea rectum regularitatis fundamentum non conſtituunt. Magis id quærendum eſſe puto in rebuspublicis temperatis, ubi pactis prudentiſſimis

gulares, vel Irregulares. Illæ ſunt, ubi imperium (*f*) ſummum in uno ſubjecto (*g*) ita eſt unitum, ut illud indiviſum & inconvulſum ab una voluntate per omnes civitatis partes atque negotia ſeſe diſpenſet. Ubi hoc non deprehenditur, irregularis forma civitatis erit.

J. N. & G. *l.* vii. *c.* 5. §. 2, 3.

III. Formæ regulares: Civitatis regularis tres ſunt formæ (*h*). Prima,

mis ſaluti publicæ proſpicitur, & ſummi imperantis iis adſtricti ſunt: quo congruentiora in iis continentur adminicula ſalutis, quo magis temperant imperandi ambitionem populique licentiam ad ſtabiliendam ſalutem totius civitatis, eo pulcrior erit reſpublica, eo regularior dicenda. Conf. quæ fuſius dixi in notis ad *B. de* Schroedern *abſoluten Fürſten-Recht. p.* 130. *ſqq.* Ubi tamen bene diſtinguenda ſunt inter ſe irregularis reip. natura, & conſtitutio, & perverſa ejusdem adminiſtratio. Interdum in civitate ad regulam ſtatus bene ordinati in ſe quidem optime compoſita morbi ſubnaſcuntur ex corruptiſſima ejus adminiſtratione, ubi vel imperantium, vel miniſtrorum ſtatus, incuria, ferocia, voluptas regna diſperdit & graviſſima mala toti civitati contrahit. Treuer.

(*e*) *Sunt autem formæ*]. Hæc doctrina hactenus eſt reſtringenda ad Reſpublicas *ſimplices*, de his enim hucusque actum eſt, de cætero tamen diſcrimen Reipublicæ regularis & irregularis etiam ad *compoſitas* pertinet, ut mox videbimus. Titius.

(*f*) *Illæ ſunt, ubi imperium*]. Hæc Reipublicæ regularis definitio, add. *d. l.* VII. *c.* 5. § 2. nimis generalis eſt, nam quando Imperium *ita unitum* cenſeri debeat, ut *indiviſum & inconvulſum ab una voluntate exerceatur*, id oſtendendum erat. Mihi ſic videtur: Civitas *perfecta*, *una* & *regularis* (ut hæc conjungam) eſt, *ubi a ſubjecto, vel phyſice uno, vel nexu Imperii unito, tota Majeſtas, per veram poteſtatum ſubordinationem, in eundem cœtum, aut nomine ejus, erga exteros exercetur*, vid. *Specim. jur. publ. l.* VI. *c.* 7. §. 26. 31. Idem.

(*g*) *In uno ſubjecto*]. Hoc eſt, vel in uno Homine, vel in uno Concilio, nexu Imperii unito. Vide *præc.* §. Carmich.

§. III. Regulares civitates a ſumma poteſtate vulgo dividuntur in Monarchiam, Ariſtocratiam & Democratiam. Æſchines contra Timarchum: *Conſtat inter omnes, tres eſſe formas rerumpublicarum, principatum unius, poteſtatem paucorum, & populare imperium. Ac duo priora genera eorum arbitratu geruntur, qui rerum potiuntur, liberæ autem civitates uſitatis legibus.* Breviter Cicero III. *de rep.* apud Auguſtinum: *Rempublicam eſſe rem populi, cum bene aut juſte geritur, ſive ab uno Rege, ſive a paucis Optimatibus, ſive ab univerſo populo.* (2) Bodinus vero, *Meth. hiſt. c.* 6. ridet eos, qui de vera Ariſtocratia diſputant; ut quæ nusquam reperiatur, cum ex paucis, abſolute bonis & virtute præditis, conſtet. Quinimo Ariſtoteles pauca admodum de Ariſtocratia tradidit; quod rara eſſet, & in Oligarchiam, ſive paucorum dominationem facile abiret, quæ germanæ Ariſtocratiæ aberratio eſt. vid. ejus IV. *Polit. c.* 7.

(3)

ma, quando ſummum imperium eſt penes unum hominem; & dicitur MONARCHIA. Altera, quando ſummum imperium eſt penes concilium, ex ſelectis duntaxat civibus conſtans; & vocatur ARISTOCRATIA (*i*). Tertia, quando ſummum imperium eſt penes concilium, ex univerſis patribusfamilias conſtans; & appellatur DEMOCRATIA (*k*). In prima is, qui rerum potitur, dicitur MONARCHA, in ſecunda OPTIMATES, in tertia POPULUS. Monarchia, Ariſtocratia, Democratia.

J. N. & G. *l.* VII. *c.* 5. §. 4—9.

IV. Monarchiæ præ aliis commoditas.

In omnibus hiſce formis poteſtas quidem eſt eadem

(3) Neque Democratia accurate tertia Reipublicæ ſpecies conſtitui videtur, quia vitium indicat; ideoque Iſocrates & Ariſtoteles hanc formam *Politiam*, ſive *Rempublicam*, per excellentiam, vocarunt. At nobis cum Auctore aliisque recepta vocabula retinere licebit. OTTO.

(*b*) *Civitatis regularis tres ſunt formæ*]. Monarchia, ſi revera talis ſit, ſemper eſt regularis; ſubjectum enim Majeſtatis phyſice unum eſt, adeoque arctius uniri nequit, ſed Ariſtocratia & Democratia, pro diverſo unionis modo, regularis & irregularis eſt, add. *Op. maj. l.* VII. *c.* 5. §. 3. TITIUS.

(*i*) *Ariſtocratia*]. Hujus formæ nobiliſſimum apud Veteres exemplum præbuit *Lacedæmoniorum*, apud hodiernos *Venetorum*, Reſpublica: de ſimplicibus Rebuspublicis hic eſt Sermo. CARMICH.

(*k*) *Democratia*]. Hæc forma præcipue fuit conſpicua in vetere *Athenienſium* Republica: de Romana vide *Obſ.* in §. 12. Eius vero Exempla, quæ hodie exſtant, ſunt fere in anguſtioribus quibusdam Civitatibus, præſertim apud *Germanos*: in quibus etiam rarius convocatur Populus, pleraque Senatui ac Magiſtratibus, licet dependenter exercenda, committuntur. Singularum apud *Batavos* Provinciarum non eſſe Democraticum Imperium, teſtantur ipſorum Jurisconſulti. IDEM.

§. IV. Auctor VII. *c.* 5. §. 4. cum Hobbeſio *c.* 7. *de Cive* §. 8. Democratiam antiquiſſimam facit, repugnante hiſtoria, tam ſacra, quam profana, & natura ſegregum familiarum, in quibus uni Patrifamilias, tanquam Regi, aſſueti erant primi mortales. Sic Abrahamus jus ſacrorum, belli & fœderum ſuo modo exercuit, *Gen.* XIV. *vſ.* 13. XVII. 23. eamque ob cauſam a Nicolao Damaſceno & Juſtino *Rex* vocatur: *Abraham & Israhel Reges fuere* XXXVI. *Hiſt. c.* 2. (2) Barbaricas autem gentes, & omnes Græciæ civitates veris Regibus paruiſſe, Iſocrates & Dionyſius prodidere. In univerſum Salluſtius, *Catilin. c.* 2. *Regium in terris nomen imperii primum fuit.* Et Cicero II. *de LL c.* 2. *Omnes antiquæ gentes Regibus quondam paruerunt.* (3) Bene Auctor Monarchiæ prærogativam tribuit: nam licet illa longius recedat a naturali libertate, eſt tamen firmiſſima, magis durat, facilius gubernatur, conſilium habet in promtu

&

dem (*l*). Sed in eo inſignem (*m*) habet COMMODITATEM Monarchia præ reliquis formis (*n*), quod in ea ut deliberetur & decernatur, id eſt, ut imperium actu exerceatur, non opus ſit temporibus & locis condictis, ſed quovis loco & tempore deliberari & decerni poſſit; ſic ut Monarcha ſemper in proxima ſit potentia ad actus imperii exercendos. Sed ut Optimates & Populus, qui non ſunt una perſona naturalis, decernant, neceſſum eſt, ut certo loco & tempore conveniant, ibique ſuper

& celerrimam executionem; ſi modo populus bonum Principem nanciſcatur, ſine quo regnum eſt inſtabile, & in latrocinium convertitur. Seneca I. *de Clem.* 19. *Natura*, ait, *commenta eſt Regem: quod & ex aliis animalibus licet cognoſcere, & ex apibus, quarum Regi ampliſſimum cubile eſt, medioque ac tutiſſimo loco.* Plura de regni præſtantia Lipſius cumulavit II. *Polit. c.* 2 & *Monit. polit.* II. *c.* 1. (4) Sicut nihil in hac vita eſt perfectum, ita omnes formæ ſua incommoda habent & commoda, de quibus facundus orator in utramque partem ſplendide diſſerere poteſt; nec magna tamen ejus disceptationis eſt utilitas: nam optima forma eſt, quæ cum genio populi cujusque quam maxime convenit. (5) Eſt quoddam genus natura factum ad Herum recipiendum, aliud ad Regem, aliud Reipublicæ aptum & æqualitatis amans, uti conſtat exemplis, ab Ariſtotele allatis VII. *Pol.* 7. (6) Veteres autem paſſim libertatem pro libera Republica poſuerunt. Seneca *de Tranq. anim. c.* 3. *Ejus libertatem libertas non tulit*, & Lucanus III. *vſ.* 145.

— libertas populi, quem regna coërcent,
Libertate perit. OTTO.

(*l*) *In omnibus hiſce formis poteſtas quidem eſt eadem*]. Ex tribus illis ſpeciebus, Democratia habetur pro antiquiſſima, *d. c.* 5. §. 4. ſed ex hypotheſi dubia, quod libera voluntate civitates ſint conſtitutæ, hinc, ſi ſequaris id, quod not. ad c. 5. §. 9. h. l. lit. (*f*) *n.* 6. adſtruxi, pro Monarchia potius pronunciandum erit, eſt tamen hujus disquiſitionis nulla vel exigua utilitas. De cætero non minus in Ariſtocratia ac Democratia, quam Monarchia verum Imperium Civile occurrere recte dici videtur, ac amplius aſſeritur, *d. c.* 5. §. 5. TITIUS.

(*m*) *Sed in eo inſignem*]. De habitu ſingularum ſpecierum, ex generalibus principiis, c. 6. §. 8. h. l. lit. (*a*) *n.* 2. *ſeqq.* inculcatis, judicandum eſt, add. *d. l.* VII. *c.* 5. §. 6. 7. 8. 9. Quæ autem de prærogativa Monarchiæ, quoad celeritatem operandi, heic dicit Auctor, illa pertinent ad Monarchiam *abſolutam*, non *limitatam*; præterea non evincunt, quod ideo Monarchia cæteris civitatum formis præferri debeat. IDEM.

(*n*) *Præ reliquis formis*]. De formarum reipublicæ prærogativa multa quidem, ſed inutilis eſt controverſia: de iis enim æque ac de guſtibus non eſt diſputandum: dum pari ſoliditate & opinionum veroſimilitudine ab omni parte diſceptari ſolet. Omnes habent ſua commoda: laborant quoque omnes incommodis ſuis. Formæ præſtantia præ reliquis patet ex majori con-

Digitized by Google

per negotiis publicis deliberent & decernant: cum alio modo voluntas Senatus ac Populi, quæ ex conſpirantibus majoris partis ſententiis reſultat, cognoſci nequeat.

dict. §. 9.

(*o*) Cæterum uti circa alia jura (*p*), ita & circa ſummum imperium contingit, ut id alicubi bene, V. Vitia civitatis, alia hominum, alia ſtatus.

convenientia cum communi ſalute, quæ diſpici nequit, niſi ex multorum contentis, quibus innititur. Nec eſt, ut auctor commoditatem monarchiæ in ſui prærogativam hic urgeat: verum eſt, monarchiam non tantum expeditione promta, ſed etiam belli negotiis efficaciter & opportune gerendis ceteras formas ſuperare: attamen hæ vice verſa non tantum libertatis ſenſu jucundiſſimo, ſed quoque pacis artibus fini civitatum magis proximantibus monarchiæ prævalent. Nulla enim forma alienior eſt a naturali hominis libertate ac ipſa monarchia: quin & celeritas operandi monarchiæ tantum abſolutæ competit, quam nonnulli ad reſpublicas irregulares referunt. Vide ſis Lemnii *diſſ. de certamine præſtantiæ inter formas reip. Witteb.* 1705. Treuer.

§. V. Hæc diviſio ad formam accidentalem pertinet; quemadmodum enim homo æger a ſano non differt ſpecie, ſic morboſæ Reſpublicæ non minus Reſpublicæ manent; etſi morbi illi, ob ſpeciem ſanitatis, vel priſtini ſtatus umbram, aut mala inveterata, non ſemper tam facile cognoſcantur. (2) Difficilius de illorum remediis eſt judicium: ſæpe enim illa ex ambitione, vel avaritia perverſe applicantur; aliquando etiam medicina vehementior eſt morbo; ut in hiſtoria Gracchorum, & lapidei Hippolithi a Lapide conſilio, quo *carnificem*, *non medicum agit*, judice Monzambano *c.* 8. §. 3. (3) Dantur & morbi utiles, & quædam ſanitas eſt inutilis; quodque uni Reipublicæ prodeſt, ſæpe nocet alteri. (4) Nec tamen officio boni civis repugnat, Reipublicæ morbos inveſtigare; quin ſæpe conducit, juſto loco & tempore, ſcapham ſcapham appellaſſe; quum morbi illi non ſemper imperantibus imputari poſſint. (5) Ceterum ſub Hippolithi a Lapide nomine latere Boguslaum Philippum Chemnitium, Martini Theologi, nepotem, Sueciæ Hiſtoriographum, & olim centurionem, Conringius in *anis pag.* 39. & Cel. Heumannus *Conſp. reip. lit. c.* 6. §. 37. monuerunt. Otto.

(*o*) §. V. & ſequentes ad X. Vitia imperantium & morbidarum civitatum difficulter adgnoſci ſolent: (1) quia id, quod vitium eſt in altera, in altera propter civitatis populique diverſam naturam ad perfectiones pertinet: (2) quia de ſpeciali forma civitatis non ſtatim conſtat, adeoque judicari nequit, quid ei conveniat, qui ejus naturæ adverſetur: (3) quia communiter id, quod utile primo intuitu non videtur, vitium eſſe ſtatuitur, adeoque perfectiones & vitia ex utilitate & paſſione plerumque dijudicantur; quum tamen dentur vitia utilia & perfectiones inutiles, ſi ex cortice res æſtimare velis: (4) quia ab externa rerum politicarum diſpoſitione & actionum habitu interna earum ſtructura & ratio toto cœlo differt. De iſtis vitiis legi meretur Box-

ne, alicubi prave & imprudenter adminiſtretur. Unde fit, ut aliæ civitates SANÆ, aliæ MORBIDÆ & CORRUPTÆ dicantur: etſi propter iſtiusmodi morbos peculiares formas aut ſpecies rerumpublicarum comminiſci, neceſſum non ſit. Eorum autem morborum, quibus civitates infeſtantur, alii IN HOMINIBUS, alii IN IPSO STATU hærent. Inde alia VITIA HOMINUM, alia VITIA STATUS audiunt.

J. N. & G. *l.* VII. *c.* 5. §. 10.

VI. Vitia hominum in Monarchia.

VITIA HOMINUM IN MONARCHIA ſunt, ſi qui ſolium obtinet, regnandi artibus deſtituitur, nullaque aut non ſufficiente reipublicæ cura tangitur, eamque pravorum miniſtrorum ambitioni aut avaritiæ lacerandam proſtituit; ſi ſævitia & iracundia idem eſt terribilis; ſi etiam citra neceſſitatem rempublicam in caſum dare gaudet; ſi quæ ad tolerandos ſumtus reipublicæ conferuntur, luxu, aut per inconſultas largitiones diſſipat; ſi pecunias, civibus extortas, præter rationem accumulat; ſi contumelioſus, ſi injuſtus eſt; & ſi quæ

BOXHORNIUS *inſtit. polit. l. II. c.* 4. 7. 10. TREUER.

(*p*) *Cæterum uti circa alia jura*]. Omnes illas ſpecies, modo eſſe ſanas, modo morbidas, heic ſatis deducitur, add. *d. c.* 5. §. 10. 11. Nos duo ſaltem adjicimus, (1) Morbos illos magis ab Imperantibus quam ſubditis dependere; nam illi, ob ſummam libertatem, limites officii ſæpe & enormiter tranſiliunt, (2) Vitia ſtatus, quæ in ipſa civitatis ſtructura occurrunt, de quibus §. 10 *in fin.* cum irregularitate coincidere. TITIUS.

§. VI. Omnia vitia commode referri poſſunt ad Principum voluptates, faſtum, avaritiam, crudelitatem, ætatem immaturam, imperitiam, vel nimium ſtudiorum amorem, quæ omnia eleganter Hertius illuſtravit *Prud. civ. p. II. ſect.* 4. (2) Vellejus Paterculus II. *c.* 82. monuit, vitia illa pleraque tribus cauſis ali: *facultatibus, licentia & adſentationibus.* Prudenter Seneca I. *de Clem. c.* 3. *Illius demum Principis magnitudo ſtabilis fundataque eſt, quem omnes tam pro ſe eſſe, quam ſupra ſe ſciunt; cujus curam excubare pro ſalute ſingulorum atque univerſorum cottidie experiuntur. Quo procedente, non, tanquam malum aliquod, aut noxium animal e cubili proſilierit, diffugiunt: ſed tanquam ad clarum & beneficum ſidus certatim advolant; objicere ſe pro illo mucronibus inſidiantium paratiſſimi, & ſubſternere corpora ſua ad ſalutem.* OTTO.

§. VII.

quæ ſunt alia, per quæ mali nomen Principis comparatur.

dict. §. 10.

VII. Vitia hominum in Ariſtocratia.

Vitia hominum in Aristocratia ſunt, ſi per ambitum pravasque artes via in Senatum patet viris improbis aut ineptis, excluſis melioribus; ſi optimates factionibus diſtrahuntur; ſi plebe, tanquam mancipiis, abuti, & bona civitatis, augendo privato patrimonio, intervetere ſtudent.

J. N. & G. *l.* vii. *c.* 5. §. 10.

VIII. Vitia hominum in Democratia.

Vitia hominum in Democratia ſunt, ſi inepti & turbulenti homines turbulenter & importune ſententias ſuas tueri ſolent: ſi egregiæ & reipublicæ non prægraves virtutes opprimuntur; ſi per levitatem leges temere figuntur atque refiguntur, &

§. VII. *Ariſtocratia* per optimos regitur; iique communiter per intervalla moriuntur, neque omnes facile mali fieri poſſunt; regimen ejus quoque uno tenore procedit, nec tam crebri in ea tumultus metuuntur. (2) Premunt eam autem factiones & tardæ conſultationes; flagitia procerum manent inulta; plebs afficitur injuria, per ſuperbiam, commune nobilitatis malum; & unus denique crebro exſurgit, qui aſſentando omnia poteſt. (3) In malis hiſce eorumque remediis explicandis, diligentiſſimus fuit Ariſtoteles V. *Polit.* 7. 8. Machiavellus ad Livium III 36. 65. & IV. 56. (4) Itaque *ubi patres pollent, Senatus & Optimatium ingenia qui maxime perdidicerunt, callidi temporum & Sapientes creduntur*, auctore Tacito IV. *Annal.* 33. add. Bodin. II. *de Rep.* 6. Boecler. *Diſſ. de Ingeniis Optimatum.* & Hert. *Prud. civ. p. II. ſect.* 6. Otto.

§. VIII. In Statu *Democratico* quilibet paterfamilias habet jus comitiorum, quod omnes reddit æquales, & ſimulacrum libertatis repræſentat, *Populi imperium juxta libertatem*, Tacitus vocat VI. *Ann.* 42. (2) Sed obeſt ejus felicitati ſtultitia plebis, otioſæ præſertim, & male educatæ, quæ perverſe libertatem definit; eamque in licentiam commutat, ut ex Atticis Oratoribus, Salluſtio *Catil.* 27. Livio XXXIV. 25. & Nepote *in Chabria c.* 3. liquet. Nec deſunt turbulenti tribuni & flabella plebis; accuſationes item crebræ, & æmulationes cum divitibus; unde Politiæ facile in Ariſtocratiam vel Oligarchiam convertuntur, ubi Venetorum, Lucceſium & veterum respublicæ (3) *Plebe valida, noſcenda vulgi natura, & quibus modis tem-*

& quæ modo placuerunt, mox citra rationem diſplicent: ſi ſordidi & inepti homines rebus gerendis præficiuntur.

dict. §. 10.

IX. Vitia hominum in quavis forma. VITIA HOMINUM, quæ IN QUAMVIS CIVITATIS SPECIEM cadunt, ſunt; ſi, quibus imperii adminiſtratio incumbit, officio ſuo negligenter aut prave funguntur, & ſi cives, quibus ſola obſequii gloria relicta eſt, frænum mordent.

J. N. & G. *l.* VII. *c.* 5. §. 10.

X. Vitia ſtatus nonnulla notata. Aſt VITIA STATUS ſunt, ubi leges, aut inſtituta civitatis non ſunt attemperata ad genium populi, aut regionis; aut ubi eadem cives diſponunt ad turbas internas, aut ad juſta vicinorum odia incurrenda; aut ſi eosdem ineptos reddunt ad obeundas functiones, quæ reipublicæ ſervandæ ſunt neceſſariæ; puta, ſi per leges civitatis non poſſint non in imbellem ſegnitiem reſolvi, aut inidonei ad pacem ferendam reddi; aut ſi leges fundamentales ita ſint diſpoſitæ, ut per eas negotia publica non poſſint non tarde aut difficulter expediri (*q*).

dict. §. 10.

XI. Tyrannis, Oligar- Morbidis ejusmodi rebuspublicis multi peculiaria

temperanter habeatur, ait Tacit. *dict. cap.* 33. OTTO.

§. IX. Ad vitia hominum quoque pertinet, ſi nulla religionis aut juſtitiæ habetur cura; aut mala educatio civium fovetur, & cultus animorum, ad herile imperium obtinendum, impeditur; vel ſi nimia peregrinorum multitudo ad honores evehitur; ſi monumenta non ſtruuntur, aut uni præter imperantem nimis tribuitur; vel ſi proceres temere injuria & contumelia afficiuntur. OTTO.

§. X. (*q*) *Expediri*]. De vitiis illis pluribus vide HERTIUM *elem. prud. civ. P. II. ſect.* 1. *ſq. ſect.* 23. *ſqq.* TREUER.

§. XI. Tres reipublicæ formas regulares, in totidem vitioſas, ut de-

ria quoque vocabula adplicant; ita ut VITIOSA MONARCHIA vocetur TYRANNIS; VITIOSUS STATUS PAUCORUM OLIGARCHIA; VITIOSUS STATUS POPULARIS OCHLOCRATIA. Etſi frequenter contingat, ut multi per iſthæc vocabula NON TAM MORBUM REIPUBLICÆ, QUAM SUUM AFFECTUM, AUT DISPLICENTIAM in præſentem ſtatum, imperantesve exprimant (*r*). Sæpe enim, cui vel Rex, vel Status Monarchicus diſplicet, Tyrannum aut Dominum ſolet vocare etiam legitimum & bonum Principem, præſertim ubi is leges ſevere exſequitur. Sic & cui dolet, Senatu ſe excludi, cum tamen aliis Senatoribus inferiorem ſeſe haud quidquam arbitretur, per contemtum & invidiam ὀλίγυς illos vocat, quaſi dicas paucos quosdam, qui cum nulla re cæteros emineant, in pares tamen aut meliores, non ſine faſtu, imperium exerceant. Denique ſuperbo homines ingenio, & quibus æqualitas popularis inviſa eſt, ubi in Democratia pari omnes jure de Republica ſuffragia ferre vident, cum tamen in quavis civitate plebis maximus ſit nu-

Ochlocratia, Ochlocratia quæ?

dominatum unius, paucorum & turbæ vulgaris, facile degenerare, Polybius VI. *Hiſt.* 1. jam obſervavit. Hobbeſius vero negat, per vitia illa naturam poteſtatis in ſe variari; ſed verum eſt, tyrannidem non eſſe monarchiam, quia jus mutat in injuriam, &, meliore parte civitatis offenſa, dominationem non delatam exercet. (2) Tyranni vox ab oratoribus Græcis adeo inviſa eſt facta, olim vero Regem notavit, a *τυραννίω*, *regno*, Serv. *ad* VII. *Æneid. vſ.* 266. (3) In liberis civitatibus omnes & habebantur, & dicebantur tyranni, qui perpetua poteſtate eſſent, licet civium voluntate delata, Nepos *Miltiad. c.* 8. Poſtea incubatorem imperii notavit: & denique Regem, poteſtate abutentem, in perniciem civitatis, Senec. I. *de Clem.* 12. (4) Difficillimum eſt, hujusmodi tyrannum aliquem probare, nec peſſimi caruerunt patronis; uti Iſocrates Buſiridem, Lucianus Phalaridem, Buddeus Tarquinium Superbum, Cardanus Neronem, & Thomaſius Wenceſlaum defendendos ſuſceperunt. OTTO.

(*r*) *Exprimant*]. Difficillimum eſt preſſe deſignare tyrannum ob varias rationes, quas adduxi in *apologia pro Johanne Baſilide II. Viennæ* 1711. *ed. in* 4. Hinc Buſiris ab ISOCRATE, Phalaris a LUCIANO, Nimrod a BOULDUCCO, Tarquinius ſuperbus a BUDDEO, Tiberius a BOCCALINI, Nero a CARDANO & SCHUPPIO, Henricus IV. Imp. a WALTRAMO, Wenceſlaus a THOMASIO peculiaribus encomiis & diſſertationibus a tyranni nomine liberati ſunt. TREUER.

 §. XII.

Digitized by Google

numerus, Ochlocratiam id vocant, quaſi dicas ſtatum, ubi vilis turba rerum potitur, nec egregiis viris, quales ipſi ſe ducunt, aliqua prærogativa relinquitur.

J. N. & G. *l.* vii. *c.* 5. §. 11.

XII. Reſpublica irregularis. Ejus variæ ſpecies.

Respublica Irregularis eſt, in qua (*s*) non ita perfecte unio illa, in qua eſſentia civitatis conſi-

§. XII. Reſpublicæ dicuntur irregulares, vel a fine civitatis, vel a fine ſummæ poteſtati,, vel a forma mixta. Hobbeſius, Bodinus & Huberus, poſteriore ſenſu, irregulares non agnoſcunt, & Kulpiſ. ad *Monz c.* 6. §. 9. miratur, homines privatos id ſibi auctoritatis ſumere, ut reſpublicas regulares faciant, vel irregulares. Verum diviſio illa, non ex cerebrina Philoſophia, ſed ex arcta aut laxa unione reipublicæ petita, omnino retineri debet; quia in irregularibus partes imperii non ſemper ſunt apud unum hominem, vel unum Optimatum concilium, aut comitia populi, ſed quædam Rex, alia Optimates, & quædam Populus ſibi vindicat. Exempla ſunt in Imperio Romano Germanico, Britannia, Suecia, Polonia, & in Hierarchia Papali. v. Grot. I. *c.* 3. §. 17. (2) Nec labem ſemper aut vitium adſpergit Reipublicæ, quod irregularis eſt: nam uti Polybius, Plato & Ariſtoteles II. *Polit.* 4. tripliciter temperatas, paci ac bello maxime idoneas eſſe judicarunt: ita ubi vera mixtura duarum adeſt, ſæpe minor fit populo injuria; divulſa autem Majeſtatis jura, vitio hominum, infirmiorem reddunt Rempublicam, ſive id ignoretur, ſive diſſimuletur. Tacitus IV. *Annal.* 32. *Cunctas nationes & urbes populus, aut primores, aut ſinguli regunt: delecta ex his & conſtituta Reipublicæ forma laudari facilius, quam evenire, vel ſi evenit, haud diuturna eſſe poteſt.* (3) Ad temperatas & ex tribus formis modice confuſas pertinet, quod Cicero II. *de Rep.* apud Nonium, ſcribit: *Statuo, eſſe optime conſtitutam Rempublicam, quæ ex tribus generibus illis, Regio, Optimatum & Populari confuſa modice, nec puniendo irritet animum, immanem ac ferum, nec omnia prætermittendo, licentia civeis deteriores reddat.* Exemplum eſt in Britannia Monarchica, ſed Optimatium & Populi conſenſu, in quibusdam temperata, de qua Cominæus ſcribit V. 18. inter omnes Principatus, ſibi notos, excellere Angliæ, ubi Reſpublica optimo loco habeatur, minusque fiat populo injuriæ. (4) Mixtæ autem, in fine §. deſcriptæ, exemplum Auctor, ſub ficto Monzambani nomine, propoſuit *c.* 6 §. 9. *Germaniam eſſe irregulare aliqued corpus, & tantum non monſtro ſimile, ſiquidem ad regulas ſcientiæ civilis aliasque Reſpublicas exigatur, & cujus ſimile in toto terrarum orbe non extat.* Quam ſententiam deinde, in *Diſſert. de Republica irregulari*, adverſus Schoockium, Oldenburgerum, Bruggemannum aliosque tuitus eſt. Habet ſane Germania formam imperii irregularem & innominatam, quæ fluctuat inter monarchiam & ſyſtema fœderatorum, ſatis autem bonam, & ad genium populi accomodatam, ſi ſecundum leges adminiſtretur. v. Hert. *Prud. civ. p. I ſ.* 12. §. 9. Otto.

(*s*) *Reſpublica irregularis eſt, in qua*]

ſiſtit, deprehenditur: idque non per modum morbi (*t*), aut vitii, in adminiſtratione reipublicæ hærentis; ſed ut publica lege aut conſuetudine ea, velut legitima, ſit recepta. Cum autem aberrationum (*v*) a rectitudine infiniti eſſe modi queant, non poſſunt etiam irregularium rerumpublicarum certæ & definitæ ſpecies conſtitui (*x*). Indoles tamen ejus ex uno aut altero exemplo plane poteſt intelligi. v. g. Si in aliqua Republica Senatus & Populus ſummo utrinque jure negotia publica tractent, ita ut neuter alteri obnoxius ſit (*y*). Aut ſi in regno aliquo (*z*) procerum potentia ita inva-

qua]. Cum Auctor non ſatis oſtenderit naturam Reipublicæ regularis, de quo, ſupra §. 2. lit. (*f*). actum, ideo per ejus remotionem irregularitas quoque non ſatis explicatur, nec ſolidius quid proponitur, *d. c.* 5. §. 14, 15. Paucis ſic dicendum: Reſpublica ſimplex tum eſt *irregularis, ſi Majeſtas pluribus, ſimplici ſaltem obligatione connexis, diviſim vel indiviſim competat*, vid. *Specim. Jur. Publ. l.* VI. *c.* 7. §. 31. 32. 33. Titius.

(*t*) *Idque non per modum morbi*]. Reſpublica irregularis & morbida ſunt ſynomyma: quæcumque enim civitas a vera unione civitatis cum ſalute publica, id eſt, regula abit; vitio ſtatus laborat, adeoque morbida adpellanda: ſive ille defectus adgnoſcatur, ſive ignoretur, ſive atro notetur lapillo in republica, ſive velut legitimum quid receptus ſit. Conf. Thomasium *ad Monzambano cap.* VI. *p.* 340. & *inſt. jur. div. lib. III. c.* 6. §. 40. & Hertii *elem. prud. civ. p I. ſect.* 11. Treuer.

(*v*) *Cum autem aberrationum*]. Non penitus vaga irregularium Rerumpublicarum natura eſt, nam in univerſum irregularitas vel occurrit in civitatibus *ſimplicibus*, vel *compoſitis*, de qua mox dicemus, in illis vero ſemper conſiſtit in *defectu nexus Imperii*, diverſa tamen hujus defectus poſſunt eſſe exempla. Titius.

(*x*) *Conſtitui*]. Species diverſas irregularium rerumpublicarum, quas auctor conſtitui poſſe negat, diſtincte Hertius *elem. prud. civ. p. I. ſect.* 11. & 12. deſignavit, & quidem ſecundum declinationes (1) a fine civitatum, quando vel latam dominationem, vel divitias, vel luxum pro ſcopo primario habent: (2) a ſummæ poteſtatis fine: unde ſunt heriles, quæ in imperio unius, dominatus; in paucorum, oligarchiæ nuncupantur: (3) a ſummæ poteſtatis ſubjecto: unde *διαρχίαι* & reſpublicæ, quæ communiter reguntur a principibus externo potentatu ſubnixis: (4) a ſummæ poteſtatis forma: unde mixtæ: (5) a modo habendi ſummam poteſtatem: unde ſunt patrimoniales & aliæ, quæ poſt mutationem civitatis emergunt. Treuer.

(*y*) *Obnoxius ſit*]. Hujus irregularitatis in exemplum adduxit Auctor Rempublicam *Romanam*, in diſſertatione ſelecta, quæ inſcribitur, *De Forma Reipublicæ Romanæ*. Carmich.

(*z*) *Aut ſi in Regno aliquo*]. Hoc exemplum, quod, ſpecialiori Reipublicæ Germanicæ exemplo, amplius illuſtrare voluit Monzambano, huc non quadrat, ſed perti-

net

Digitized by Google

valuerit, ut Regi deinceps non alio modo, quam inæquales fœderati, ſubſint (*a*).

J. N. & G. *l.* vii. *c.* 5. §. 13–15.

XIII. Syſtema civitatum duplex: (*b*) Systemata civitatum (*c*) vocamus (*d*), ubi plures perfectæ civitates aliquo peculiari vinculo ita connectuntur, ut ipſarum vires fere pro unius civitatis viribus haberi queant. Exſurgunt autem ſyſtemata duplici potiſſimum modo; uno per communem Regem, altero per Fœdus.

J. N. & G. *l.* vii. *c.* 5. §. 16.

Me-

net ad Rempublicam compoſitam irregularem. Titius.

(*a*) *Subſint*]. Hujus generis irregularitatem in Imperio *Germanico* ſe prodere, jam dudum Auctor docuit in Tractatu *de Statu Imperii Germanici* in lucem miſſo ſub ſimulato nomine *Severini de Monzambano*; ibique traditam doctrinam defendit in diſſertatione ſelecta, quæ inſcribitur *de Republica irregulari*. *Titius* vero contendit, Imperium illud non eſſe ſimplicem Rempublicam, ſed *Syſtema* potius *irregulare*. Carmich.

§. XIII. Hactenus ſimplices civitates vidimus, nunc duplicis generis compoſitæ ſequuntur. Varie enim populi vi, conſenſu vel mixtim, & modo homogeneo, vel heterogeneo ita coaleſcunt, ut vel una Respublica fiant, vel maneant diverſæ, ſed arctiſſimo fœdere colligentur, quod genus Strabo σύστημα appellavit IV. *pag.* 420. (1) Deſcriptio ejusmodi Syſtematis, & hic, & in *Op. maj.* VII. *c.* 5. §. 16. allata, obſcurior eſt: ideoque Titius in *Specim. jur. publ.* VI. *c.* 7. §. 34. & in notis ad *h.* §. meliorem adfert. (3) In cauſas, commoda & incommoda horum Syſtematum Bœclerus in *Diſſert, de Concilio Amphictyon.* & Pufendorfius noſter late inquirit in *Diſſert. de Syſtematibus civitatum* §. 10. & *ſeqq.* Otto.

(*b*) §. XIII. XIV. XV. De civitatibus ſyſtematicis & Achaicis v. Pufend. *diſſ. de ſyſtematibus civitatum*, Hertii *elem. prud. civ. p. II. ſect.* 16. 19. Treuer.

(*c*) *Syſtemata civitatum*]. Vide Auctoris Diſſert. ſelect. *de Syſtematibus Civitatum*. Carmich.

(*d*) *Vocamus*]. Hactenus de Rebuspublicis ſimplicibus, vid. c. 6. §. 3. h. l. lit. (*p*). Circa compoſitas, vel civitatum ſyſtemata, id initio ſtatim obſervandum, quod ſint etiam vel *regularia*, vel *irregularia*. Illa hic definire voluit Auctor, add. *l.* VII. *c.* 5. §. 16. ſed iterum definitio nimis generalis eſt, nec formam conjunctionis ſyſtematicæ ſatis exprimit. Mihi, in *Specim. jur. publ. l.* VI. *c.* 7. §. 34. ſic viſum eſt: Syſtema civitatum eſt *Corpus civile, ex pluribus civitatibus ita compoſitum, ut unaquæque civitas ſummum, at plerumque etiam plenum, Imperium habeat, ſed ita limitatum, ut quædam ejus partes conjunctim ab omnibus ſint exercendæ.* Exinde facile differentia civitatis ſimplicis & compoſitæ apparet. Titius.

§. XIV.

Digitized by Google

XIV. Aliud emergens ex communi Rege:

Mediante communi Rege (*e*), systema emergit, quando plura ſeparata regna vel ex conventione, vel ex occaſione matrimonii, hæreditatis, aut victoriæ, unum (*) & eundem habent Regem, ita tamen ut ideo in unum regnum non coaleſcant, ſed ſingula juxta ſuas leges ſundamentales à communi Rege adminiſtrentur.

J. N. & G. *l.* vii. *c.* 5. §. 17.

Alte-

§. XIV. Quinque diverſæ ſpecies diſtinguendæ ſunt, in primis: (1) *S*i ex duabus Civitatibus unus ſit Reipublicæ contextus, & *σύγχυσις πολιτείας*, confuſio civitatum in unam, uti Sabinorum cum Romanis, Lithuanorum cum Polonis, & Scotorum cum Anglis. (2) Altera alterius ſit appendix, uti Provinciæ Romanæ, & utriusque Indiæ acceſſio: & de his Auctor non agit. Verum (3) ſi altera alterius pars ſit, ſed ſuis legibus regenda; uti regnum Italiæ cum Germania, & olim regnum Arelatenſe. Vel (4) ſi uno ſub capite plura regna, vel ditiones conjunguntur; uti Hungaria cum Germania, Polonia cum Saxonia, & Magna Britannia cum Electoratu Hanoverano, Syſtema regnorum & terrarum emergere exiſtimat. (5) Sed quia Princeps ſic duas tantum perſonas ſuſtinet, ideo Ill. Heineccius *Elem. J. nat.* II. *c.* 6 §. 118. tunc demum duo regna in Syſtema coaleſcere ait, quum icto fœdere, voluntates viresque eorum ad communem defenſionem ſunt unitæ. Talis quoque unio ſtricte eſt explicanda, ne una civitas ad alterius debita, vel onera ſingularia teneatur. vid. Grot. II. *c.* 9. §. 9. Otto.

(*e*) *Mediante communi Rege*]. Mediante eodem capite, plures civitates, varia occaſione, in ſyſtema poſſe coaleſcere, certum eſt, add. *l.* VII. *c.* 5. § 17. ſed non ſtatim id factum cenſeri debet, hinc tres caſus videntur eſſe diſtinguendi: vel (1) una Reſpublica alteri ſubjicitur, aut ſimpliciter duæ pluresve civitates conjunguntur, unoque regimine ſummo adminiſtrantur, hoc caſu, non ſit ſyſtema, ſed civitas una: vel (2) plures Reſpublicæ unum ſaltem habent caput, ut tamen rationes earum prorſus maneant ſeparatæ, tum nulla conjunctio, ne quidem ſyſtematica, adeſt, vel (3) ita ſub uno capite coaleſcunt, ut unaquæque juxta leges ſuas undamentales adminiſtretur, omnes tamen in exercitio nonnullarum Imperii partium concurrant; hoc caſu, demum ſyſtema adeſt. Titius.

Hujus generis exemplum Auctori, cum modo allegatam Diſſertationem ſcriberet, ſuppeditabant Regna *Britannica.* Sed ut ſyſtema fiat per communem Regem, neceſſe eſt, hic liberum habeat exercitium poteſtatis *Belli & Pacis*, quo alterius Regni viribus ad alterius jura defendenda & proſequenda uti poſſit. At ſi Rex omnes Summi Imperii partes ſuo arbitrio poſſit exercere; facile eſt, ut ejusmodi Syſtema in unum Regnum degeneret. Carmich.

(*) *Unum & eundem*]. Minus commode talia regna uno capiti ſubjecta ſyſtema conſtituere dicuntur: nihil enim inter ſe habent unionis, nihil imperii: nec conſpirant in unum eumdemque finem, Quand cuivis in oculos incurrit: nam

Digitized by Google

XV. Aliud ex plurium perpetuo fœdere.

Altera species (*f*) systematum provenit, quando plures civitates vicinæ perpetuo foedere

re

nam quid negotii eſt Germaniæ cum Hungaria, regno Neapolitano, Sicilia, Brabantia &c. licet unum idemque caput in imperatore adgnoſcant. Treuer.

§. XV. Exempla antiqua præbent fœdus Amphictyonicum univerſæ Græciæ, & arctius Ætolicarum ac Achaicarum nationum: illarum ſingulas non deſiiſſe ſtatum perfectæ Reipublicæ obtinere; apud Achæos vero ſummum imperium fuiſſe penes Concilium commune, Polybius II. 37. Ariſtoteles II *Polit.* 20. Strabo IX. Juſtinus XXXIV. 1. & Ubbo Emmius *Vet. Græc. tom.* 3. docuerunt. (2) Recentiora ſunt in Belgio fœderato, & laxius cohærente Helvetia: ſingulæ enim Provinciæ propriam Rempublicam conſtituunt, & regalia *immanentia*, leges, judicia & tributa ſuo more regunt; in regalibus vero *transeuntibus*, ut in pace, bello, fœderibus ceterisque, quæ ad communem defenſionem pertinent, ſunt conjunctæ; uti de Belgis Grotius in *Apolog.* & de Helvetiis Guilimannus III. 14. probavit. (3) Vitia horum Syſtematum ſunt, ſi vinculum commune incertum eſt, aut nimis laxum, quod ex virium diſparitate & modo conjungendi facile reſultat. v. Pufend. *de Syſtem. civit.* §. 16. Morbi ſinguli & remedia apud Hert. *Prud. civ. d. p. II. ſect.* 16 19. & III. Bynkershoekium II. *quæſt. jur. pub. c.* 24 videantur. Otto.

(*f*) *Altera ſpecies*]. Expreſſo fœdere in ſyſtema coire ſolent Respublicæ vicinæ & minus validæ, vid. *l.* VII. *c.* 5. §. 18. Eſt ejusmodi pactum regulariter *expreſſum*, *perpetuum*, ac *ſimplici ſaltem obligatione membra ſyſtematica*, *ad communis Imperii exercitium*, *connectit*, vid. *d. c* 5. §. 19. 20 21. ſed illa omnia ſalva ſyſtematum eſſentia a pacto ſyſtematico abeſſe poſſunt.

2. Syſtemata irregularia ſunt, quando *majoris alicujus Reipublicæ*, *in primis Monarchicæ*, *vinculum ſenſim ita laxatur*, *ut provinciæ ſui juris fiant*, *ſub antiquis tamen ſchematibus*, *ut civitates ſociæ*, *tam cum ſuo capite*, *quam inter ſe*, *utcunque connectantur*, de quo pluſcula adduxi in *Specim. jur. publ l.* VI. *c.* 7. §. 38. *ſeqq.* Irregularitas vero conſiſtit, tum in *pravo provinciarum habitu*, quo ſæpe nec ſibi ipſis ſufficiunt, nec ad ſufficiendum validum ſyſtema aptæ ſunt, tum *in vinculi communis incertitudine & laxitate*, quæ ex *modo conjungendi* & ex *habitu corporum conjunctorum* reſultat, de quo ibidem plenius paululum egi in *d. Specim. l.* VI. *c.* 7. §. 46. *ſeqq. c* 9. §. 26. *ſeq.*

3. Sunt, qui diſtinctionem civitatum *regularium* & *irregularium* plane rejiciunt, quibus reſpondi in *d. Specim. l.* VI. *c.* 7. § 62. 63. Circa terminos tamen majori jure quid moneri poteſt, ceu oſtendi, *d. c.* 7. §. 53. 54. ſed, quoties res ipſa admitti debet, in terminis faciles nos eſſe oportet. Multi etiam aſſerunt Reſpublicas *mixtas*, de quibus Auctor in *Op. maj. l.* VII. *c.* 4. §. 13. *c.* 5. §. 12. 13. ſed eo nomine nullam novam Reipublicæ formam, hactenus expoſitis addendam, ſignificari in *d. Specim. l.* VI. *c.* 7. §. 55. *ſeqq.* forte probavi. Quomodo autem generalia illa de formis Rerumpublicarum principia ad hypotheſin transferri, ſeu ad hoc vel illud civitatis individuum applicari debeant, illud in *d. Specim. c.* 4. §. 64. *ſeqq.* pluribus deduxi.

4. Utra autem Reipublicæ forma alteri præferenda ſit, diſputari etiam ſolet? Pleroſque pro Monarchia calculum ponere ait Auctor *l.* VII *c.* 5. §. 22. Ex comparatione commodorum & incommodorum, quæ ſingulas formas comitantur, heic eſſe formandum judicium facile liquet, ex hoc vero princi-

ci-

Digitized by Google

re (*g*) ita connectuntur, ut aliquas partes ſummi imperii, quæ præcipue defenſionem contra extraneos ſpectant, non niſi conſenſu omnium exercere velint, ſalva manente de cætero ſingularum civitatum libertate, & independentia (*h*).

J. N. & G. *l.* vii. *c.* 5. §. 18–20.

cipio, pro Rebuspublicis polyarchicis, contra Imperia abſoluta pronunciandum eſſe plane arbitror. Titius.

(*g*) *Perpetuo fœdere*]. Hujus generis exempla obvia habemus, in Provinciis *Belgii* fœderatis, & fœderatis *Helvetiorum* Pagis. Carmich.

(*h*) *Independentia*]. Scoti a. 1707. circa unionem Angliæ & Scotiæ diſtinguebant barbaris quidem, veris tamen vocabulis inter unionem incorporativam & federalem: illam, qua regna in unum reipublicæ corpus uniuntur, dicebant libertati eſſe noxiam & fatalem, matremque duræ ſervitutis: hanc vero regnorum juri nihil detrahere. unde a quodam presbytero contra iſtam publica oratione disputabatur occaſione dicti *Apocal.* III. 11. *Halt, was du haſt: daſs niemand deine Krone nehme*: quod in Scotiæ ſtatum trahebat. vid. *Neuen Agenten IX. dep. p.* 788. *ſq.* Conf. Verulamium *diſſ. de felici Scotiæ cum Anglia unione opp. p.* 1325. 1331. *ſqq.* Treuer.

Caput IX.

De Affectionibus Imperii Civilis.

Summaria.

I. *Imperium civitatis ſummum eſt,*
II. *Et, qui illud habet,* ἀνυπεύθυνος,
III. *Legibusque civilibus ſuperior.*
IV. *Summum imperium ſanctum eſt,*
V. *Alibique abſolutum:*
VI. *Alibi limitatum.*
VII. *Regnum aliud in patrimonio, aliud in uſufructu.*

Grot. *de* J. B. & P. *l.* 1. *c.* 3. §. 7–20.

I. Imperium Civitatis ſummum eſt. (*i*) Habet hoc omne Imperium (*k*), quo univerſa aliqua civitas regitur, in qualibet Reipublicæ forma, ut ſit summum (*l*), id eſt, in ſui

§. I. Attributa imperii civilis, ut ſubſtantia concepti, ſunt tria ſequentia: (a) eſt ſummum (b) legibus civilibus ſolutum (c) ſanctum & adverſus injurias munitum. Summitas, alias ſuprematus, *Souverainité* dicta, conſiſtit in facultate perfecta imperandi omnia, quæ ſalus Reipublicæ poſtulat. Eius duo ſunt effectus, (1) quod actus imperantis a nemine, *tanquam à ſuperiore*, irriti reddi poſſunt; licet illi, ob clauſulam caſſatoriam, legi fundamentali, vel Capitulationi inſertam, aliquando nulli ſint, aut reſcindantur. (2) Quod ſummus nemini, *ut ſuperiori*, ad rationes reddendas, vel ad pœnam, qua talem, teneri queat; quia non habet ſuperiorem: propter injurias vero, aliis imperantibus illatas, bello peti, vel ab iis, qui guarantiam ſuſceperunt, ad rationes reddendas compelli poteſt; ipſe etiam, peracto in propria cauſa judicio, quandoque ad amoliendam ſiniſtram ſuſpicionem rationes ultro per Legatos, in aulis exterorum commorantes, vel per manifeſta publicata, vel actis editis, exponit, uti Fredericus Placidus in cauſa Kauffungi, apud Weckium, *Deſcr. Dresdæ pag.* 124. Otto.

(*i*) §. I. & II. Summi imperii idea tam varie ſolet accipi, ut cautiſſime circa eam determinandam verſandum ſit. Prout enim homines ſummitatis exemplar animo comprehendunt & ſummi faſtigii decus

ſui exercitio a nullo homine, tanquam ſuperiore (*m*), dependens, ſed ex proprio judicio & arbitrio

decus ſecundum proprias animi cupiditates metiuntur; idea ejusdem deſcribi ſolet. Plerique ſub titulo ſummi imperii Caligulæ notionem complectuntur, eamque intelligunt poteſtatem, cui omnia in omnes licere arbitrantur. Hinc paria principi & tyranno adſcribunt jura: *cum his*, ut verbis Noodtii utar, *de jure ſummi imperii & lege regia opp. 769. nihil æque contrarium ſub hominis æſtimationem cadere poſſit. Alter enim volentibus, alter invitis imperat: alter reipublicæ, alter ſibi conſulit: alter legibus ſervit, alter inſultat: alter a cujusque vita, libertate, bonis tamquam a rebus ſacris manus, oculos mentemque abſtinet; alter eas res ſui juris atque arbitrii eſſe opinatur: alter igitur* Deo *proximus ejusque exemplo de humano genere bene merens, domi forisque carus, ſanctus & venerabilis habetur; ad eumque omnes velut ad ſuæ cauſſam ſalutis non eunt, ſed ruunt, obſtinati ſe devovere pro illo, cujus ſpiritu ſe conjungi, regi ac valere ſentiunt: alter publico natus malo, nullis utilis bonis, omnibus pernitioſus & ideo ſœius, dirus & exſecrabilis quocumque procedit, tamquam ſi bellua aliqua fera & immanis e latibulis ſe moverit, omnia longe lateque terrore, fuga, vaſtatione complet.* Hac ratione confunditur ſummitas imperii ratione effectus cum ſummo imperio ratione juris. Priorem ſignificatum auctor hic exponit, quo aliquis omnes ſupereminet, ita ut ejusdem actus a nemine irriti reddi poſſint, neglecto poſteriore ſenſu, quo ſummum imperium facultatem involvit omnibus legitime imperandi & ea agendi, quæ ad legis naturæ normam civitati ſalutaria eſſe colliguntur. Nec hic miſceri debet id, quod ſummum & quod vulgo abſolutum eſt: ſummum eſt imperium, licet limitatum ſit pactis fundamentalibus; nec is ſuperiorem nanciſcitur princeps, qui utilitati civium ſe adſtringit; qui ſalutem populi legem ſibi conſtituit; qui pactis ſatisfacit, quæ finem, ob quem ad ſummum faſtigium evectus eſt, egregie confirmant. Abſolutum vero & deſpoticum, quod dicunt, imperium divinis tamen legibus circumſcriptum eſt, a quibus qui libidinis, dominationis, ferociæ æſtu abripitur, næ ille tyrannidis omni jure accuſandus. Treuer.

(*k*) *Habet hoc omne Imperium*]. Majeſtas, quatenus notat jus ſubditis imperandi, vel cum exteris, civitatis nomine, agendi, per modum *ſubſtantiæ* concipitur, hæc vero *attributa* ſua, vel *affectiones*, quoque habet. Titius.

(*l*) *Ut ſit Summum*]. Summitas, ſeu independentia, non hoc notat, quaſi Imperium Civile a voluntate humana non habeat originem, ſed quod ſemel conſtitutum a nemine, velut ſuperiore, dependeat ejusque nomine exerceatur, add. *l.* VII. *c.* 6. §. 1. Aliquando per ſummitatem intelligitur ſumma exiſtimatio, quæ Imperium Civile comitatur, adeoque recte etiam pro ejus attributo habetur. Idem.

(*m*) *Tanquam ſuperiore*]. Iſtas voces, *a Superiore*, non fruſtra tam ſollicite Auctor inſeruit. Quippe Summum Imperium eſt quidem a Civium conſenſu oriundum; ſed ita, ut ſemel delatum, reddat eum cui delatum eſt, Civibus reliquis, non modo ſingulis, ſed & univerſis, vere ſuperiorem. Unde facile ſequitur, Summi Imperantis actus a nemine, *tanquam ſuperiore, irritos* poſſe *reddi:* nec tamen hoc impedit, quo minus recte quandoque poſſint *haberi irriti*; ſi forte Imperans Poteſtatis ſibi delatæ terminos, vel ipſa Civilis Imperii indole, vel fundamentalibus Legibus definitos, manifeſte exceſſerit. Carmich.

trio ſeſe exſerens, ſic ut ejusdem actus à nemine, tanquam ſuperiore, queant irriti reddi.

J. N. & G. *l.* VII. *c.* 6 §. I.

II. Et nemini ad rationes reddendas obſtrictum.

Inde etiam eſt, quod idem imperium ſit *ἀνυπεύθυνον* (*n*), ſeu NEMINI MORTALIUM OBSTRICTUM AD

§. II. Monarchomachi hunc effectum ſummi imperii negant, & quemlibet imperantem ad rationes populo reddendas obligari, ſerio contendunt; bella ratione, ſcilicet, quod conſtituens ſuperior ſit conſtituto. Verum hac de re *ad* §. 4. agemus. (2) Alii dubitant, an imperium, per pacta limitatum, aut temperatum, ſummum maneat: hi vero ſimilibus, a marito, qui futuræ uxori, vel a domino, qui famulo aliquid promittit, petitis refelluntur. (3) Rurſus alii diſcrimen ſummi imperii, aut ſummo minoris, ex delatione imperii per electionem, aut ſucceſſionem petunt; quos, a Grotio licet notatos I *de J. B. & P. c.* 3. §. 10. *n.* 5. Hobbeſius ſecutus eſt in *Leviathane c.* 19. Verum aliud eſt regnum, aliud habendi modus; nec univerſaliter id dici poſſe, vel unico Imperatorum Romanorum exemplo conſtat. Sub horum enim prioribus, propemodum hereditariis, multum libertatis populus retinuit: poſteriores vero, a militibus electi, abſolutam poteſtatem exercuere. Solent tamen hereditarii Reges adductius imperare. Sedes etiam Romana hereditarios præfert, eosque *Potentiſſimos*, electos tantum *Sereniſſimos* vocat: quem morem ceteræ aulæ Europææ ſequuntur. vid. Grot. *Ep* 859. & 899. & Jacob. Gothofred. *de Jure præced.* OTTO.

(*n*) *Inde etiam eſt, quod idem Imperium ſit ἀνυπεύθυνον*]. Hæc affectio ex prima reſultat, ſi enim ſuperior non adeſt, nemini etiam, velut ſuperiori, ratio reddi poteſt. Simplex tamen ad rationes reddendas obligatio cum Imperio Civili conſiſtere poteſt, vid. *l.* VII. *c.* 6. §. 2. quanquam, cum illa obligatio ad excludendum Imperii abuſum pertineat, pravis Imperantibus dubio procul futura ſit moleſtiſſima.

2. Cæterum, cum dubio procul Imperium Civile ſit nomen legitimum, nec adeo notet jus quævis patrandi flagitia, ſed ſaltem ea faciendi, quæ utilitas civitatis requirit, hinc quæri poteſt: *an, ſalva Imperii ſummitate in caſu delicti Imperans judicem habere queat?* Videtur hoc dicendum, nam delinquens extra metas Imperii conſtitutus eſt, adeoque, non ut Imperans, ſed ut delinquens, judicatur.

3. Sed mihi tamen diſtinguendum videtur inter *delicta leviora ac dubia*, & *atrociora ac evidentia*, (quæ oſtendere, non ſane eſt impoſſibile) illorum reſpectu Imperium Civile judicem non admittit, nam, hoc admiſſo, de quibusvis actionibus dubiis ratio reddenda foret, atque ita neceſſario ſummitas deſtrueretur: licet igitur Imperium Civile non involvat jus, etiam modice ſaltem delinquendi, attamen, cum inter homines nihil ſit perfectum, ac lubrica actionum humanarum æſtimatio, hinc indoles rerum humanarum exigit, ut ſub ejus velut clypeo licentia modice delinquendi tuta ſit.

4. Aſt in delictis gravioribus habere judicem ipſi Imperio Civili non repugnat, fatendum tamen eſt, quod, utut natura Imperii eum admittat, attamen in Rebus-

Digitized by Google

AD REDDENDAS RATIONES, eo cum effectu, ut ſi eas alteri non adprobaverit, pœnis humanis aut coërcitioni, velut a ſuperiore (*o*) profectis, eo nomine ſit obnoxium.

J. N. & G. *l.* VII. *c.* 6. §. 2.

III. Legibusque civilibus ſuperius.

Cui conjunctum eſt (*p*), ut idem ſummum impe-

buspublicis *ſimplicibus* judex conſtitui nequeat, neque enim id minus vel populo vel extraneo deferri morali rerum æſtimatione poteſt. At in *compoſitis*, quoad ſingula membra ſyſtematica, judex occurrere poteſt & ſolet, quo reſpicit Philoſophia, quam in *Specim. Jur. Publ. l.* VI. *c.* 8. §. 34. *ſeqq.* propoſui.

5. Interim cum ejusmodi Judex regulariter deſit, ac pravi Imperantes graviter & impune delinquant, hinc, præcinente paraſitorum choro, eo fere deventum eſt, ut verum Imperium Civile libidine peccandi tantum non vulgo metiantur. TITIUS.

(*o*) *Velut a ſuperiore*]. Summus Imperans, pœnis humanis, aut coërcitioni, velut a *Superiore* profectis, non eſt obnoxius: nec habet, cui ut tali rationes reddat: imo Imperii actus *immanentes*, h. e. qui intra ipſam Civitatem terminantur, præſumptio fere juſtitiæ, ubi ea contrariis indiciis non manifeſte eliditur, debet comitari: nulla certe *Poteſtas* in Republica, ſupremæ Poteſtati, citra repugnantiam dici poteſt præpollere, aut æquipollere. Nec tamen eo minus tenetur Summus Imperans, ita Imperium adminiſtrare, ut nulla Subditis ratio ſuppetat exiſtimandi, vel a publica eum utilitate deviare, vel legitimæ Poteſtatis terminos excedere: unde, ſi ejusmodi deviationis, aut exceſſus, vel apparentiam aliquam publica neceſſitas aliquando extorſerit; erit iſtius apparentiæ, primo quoque tempore, exponenda ratio. Multo magis actuum Imperii *tranſeuntium*, quibus Civitas cum Vicinis Bello, ſaltem offenſivo, colliditur, idoneæ omnibus pateſieri debent cauſæ juſtificæ; cum in his ea, quam diximus, præſumptio juſtitiæ ceſſet. De coërcitione & pœnis erit dicendi locus ad §. 4. CARMICH.

§. III. Omnis imperans legibus naturalibus*, divinis & fundamentalibus, ſeu pactis conventis, omnino tenetur; tum quia homo manet, tum quia Princeps eſt. Quapropter ſcelerata vox fuit Juliæ, quæ cum Caracallam, privignum ſuum, renitentem, ad ſtuprum ſollicitaret, dixiſſe fertur: *Si libet, licet. An neſcis, te Imperatorem eſſe, leges dare, non accipere?* Longe ſapientius e contrario Dionyſius matri inverecundæ reſpondit: *Se quidem, vi tyrannidis legibus civitatis ſolutum eſſe, naturæ vero legibus vim inferre non poſſe.* v. Cl. Buddeus *Diſſert. de Principe, legibus humanis, ſed non divinis ſoluto.* (2) Legibus autem mere civilibus & humanis ſummus quisque Princeps ſolutus eſt, tam quoad vim directivam, quam coactivam; nec ſolum quoad juris ſolennia, ſed & reliqua, quæ in jure naturæ fundamentum non habent. Quemadmodum enim ſupremus nullum ſuperiorem judicem, aut legiſlatorem humanum ſupra ſe agnoſcit, ita fieri nequit, ut quis ſe ipſum obliget, ſibive legem det, a qua diſcedere non poſſit: idque Romani ſatis firmant *l.* 31. *D. de le-*

Digitized by Google

perium LEGIBUS, ut talibus, SIT SUPERIUS (*q*). iiſdemque adeo directe non obſtringatur (*r*). Iſtæ enim leges a ſummo imperio tam in origine, quam in duratione, dependent. Inde fieri non poteſt, ut per iſtas idem obligetur; cum alias idem ſe ipſo ſuperius foret. Etſi ubi ſummus imperans quæ-

legib. l. 23. *D. de leg. III. l.* 3. *C. de teſtam* (3) Quo quis autem melior eſt Princeps, eo magis, quicquid præſcripſit aliis, ſibi quoque præſcriptum putat, ut omnes facilius obedientes habeat: nam *Digna eſt vox majeſtate regnantis, legibus alligatum ſe profiteri, quibus ſolutus eſt*, §. *f. Inſt. quib. mod. teſt. inf. l.* 4. *C. de legib. l.* 3. *C. de Teſtam.* Rationem dedit Plinius, *Paneg.* 56. *Vita Principis cenſura eſt, eaque perpetua, ad hanc dirigimur, ad hanc convertimur, nec tam imperio opus eſt, quam exemplo.* Latinus Pacatus in *Paneg. Theod. c.* 14. *Exaſperat homines imperata correctio.* & Claudian. IV. *Conſ. Hon. vſ.* 297.

—— Tunc obſervantior æqui
Fit populus, nec ferre negat, cum viderit, ipſum
Auctorem parere ſibi. Componitur orbis
Regis ad exemplum: nec ſic inflectere ſenſus
Humanos edicta valent, ut vita regentis. OTTO.

(*p*) *Cui conjunctum eſt*]. Imperium Civile legibus Civilibus quoque ſolutum eſſe, facile patet, add. *l.* VII. *c.* 6. §. 3. Nihil autem aliud hoc involvit, quam Imperantem, in actionibus ſuis, decreta Legis Civilis non debere obſervare, minime vero, eum legum vim, quoad actus ſubditorum jam ſuſceptos, pro lubitu elidere poſſe. De cætero Imperans legibus poſitivis uti *poteſt*, aliquando etiam, vel ex præſcripto Juris Naturalis, vel Prudentiæ, *tenetur.*

2. Quæ de ſummitate Imperii Civilis dicta ſunt, illa dubio procul ad Monarchias quoque pertinent, nam ſi Rex, in exercitio juris ſui, a populo, velut ſuperiore, dependeret, tum revera non Rex, ſed, ſub ſplendido nomine Regio, Magiſtratus eſſet, quamobrem ſi veram Monarchiam conſtitui placeat, verum utique & ſummum Imperium Regi tribuendum eſt, cum alias conſtituentes ſibi ipſis contradicant, ut hactenus diſtinctio Majeſtatis perſonalis & realis locum haut inveniat. vid. *l.* VII. *c.* 6. §. 4. 5. 6. cum ſummo tamen Imperio etiam hic poſſe conſiſtere ea, quæ §. 2. lit. (*n*) diximus, arbitramur. TITIUS.

(*q*) *Sit ſuperius*]. Legibus quidem poſitivis ſolutus eſt ſummus imperans; norma tamen agendi a civibus pacto conſtituta non ſemper immunis, quæ exinde vulgo lex *fundamentalis* dicitur, licet legis naturam non ſuſtineat. Conf. quæ NOODT l. c. ARNISÆUS *de jure maj. l. I. c.* 3. ZIEGL. *de jur. majeſt. l. I. c.* 1. §. 26. *p.* 17. *ſqq.* & ſcriptores politici paſſim hac de re adnotarunt. TREUER.

(*r*) *Non obſtringatur*]. Cum Summus Imperans in quaque Civitate nec Superiorem habeat, a quo obligatio ei imponatur, nec ſe ipſum per modum *Legis*, id eſt, per modum *Superioris*, poſſit obligare; ſatis conſtat, ejus actiones directioni Legum Civilium, qua talium, ſubeſſe non poſſe. Hoc interim non obſtante, 1. non eſt dubium, quin Summus Imperans obſtringatur *Legibus Divinis*, tum naturalibus, tum etiam poſitivis, modo hæ ſint ei promulgatæ; idque non tantum, quatenus eſt *Homo*, ad officia ei cum aliis homini-

Digitized by Google

quædam civibus lege injunxerit, quorum materia in ipſum quoque cadit, decorum ſit, & ad auctoritatem legi addendam proficuum, ut ad eadem iſte ultro ſeſe componat.

J. N. & G. *l.* VII. *c.* 6. §. 3.

Habet denique & peculiarem SANCTIMONIAM (*s*) ſum- IV. Sanctumque, cui reſiſtere nefas.

nibus communia; ſed & quatenus eſt *Summus Imperans*, ad Imperium juxta illas Leges adminiſtrandum. Unde 2. tenetur etiam *Pacto*, quo Imperium ei delatum eſt, & ab eo acceptum, id Imperium eo modo exercere, quo Populi ſalutem & incolumitatem tueri, ejusque utilitatem promovere poſſit efficaciſſime: quod ſi huic pacto ab initio inſerti fuerint, vel poſtea, Imperantis & Subditorum mutuo conſenſu, addantur ſpeciales articuli, de certa ratione qua, & limitibus intra quos, Summum Imperium eſt exercendum, quales articuli *Leges fundamentales* vulgo audiunt; his etiam Summus Imperans tenetur, non ut *Legibus* a ſuperiore profectis (licet publici ejusmodi Civitatis aut Summi Imperantis actus, quatenus agendorum normam figunt, *Legum* nomine crebro venire ſoleant) ſed ut *Pactis* ab ipſo initis: quinimo, licet nullam ab ipſo Imperante (quod tamen ſatis eſſet abſurdum) contractam obligationem, ſed Imperandi jus, quale offerebatur, ſimpliciter acceptum, fingeremus; non tamen recte Imperans, ultra Juris ſibi conceſſi limites Imperium ſuum extenderet. 3. His conſonum eſt, ut teneatur Summus Imperans de *actibus Subditorum*, eorumque effectibus definire, ſecundum *Leges* tum temporis *in Civitate vigentes*: quod extendi debet etiam ad eos Imperantes, qui liberum Poteſtatis Legiſlativæ habent exercitium; cum Leges novæ futuris, non præteritis caſibus ſint applicandæ. 4. *Privatorum Actuum*, qui a Summo Imperante exercentur *tanquam quolibet*, efficacia æſtimanda eſt ſecundum Leges de talibus actibus in Civitate receptas; niſi ipſe declaraverit, vel circumſtantiæ oſtendant, Imperanti placuiſſe, ſuum actum ab illis Legibus immunem facere: ut recte notavit *Grotius l. II. c.* 14. §§. 2. & 5. 5. In omnibus Legibus civilibus, quæ ad bonos mores in Civitate fovendos pertinent, & quarum materia in ipſum quoque Imperantem cadit, locum habet utiliſſima cautela ab Auctore in fine hujus §. inculcata. CARMICH.

§. IV. Sanctitas illa oritur ex pacto civitatis ſanctione graviſſima munito: per paraſitos vero aulicos, & characterem divinitatis, unctione ſacra impreſſum, augetur. Quin illa imperantem reddat inviolabilem, ſi officio ſuo recte fungitur, aut malos caſtigat, vix dubitari poteſt. Verum an Rex, qui officia hominis, vel Principis violat, morte vel aliter puniri poſſit, ardua quæſtio eſt. (1) Machiavellus & Hobbeſius eam indiſtincte *negant*; quia Princeps ſubditis injuriam inferre nequeat: hæc vero ſententia non modo repugnat canoni vulgato, *Ubi jus deſinit, ibi incipit injuria*, ſed & Principes facit tyrannos, & ſubditos in extremam ſervitutem detrudit. vid. *Op. maj.* VII. *c.* 8. §. 2. (2) E contrario Monarchomachi, ut Stephanus Junius Brutus, ſive, qui ſub eo nomine latet, Hubertus Lan-

ſummum imperium, ut non ſolum ejus juſſis legitimis reſiſtere nefas ſit; ſed & ejusdem aſperitas, non ſecus atque a probis liberis parentum moro-

Languetus in *Vindiciis contra tyrannos*, Buchananus, Hotmanus, Pareus, Milton, Sidney & Mariana eam *affirmant*; ſed quotquot horum ſunt, poſt decantatas libertatis laudes, & exaggerata tyrannidis facinora, in fatale carmen deſinunt, Reges eſſe magiſtratus, & eum, a quo aliquis conſtituitur, ſuperiorem eſſe conſtituto. vid. Grot. I. *c.* 3. §. 8. *n.* 13. 14. Hert. *Diſſ. t. I. An ſumma rerum ſemper ſit penes populum*, & Obſ. Halenſ. *t VI. Obſ.* 1. ubi hiſtoria Machiavelliſtarum & Monarchomachorum exponitur. Scripta vero Monarchomachorum Buddeus, in *Hiſt jur. nat.* §. 52. recenſuit. (3) Alii *diſtinguunt* inter regnum abſolutum & limitatum: at Regi abſoluto, ut hoſti, reſiſti, eumque regno privari poſſe, non eſt dubium; cum & in regno herili exemplum ſit apud Huberum *de jure civ.* 1. *ſect.* 2. *c* 8. §. 23. (4) Optime Grotius I. *de J. B. & P. c.* 4. diſtinguit primum inter Reges vere tales, & qui regium tantum nomen gerunt; deinde inter injurias dubias & manifeſtas, tolerabiles & atroces, ſingulis vel univerſis illatas. Injuriæ *modicæ* veri Regis patienter tolerandæ ſunt; non ob malum Principem, cujus imperium ne vel modice delinquendi facultatem involvit, ſed boni publici cauſa, ne civitas diſſolvatur: id enim indoles imperii, ejusque finis, communis nimirum ſecuritas, mores gentium, doctrina Apoſtolorum & exemplum primæ Eccleſiæ jubet, *Rom.* XIII. *vſ.* 2. & 1 *Petr.* II. *vſ.* 17. 18. Tacitus IV. *Hiſt* 74. *Quomodo ſterilitatem, aut nimios imbres, & cetera naturæ mala, ita luxum & avaritiam dominantium tolerate. Vitia erunt, donec homines: ſed neque hæc continua, & meliorum interventu penſantur.* (5) Quod ſi vero injuriæ ſint *intolerabiles*, & Phalaris aliquis, Caligula, aut Nero civium vitam, religionem, libertatem & jura publica animo hoſtili invadat, vel in præſens diſcrimen conjiciat, non modo ex intentione eorum, qui in civitatem coivere, ſed etiam ex jure neceſſitatis & defenſionis, res redit ad ſtatum naturalem, & immani ejus ſævitiæ reſiſtere licet; poſtquam omnium, vel plurium conſenſu, quorum intereſt Rempublicam ſalvam eſſe, declaratus eſt imperio excidiſſe: conſiſtere enim ſimul non poſſunt voluntas imperandi, & voluntas perdendi. Seneca I. *de Clem* 12. *Quid intereſt, inter tyrannum & regem? Species enim ipſa fortunæ & licentia par eſt, niſi quod tyranni voluptate ſæviunt, Reges non niſi ex juſta cauſa & neceſſitate. Quid ergo? Non Reges quoque occidere ſolent? ſed quoties id fieri publica utilitas perſuadet: tyrannis ſævitia cordi eſt.* (6) Populus autem, & pars populi, multoque magis ſinguli parcere debent perſonæ Regis; quia is Dei in terris vicarius eſt; & hoſtes Regibus capitis parcunt; ac pater, etſi legum contemtor, pater manet. Deus quoque vetuit *tangi Chriſtos ſuos*, 1 *Par.* XVI. *vſ.* 32. David dicebat; *Abſit, ut mittam manum in Chriſtum Domini*, 1 *Sam.* XXIV. *vſ.* 7. & 2 *Sam.* I. *vſ.* 14. & Cicero *pro Dejot c.* 1. inuſitatum vocat ac pæne inauditum, ut Rex ſit capitis reus. De Carolo I. anno 1649. d. 30. Jan. decollato, vid. Bochart. *Diſſ. de jure reg. t. II. Op. p.* 904. Salmaſ. *Defenſ regia*, Ziegleri *Exercit. de Regicidio Anglorum*, & *Eſſai ſur le gouvern. civil c.* 14. Idem in Senatu Ariſtocratico Procerum valet vid. Graswinkel *de Summa poteſtate Ord. Holl.* Otto.

(t) *Habet denique & peculiarem ſanctimoniam*]. Sanctitas & inviolabilitas hoc efficit, ut Imperans a

moroſitas, a civibus ſit patienter ferenda. Quin & ubi atrociſſimas (*t*) injurias (*v*) intentaverit, ſin-

a ſubditis non ſit lædendus, non tantum ſi ſuo recte fungatur officio, vid. *l.* VII. *c.* 8. §. 1. ſed etiam ſi in ſubditos, vel ut homo, vel ut Imperans, ſit injurius, *d. c.* 8. §. 2. 3. 4. nam ſub clypeo Imperii ejusmodi peccandi licentiam tutam eſſe debere, ſupra §. 2. lit. (*n*). *n.* 3. diximus, conf. *d. c.* 8. §. 5. Titius.

Sanctitatis titulus in ſummo imperio triplicem videtur habere originem, & impoſitus eſſe (1) ob inviolabilitatem: ſanctum enim & inviolabile ſynonyma eſſe oſtendunt Becmann. *orig. latin. pag.* 730. Stryck. *de ſanctitate reſidentiarum*, Alex. ab Alexandro *p.* 354. Besoldus *polit. l. I. c.* 12. *p.* 429. Boehmer. *jur. publ. univ. D. ſpec. l. I. c.* 4. *p.* 240. Exempla congeſſit Schurtzfleisch *diſſ. hiſt. t. I. diſſ.* 1. (2) Ob divinitatis characterem, quem ſuſtinet ſummum imperium: inde enim eſt, quod divorum, divinorum, numinis, ſanctitatis &c. tituli imperatoribus Romanis & Græcis tributi fuerint, quibus adulatio obſtetrices manus præbuit. (3) Ob conſecrationem & inaugurationem ſacram communiſſimamque opinionem, majeſtatem ſive ſummum imperium immediate a Deo proficiſci. Hinc ſacri nomen clerus callide ſatis in res civiles ſollicito ſtudio tranſtulit, ejusque adpellationem fovit omni cura, ut ſua opera imperia conſtitui exinde conſtaret, ſacrique adpellatio oſtenderet, a quibus manibus diademata regia ſint profecta. vid. celeberr. Ludewigs *Erläuterung der güldenen Bulle t. I. p.* 32. De ipſa adpellationis ratione copioſa teſtimonia & illuſtrantia argumenta congeſſerunt Becmann. *ſyntagm. dignit. illuſtr. diſſ. I. c.* 4. §. 6. & 7. Boecler. *de auſpicio regio t. I. diſſ. p.* 154. *ſqq.* Treuer.

(*t*) *Quin & ubi atrociſſimas*]. Quod ſi vero Imperans hoſtilem penitus animum, vel erga ſingulos, vel totam Rempublicam, induat, tum ei velut hoſti, poſſe reſiſti, ex indole factæ delationis facile liquet, vid. *d. c.* 8. §. 5. 6. 7. 8. ſed in Regnis abſolutis, miſeros ſubditos ſpes & facultas exequendi deſtituit, at in limitatis citius improbum Imperantem amoliri illi poſſunt. Illud dubium non habet, quin Principi, officii metas tranſilienti, preces & rationes opponere liceat, & debebant ſæpe Reipublicæ Proceres officii ſui, iſto rerum ſtatu, eſſe obſervantiores, quam quidem fieri ſolet, nec dubitandum, quin his mediis, cordate & unanimiter adhibitis, ad ſaniora conſilia Imperans revocari queat, cum crebro non propria, ſed aliena libidine in Reipublicæ perniciem animetur. Titius.

(*v*) *Injurias*]. Nulla injuria jure naturæ ſolvere videtur obſequium civium, niſi ea talis modi ſit, quæ penitus tollit finem, ob quem voluntates civium in principem delatæ ſunt. Sic enim tota ratio delati imperii ceſſat, adeoque non iniquum erit, ut tota civitas, vel iis, qui eamdem repræſentant, preces ſuas, admonitiones, conſilia imperanti exponant, quibus fruſtra adhibitis nonnulli putant, abdicationem imperii juſtiſſime addi poſſe: uti inter recentiores Palthenius adſtruit *diſſ. de dethroniſatione*, *Gryphisw.* 1704. Noodt *l. c. p.* 782. ubi confidenter & in tanta re audacter nimis pronuntiaſſe videtur: *Jam ſi ea ſit principis atrocitas, ut ad totius populi aut majoris partis læſionem pertingat: & hic, quæ, quanta, quam multa ei populus & belli metu & otii dulcedine non indulgeat? Quamquam ſi extrema patiatur crudelitatis aut ſuperbiæ exempla, quis culpet eum, qui conſumta omni patientia, non ea ignavia ſit, ut exſpectandum ſibi putet,*

Digitized by Google

ſinguli (*x*) potius fuga ſibi conſulent, aut quan-
tam-

tet, donec de cœlo deſcendat Deus, *in humani generis hoſtem ſua miſſurus fulmina? immo quis non eum laudet, quod aliquando ſe circumſpiciat & a* Deo *reprimi putet, qui naturæ lege, i. e. divina voluntate coërcetur? Præſtat tamen, aliquam eſſe rempublicam, quam nullam: præſtat pacem eſſe, quam bellum. Quaſi reſpublica ſit, in qua leges nomen ſunt, judicia jacent, omnia vi aut factione, nihil ratione. nihil æquo jure decernitur. Et paci ſtudendum. An, ut tu me jugules aut expiles, ego interim digitum non moveam? Hanc ſi tu pacem vocas, quid bellum erit? quin ut abſtineam bello, ne mihi inferto bellum: ut pacem ſervem, pacem mihi præſta: non enim civem ab hoſte natura & loco, ſed animo factisque diſtinguo, nec mea intereſt, ſi ſpolier, ſi torquear, ſi diſcerpar, ſi denique miſere & injuſte occidar ac lanier, cujus ſævitia fiat, utrum hoſtis aut latronis, an ejus, qui ſe meum civem aut principem ferat; non enim res mutatur, ſed nomen: res eadem eſt: tantum ad augendam ſceleris atrocitatem pertinet, quod ille, a quo adverſus hoſtes aut latrones defendi debebam, ipſe mihi importuniſſimus & crudeliſſimus hoſtis aut latro factus eſt.* Verum quoque eſt, inculpatam tutelam, quam jus naturæ in ſumma neceſſitate ſingulis hominibus conceſſit, per pactum civitatis & obſequii toti populo non eſſe ademtam, qua omnino in tyrannum uti poteſt, qui pacta ſecuritatis ipſe diſſolvit: non principi reſiſtitur, ſed tyranno. Ea, quæ contra adferri ſolent, privatorum magis jus impugnant, quam totius civitatis: temerarium reſiſtendi auſum magis improbant, quam extremam juſtamque ſe defendendi neceſſitatem, nec ſatis inter reſiſtentiæ efficaciam & jus diſtinguere ſolent. Abſit tamen, ut ſic in caſtra monarchomachorum deſcendamus, quorum placita toto animo exhorreſcimus: manet enim principum ſanctitas æque inviolabilis, ac tyrannorum injuria exſecrabilis dicenda. Perplacet Burneti ſententia *hiſt. des dernieres revolutions d'Angleterre l.* 3. *p.* 571. *J'avois de tout temps été dans le principe, que lors qu'un prince foule aux pieds les loix & travaille a renverſer ces remparts ſacrés de la liberté & de la ſûreté publique, ſes ſujets ont droit d'employer la force, pour ſe guarantir de l'eſclavage & de l'oporeſſion. Mai j'ai auſſi toujours été du ſentiment, qu'il faut quelque choſe de plus que des traits communs d'injuſtice de ſa part, que des ombrages & des craintes ordinaires, pour autoriſer une priſe d'armes.* Plurimi cum auctore patientiam & fugam ſuadent & conſulunt, quum res hæc difficillime poſſit decidi: (1) deficit enim judex competens, an major pars civium læſa ſit? an princeps deſtruat finem reipublicæ? quæ, quanta quam multa in populum mala contulerit? nam plebs & populus id judicare nequeunt: nec alterius populi judicium hic habebit auctoritatem. (2) Publicæ injuriæ cum privatis facillime confunduntur: nec ex querelis publicis judicandæ. (3) Jus deponendi imperantem eſt jus cogendi: juri cogendi renunciarunt ſubditi, & effectu deſtituitur, nec exerceri poterit coactio. Hinc (4) ſi aliquis exiſtat princeps omnem finem civitatis diſperdens, ille tandem erit hoſtis reipublicæ, quocum bellum geri poſſit, non ut cum principe, non a ſubditis, ſed cum injuſto invaſore, nexu civitatis ſoluto; quibus tamen omnibus multa pro jure totius civitatis reſiſtendi vero tyranno regeri poſſunt, quæ non judicis partes ea in re ſuſtinet, ſed paciſcentis, cui jus competit contra atrociſſimas injurias ex læſione pacti reſultantes ſe defendendi. Aſt & hic de belli juſtitia in applicatione & ipſo exemplo res difficillimæ erit diſceptationis. Plura monuerunt Gundlingius *otiis t. II. c. 6.* ubi contra
Pal-

eamcumque calamitatem ſuſtinebunt, quam ferrum

Palthenium diſputat æque ac Boehmerus *l. c. pag.* 654. *ſeq.* Treuer.

(*x*) *Singuli*]. *Singulos* hic diſtinguit Auctor ab *Univerſis*, aut majore Populi parte: ſed & de *ſingulis* hic traditam doctrinam temperat de *J. N. & G. l. VII. c* 8. §. 7. & *Grotius* ibi citatus *l. I. c.* 4. §. 7. niſi quod hic Jus natura conceſſum Chriſtiana morum diſciplina ablatum eſſe innuat: quod non immerito diſplicet Cl. *Hubero* de *Jure Civitatis l. I ſect. IX. c.* 5. §. 33, 43. *& ſeqq.* Add. Cl. & Rev. Viri *B. Hoadleii*, poſtea *Bonienſis*, nunc *Herefordienſis* Epiſcopi, Tractatus Anglice editus, cui titulus, *the Meaſures of Submiſſion to the Civil Magiſtrate conſider'd.* De re ipſa hoc videtur certum, ut nullius Hominis adverſus alium Hominem Jus eſt infinitum, ita, *ubi Jus deſinit, ibi incipere Injuriam*, & cum ea *Jus reſiſtendi*, ſi ſolam juſtitiam *expletricem* reſpiciamus, & quidem illius intuitu, qui injuriam intulit: Confer *Lockii* tractatum ſæpius laudatum §. 202.

At non eſt in his caſibus unice cogitandum, quid, illæſo jure ipſius Imperantis, poteſtatis ſibi delatæ terminos manifeſte excedentis, poſſit fieri; ſed quid obligatio erga *Patriam*, & cura, ſi non ſuæ, ſaltem innumerorum innocentium Civium, ſaluti & incolumitati debita, fieri permittat. Unde improbum ſimul atque ſtolidum eſſet, ob injuriam, licet atrociſſimam, ab uno vel paucis arcendam, Civitatem belli civilis calamitatibus velle involvere: eo certe tendentem *reſiſtentiam* non videtur quiſquam ſanæ mentis facile moliturus, niſi qui majorem Civium vim ſuis partibus fautoram ſperaret; quod quidem ſperare vix poſſet, aut certe vana ſpe deluſum ſe inveniret, qui in tali caſu injurias cauſaretur, vel tolerabiles, vel quæ nondum, exemplo ſaltem, majorem Populi partem affeciſſent. Vide *Lock. d. tr.* §. 208.

Quod ſi per injurias a Summo Imperante illatas, non tam *propria* ſingulorum *Jura* invadantur, quam *publica*, ea ſc. quæ a ſingulis, civilem ſocietatem ineuntibus, ad Civitatem tranſlata intelliguntur; ut ſi Rex legibus circumſcriptus ſe gerat ut abſolutum; cum de his penes ipſam Civitatem ſit diſponere, non prius eo nomine opponenda eſt violenta reſiſtentia, quam manifeſta indicia ſuaſerint, id Populum, aut majorem ejus partem, velle: ubi *Populi* nomine *Cives* intelligo eminentiore ſenſu ita dictos, quales fere Auctor deſcripſit ſupra *cap.* 6. §. 13. eos ſc. quorum immediato conſenſu, & conventione cum ipſo Summo Imperante inita, Imperium eſt primo conſtitutum, aut qui in eorum jura, ad publicum ſtatum pertinentia, ſucceſſerunt. Hoc autem numero qui ſint cenſendi (nam non ſemper tales eſſe omnes patres familiarum monuimus *Obſ.* 3. in *d.* §.) ex cujusque Civitatis Legibus fundamentalibus & Moribus eſt colligendum; ex quibus etiam definiri oportet, utrum hi Cives viritim ſint numerandi, an vero ſecundum certas diviſiones, ſub quibus in Comitiis publicis per Legatos ſuffragii ferendi jus habent. Nec tamen, ut horum, in tali caſu, reſiſtendi voluntas innoteſcat, neceſſe eſt ſemper, eos in Comitiis congregatos ita cenſuiſſe; quandoque enim accidit, ut citra violentam reſiſtentiam prius oppoſitam, Comitia, in quibus genuina Civitatis voluntas regulari modo ſe prodat, non poſſint haberi; quo caſu neceſſitas efficit, ut ex aliis indiciis, quæ haud ægre ſolent occurrere, publica illa voluntas ſit conjectanda: quemadmodum res ſe habuit in Regnis *Britannicis* A. D. MDCLXXXVIII, cum felix ſub propitio Deo harum Inſularum

 Libe-

rum in durum quidem, ſed tamen parentem patriæ ſtringent.

J. N. & G. *l.* vii. *c.* 8. Add. *c.* 3. §. 1, 2.

Præ-

Liberator, tantum non devoratam prædam Papalis Tyrannidis faucibus eriperet.

Quod ſi cum gravibus illis cauſis, quæ publicam reſiſtentiam juſtam ac neceſſariam reddunt, concurrat doloſa pertinacia, tendens manifeſte ad ſimiles injurias, quoad res & occaſio permiſerit, in poſterum moliendas; non tenetur Populus Jurium ſuorum cuſtodiam illi amplius permittere, qui factis ſuis eorundem Jurium ſe hoſtem aperte declaravit: nihil enim eſt abſurdius, quam Jus imperandi cum imperandi fine colliſum ire: imo quisquis munere in aliorum gratiam ſuſcepto, vel dictis vel factis declarat ſe nolle fungi, intra eum modum ſub quo; & in ordine ad finem, cujus cauſa eſt delatum, re ipſa ei renunciare eſt cenſendus.

Nec tamen, etiam in hujusmodi caſibus, Imperium ſemel legitime ſtabilitum, fas eſt a ſingulis, ante ſolenniter declaratam Civitatis voluntatem, excuti penitus & ejerari: quamvis enim ſolutio obligationis erga Imperantem, non tam a Populi decreto ſit petenda (quaſi per hoc ſolum, ut Magiſtratui inferiori per decretum ſuperioris, ipſi Summo Imperanti poteſtas auferri poſſet) quam ab ipſius rei evidentia, quod ſc. Summus Imperans, poteſtatis ſibi delatæ terminos notorie & pertinaciter egreſſus, ea ad Civitatis perniciem ſit abuſus, & in poſterum abutendi animum ſatis declaraverit; tamen iſto abuſu, qui per ſe manifeſtus eſſe debet, ſuppoſito, penes Civitatem eſt judicium, quo potiſſimum modo adverſus eum in poſterum caveri publice expediat; utrum ſc. Imperantis vires circumſcribendo, an vero ipſum Imperium alteri deferendo. Singulis itaque, etiam in extremis iſtis caſibus qui extraordinarium remedium maxime poſtulant, nihil aliud cenſeri debet permiſſum, quam præſentem vim vi repellere, & efficere, ut Civitati adverſus commune periculum communi conſilio cavendi ſit copia.

Multo minus ſingulis fas eſt, Summum Imperantem, utcunque delinquentem, punire. Quamdiu certe Imperium retinet, hoc non licere, eſt manifeſtum; imo, in plerisque Monarchiis, Lege aut More eſt receptum, ut *Perſona Regis* habeatur *Sacroſancta*: quod ſi Imperio exciderit; hoc tum ad Civitatem devolvitur; penes quam ſolam idcirco de re adeo gravi, ac eſt pœna ejus, qui Summum nuper Imperium geſſit, ſtatuendi eſt facultas. Quin & de pœna ab ipſa Civitate, vel ab eo, qui in Imperium ſuccedit, hoc in caſu infligenda, quæſtio eſt, ut agnoſcit Cl. *Huberus* (vide *lib. I. de Jure Civitatis ſect. IX. cap.* 4. §. 40. & *ſeqq.*) difficilis & periculoſa in primis. Eum quippe, qui regnum ſemel legitime quæſitum tenuit, ab iis, qui ſibi ſubditi fuerant, in judicium adduci, ad cauſam cogi dicendam, condemnationem denique ac pœnam ſubeundam, in hypotheſi, ut idem monet, videtur abſurdum; neque Hominum indignationem poteſt non movere; imo eſt ab omni ævo inauditum, præterquam in exemplo quod proxime elapſo ſeculo edidit in hac Inſula furioſa Factio, quæ ipſam prius Civitatem armata violentia oppreſſerat. Sed & in ejusmodi caſu clam necare, vel nocendi viribus jam exutum populari impetu

Præterea ſummum imperium (*y*), in Monarchiis

V. Summum imperium alibi abſolutum:

petu opprimere, non minus immanem ſceleris habet ſpeciem. Unde merito concludit modo laudatus Auctor rectius eos conſulere, qui ulteriore pœna adverſus regno dejectum abſtinentes, exilio tantum, vel perpetua cuſtodia, publicæ ſecuritati cautum volunt. Sed & damna, ab eo Civitati vel ſingulis injuria illata, ex ejuſdem bonis recte ſarciri, non eſt dubium.

Quod ad ſeptem Caſus attinet a *Grotio* recenſitos, *lib. I. cap.* 4. §§. 8——14. utrum ſub iis, vel ullo eorum, prout ab ipſo egregio Viro intelliguntur, directe contineatur reſiſtentia ſuperius probata, & qualis in horum Regnorum felice Revolutione fuit adhibita, ambigi quidem poteſt: ex eorum tamen nonnullis eam ipſam reſiſtentiam ob parem manifeſte rationem poſſe defendi, nullus dubito. Neque enim is ſolus in *Populi exitium ferri, ejuſque perdendi animum habere*, eſt cenſendus, vide §. 11. qui totius Populi hoſtem ſe aperte profitetur; ſed & is, cujus adminiſtratio notorie & pertinaciter ad Populi perniciem tendit: confer *Lockii d. Tract.* §. 210. Quin & Imperium, plane ut Matrimonium, in *commiſſi* cauſam poteſt cadere, vid. §. 12. ubi eſſentialia pacti, quo fundatur, capita ſunt violata, ejuſque conſtituendi finis eſt fruſtratus; licet *Clauſula commiſſoria* expreſſe adjecta non fuerit. Sic & qui jus adverſus ſe intra certum modum & in ordine ad certum finem alteri confert, non eget addere, *licitum ſibi fore reſiſtere*, vid. §. 14. ſi id forte, quod præſcriptum modum aperte excedit, vel a propoſito fine manifeſte abit, alter exegerit. Unde in primis, ſi Regis Imperium hoc expreſſo limite ſit circumſcriptum, ut *nullas ei Leges immutare, aut novas condere liceat, niſi conſentiente Populo*, per ſe, aut per delegatos ſuos in comitiis congregatos; cum hæc conſtitutio, ſive juxta mentem *Grotii* dicenda ſit *diviſio Summi Imperii inter Regem & Populum*, vid. §. 13. ſive non, includat ſaltem jus Populo competens, ne ad Legum, quibus non conſenſerat, obſervantiam adigatur; includit etiam facultatem reſiſtendi violentiæ, qua quis hoc Populi jus violare, id eſt, talium Legum obſervantiam exigere, easve in non obſervantes exequi, molitus fuerit: neque enim ullum aliud *Jus perfectum*, magis quam *Imperium*, intelligi poteſt ſine *facultate illud jus tuendi*; neque hæc facultas, circa alia Jura, magis quam circa Imperium, per Evangelium ſublata cenſeri debet. Non igitur ſine cauſa, doctrinam hujus §. 13. caſui, de quo hic eſt ſermo, applicandam cenſuit Nobiliſſimus Vir, Paciſque juxta ac Belli artibus Clariſſimus, (cunctis *ille Bonis flebilis occidit*) *Stannopius* in Judicio publico adverſus *Sacheverellum*.

Sed ſentio longius progreſſam, quam Inſtituti noſtri ratio ferebat, hanc diſquiſitionem; quam tamen haud vereor, ne æqui arbitri inopportunam duxerint, ſub imperio OPTIMI REGIS, cui nulla a Subditis fuit unquam, aut eſt, metuenda reſiſtentia, niſi ab Aſſertoribus doctrinæ omnem indiſcriminatim reſiſtentiam damnantis; quorum conatus hactenus profligati ut tandem aliquando ceſſent, vel ſemper ſint irriti, faxit Gentium *Britannicarum* Religioni & Libertati propitius DEUS. CARMICH.

§. V. A modo imperandi laxo vel adducto, imperium dividitur in abſolutum & limitatum: illud ſine conditionibus expreſſis defertur, hoc vero pactis circumſcribitur. Itaque ut limites iſti accurate cognoſcantur, formula delati imperii diligenter inſpicienda eſt, ne cum vulgo ex vocabulis & ſymbolis externis, ex promiſſione generali, vel e comitiis convocatis, omnia regna eodem modulo me-

chiis potiſſimum & Ariſtocratiis, alicubi ABSOLUTUM, alicubi LIMITATUM (z) deprehenditur. ABSOLU-

metiamur. vid. Grot. I. *c.* 3. §. 10—21. (2) Hobbeſius omne regnum facit abſolutum, Leibnitius omne limitatum: neuter accurate! Aliæ enim gentes molliore via haberi volunt, aliæ duriore, quæ libertatis dulcedinem nondum ſunt expertæ, ut Ægyptii apud Herodotum II. 147. Cappadoces, oblatæ libertatis munus abnuentes apud Juſtinum XXXVIII. 2. & Armenii apud Tacit. XIII. *Annal.* 34. Præterea ſicut privatus quisque in veram ſe conjicere poteſt ſervitutem, ita populus, ut major Principis ſit auctoritas, & minor facultas ſeditionum faciendarum, libertati ſuæ civili renunciare, aut ejus partem ſibi recipere poteſt; quandoque etiam vi bellica ſubactus eam in Principem conferre debet. Antiqua abſoluti imperii exempla Grotius dedit I. *c.* 3. §. 8. *n.* 8. recentia in Gallia, Hiſpania & Dania habemus. Neque vero (3) abſolutum imperium accipimus, quaſi nullos habeat limites juris naturalis & divini: id enim a natura rei alienum eſt. Salus populi in eo ſuprema quoque lex eſt, media autem eo tendentia ſolus eligit Princeps. Neque (4) deſpoticum & herile intelligimus, uti apud Turcas, Ruſſos & Perſas; quorum παμβασιλείαι non ſunt injuſtæ, ſi volentibus ſic imperatur. (5) Libertas naturalis ſub abſoluto, ſed civili imperio, non amittitur, Claudian. II. *Conſ. Stil.* 113.

Fallitur, egregio quisquis ſub Principe credit
Servitium: nusquam libertas gratior extat. OTTO.

(*y*) *Præterea Summum Imperium*]. Exſerit ſe aliquando Imperium Civile ſub habitu eodem, quo penes Imperantem exiſtit, tum *forma* & *modus adminiſtrandi* conſpirant; aliquando ſub diverſo, tum *forma* & *modus laudatus* differunt. Iſta omnibus ſimplicis Reipublicæ formis accidere poſſunt, ſed ſi Imperium ad unum, vel paucos, adminiſtratio vero aliquando ad ipſos, aliquando ad plures pertineat, evitando Imperii Civilis abuſui, cum hæc ſpecialior diverſitas diſcrimen Regni *abſoluti* & *limitati* producit, quod ad Monarchias & Ariſtocratias tantum quadrat. TITIUS.

(z) *Alicubi Limitatum*]. Sedulo hic eſt cavendum, ne cum multis hac in parte hallucinantibus ea confundamus invicem, quæ ſunt diverſa. Quippe Imperium *limitatum* ab una parte non deſinit eſſe *Summum:* nec *Monarchia* idcirco *limitata* confundenda eſt cum mero *Principatu:* illic enim, Princeps revera habet *Summum Imperium*, licet id non niſi intra certos limites in delatione Imperii ſtabilitos, vel forte unam aut alteram ejus partem non niſi conſentiente populo poſſit exercere: hic vero Princeps eſt illuſtris tantum *Magiſtratus*, cujus actus a Senatu vel Populo, vi ſuperioris Poteſtatis, poſſunt infirmari. Nec Imperium *Abſolutum*, ab altera parte, ubi *Civile* duntaxat intelligitur, confundi oportet cum *Deſpotico.* Omne enim *Civile* Imperium eſt poteſtas tantum alios regendi ad communem eorum, qui reguntur ſalutem, & Libertatis eorundem atque rerum conſervationem: neque *Abſolutum* aliter differt a *Limitato*, quam quod Imperans, hic intra certos præſcriptos limites, aut adhibito, ad media certi generis uſurpanda, aliorum conſenſu, illic ex proprio judicio, per media, quæ ipſi videntur optima, ad iſtos fines collineet. Imperium vero *Deſpoticum* eſt poteſtas aliorum operis vel rebus utendi pro lubitu, ad utilitatem ipſius Imperan-

Digitized by Google

SOLUTUM IMPERIUM (*a*) Monarcha habere dicitur, qui illud adminiſtrare poteſt proprio ex judicio, non

rantis: quale Imperium in univerſum aliquem Populum jure acquiri, & per ſuccedentia ſecula continuari poſſe non putaverim: ſupra enim oſtendi *Obſ.* 1. *in b. lib. c.* 4. §. 4 cauſam ſervilis conditionis Hominibus invitis imponendæ, non niſi ad paucos, nunquam ad integrum Populum, qui nunc eſt, atque adeo multo minus ad futura ejus individua, ſe extendere: & in eam certe conditionem qui ultro conſentire velint, ſunt longe pauciores. Sed neque uſus Soli, cujus beneficio Imperium Civile in perpetuum ſtabiliri ſupra diximus *Obſ. in b. lib. c.* 6. §. 9. cum ſubjectionis ſervilis obligatione poteſt connecti: nam Dominus quidem de re ſua jure poteſt diſponere pro lubitu; ſed ita, ut ea res inſerviat naturalibus uſibus, quorum cauſa eſt Hominibus a Deo conceſſa: unde non poteſt Dominus amplioris alicujus Soli, plurimis Hominibus, imo Familiis, ad habitationem ſufficientis, recte exigere, ne quis in eo Solo degat, niſi qui Deſpotici ſui Imperii jugum velit ſubire; neque talis conditionis imponendæ jus ad alium quempiam poteſt transferre: iniqua enim iſta, nec Hominibus toleranda, conditio, tenderet ad effectum Divinæ benignitatis, qua Telluris ſuperficies Humano Generi ad habitationem eſt conceſſa, eatenus intervertendum.

Poteſt nihilominus Imperium *Civile*, non *limitatum* modo, ſed & *abſolutum*, in integros Populos, imo & *deſpoticum* in certos quoſdam Homines, jure ſtabiliri. Imperium vero aſſumptum ab eo, cui jure non convenit, vel ab eo, cui convenit intra certos limites, notorie & pertinaciter extra eos limites exercitum, dici ſolet *Tyrannicum*: unde Imperium limitatum, ſi exerceatur ut abſolutum, abſolutum civile Imperium, ſi exerceatur ut deſpoticum, imo ipſum deſpoticum, ſi per intolerabilem & brutalem in ſervi corpus ſævitiam exerceatur, *Tyrannidis* ſtigmate eſt notandum. Patet quippe ex dictis, omne Humanum adverſus alios Homines Imperium ſuos habere fines atque limites; adeoque nullum eſſe, quod non admittat certos abuſus, quibus juſta reſiſtentia poſſit opponi. Quod ad jus attinet, aliquem occidendi ex cauſa Delicti capitalis; hoc (quod in ſtatu naturali cuivis promiſcue convenire ſupra docuimus) non niſi improprie admodum diceretur *Imperium*; & tamen illi ipſi quem quis occidendi jus haberet, poſſet intentare injurias, quibus is non modo licite poſſet, ſed deberet reſiſtere: ut ne hoc quidem caſu, homini adverſus hominem licentia competat in infinitum.

Divinare non poſſum, quo conſilio D. *Spavan* in Epitome *Anglicana* Operis *Puſendorfiani* de Jure Naturæ & Gentium, illuſtrata Notis, ut ipſe ait, e *Barbeyracii* penu petitis, ad hæc Auctoris verba allegandum cenſuit (cujus apud *Barbeyracium* nulla eſt mentio) paragraphum e *Mackenzii* noſtratis *Jure Regio* deſcriptum, qui ab his verbis inchoatur, *Neque non valde laudare Majores noſtros, qui prudenter adeo Monarchiam abſolutam elegerint*, &c. quibus an non ſibi ipſe contradixerit *Mackenzius*, Monarchiam abſolutam hic a Populi electione repetens, quam alias ab ipſo Deo & Natura conſtitutam ſolicite inculcat, omitto quærere; quod vero, nulla addita cautela, abſolutam prædicet Monarchiam *Scotorum*, apud quos neque Leges condere, neque tributa indicere, niſi conſentientibus Regni Ordinibus, penes Regem unquam fuit, non æque poteſt ferri; cum ita conſtitutum Imperium Scriptoribus

non ad normam certorum ac perpetuorum ſtatutorum, ſed prout præſens rerum conditio videtur exigere, quique adeo proprium ad arbitrium ſalutem

bus Politicis non abſolutam ſed limitatam dici Monarchiam, ſatis conſtet. Ad ratiunculas vero quod attinet, quibus idem loco citato & paſſim in eodem libro notiſſimam Patriæ ſuæ conſtitutionem conatur vellicare, hæ, cum ipſo fatente non plus ponderent, quam Auctoritas decretorum, a Patronis ejus [*Oxonienſibus*] paulo ante editorum, digniſſimæ erant quæ iisdem flammis in fumum veherentur. [Vide dicti Libri Epiſtolam Nuncupatoriam, & confer *Judicium adverſus Sachaverellum*, in fine.] Quod tamen ita acceptum nolim, quaſi non bene multas propoſitionum iſtis decretis damnatarum ipſe æque deteſtarer; aut quaſi antiquiſſimæ & celeberrimæ Academiæ, juſtiſſimæ, quam apud omnes Literarum cultores obtinet, exiſtimationi, quidquam ego detractum irem: illa, ut omnigenæ eruditionis laude ſemper floruit; ita juſtæ libertatis cauſæ aſſerendæ aliquando non defuit, nec ei adverſantes ſententias in perpetuum, ut ſperamus, eſt fotura. Carmich.

(*a*) *Abſolutum Imperium*]. Hoc ſatis Auctor explicat, eleganterque amplius illuſtrat *l.* VII *c.* 6. §. 8. 9. ex quo patet, abſolutum Imperium non dici, quaſi *nullos habeat limites*, ſed quod *peculiaris adminiſtrandi ratio* expreſſe non ſit præſcripta. Titius

Hoc quam alieniſſimum eſt a libertate hominis, quam natura intendit, nec rationi convenit, ſe abſolute alicujus hominis poteſtati relinquere, de cujus ſapientia & virtute certi eſſe non poſſumus, quod omnia ex utilitate & ſecuritate noſtra ſit expenſurus. Nec permiſſum eſt, ſuæ conſervationi renunciare, eamque abſolutæ voluntati hominis committere. Vid. *tr. du pouvoir des rois de la grande Bretagne p.* 29. *ſqq* Rich. Steele *criſis p.* 8. *in Beylagen bey dem vereinigten Groſs-Britannien.* Nec poſſibile eſſe arbitror, ullum hominem tantæ eſſe inſaniæ, ut cujusdam hominis arbitrio ita ſe ſubjecerit, ut poteſtatem habeat de vita ſua pro lubitu diſponendi, juribusque humanitatis ſe exeundi, utcumque placuerit. Abſolutum igitur imperium, i. e. ut vulgo concipitur, jus nullis plane limitibus finitum dirigendi actiones civium ex ſolo arbitrio eſt merum non-ens, quod quidem a potentiſſimo quovis prætenditur, ſed plerumque cum ipſo facto & uſurpatione regiminis abſoluti confunditur. Hobbesius quidem *de cive c.* 6. abſolutum ejusmodi imperium ſtabilire ſatagit, ſed incidit in politicam cerebrinam, qua monente Furstenerio *de ſuprematu princ. Germ. p.* 49 *ea omnia, quæ incommoda trahere poſſunt, nullo non modo ferenda exiſtimat: quod tamen alienum eſt a natura rerum.* Idcirco *p.* 51. addit: *imperia Hobbeſiana neque apud moratiores gentes neque apud barbaros exſtare arbitror, neque poſſibilia, neque optanda cenſeo, niſi illi, penes quos ſumma rerum eſſe debet, angelicis virtutibus polleant: tamdiu enim homines retinendam judicabunt propriam voluntatem, ſuæque ſaluti, prout optimum videbitur, conſulent, quamdiu de rectorum ſumma ſapientia & potentia perſuaſi non erunt, quod ad perfectam voluntatis reſignationem neceſſe eſt. Locum ergo demonſtrationes Hobbeſianæ in ea tantum republica habent, cujus rex* Deus *eſt: cui ſoli tuto per omnia confidi poteſt.* Vid. quæ tot. *c.* 5 *l. I. part. ſpec. jur. publ. un. contra* Hobbesii doctrinam diſputat Boehmer. Nec hic ſervitutis rationem, nec dominium objicere licebit: quæ omnia diligenter expedivit Noodt l. c. &

Biel-

lutem Reipublicæ, prout ejuſdem tempora poſtulaverint, procurat.

J. N. & G *l.* vii. *c.* 6. §. 7.

Verum quia unius hominis (*b*) judicium ab errori- VI. Alibi certis limiti-

Bielfeld *diſſ. de imperii alienatione*, *Lugd. Bat.* 1710. *ed. c.* 1. §. 12. Treuer.

§. VI. Leges fundamentales, improprie pro pactis publicis acceptæ, frequentius vulgo jactantur, quam intelliguntur. Nemini autem dubium eſſe putem, in fundando imperio populum conſtituere poſſe, ſecundum quæ Respublica exerceatur: idque bifariam: (1) Ut regnum ſit *Temperatum*, ubi populus cum Rege in exercitio unius vel plurium regalium concurrit, vel (2) *Mixtum*, ſi ſummum imperium per partes potentiales dividitur, ut quædam populus, vel Proceres, ſine Rege gerant. Utriusque generis limitatio in regnis *ſucceſſivis* fit per leges fundamentales; qualis eſt *Magna Charta*, Auguſtiſſimum Anglicanæ libertatis diploma, & Corpus privilegiorum, ſub Henrico III. devotione horrendi carminis ſancitum, apud Rapin. *Hiſt. Angl. t. II. l.* VIII. *p.* 344. In regnis autem *electivis* fit per Capitulationes; uti apud Germanos & Polonos. (3) Hobbeſius *de Cive c.* 7. §. 17. negat, Monarchas, niſi volentes, obſtringi, ſi quid jurato vel injurato promiſerint, propter quod ſummum imperium per conſequens exerceri non poſſit. Diſplicet id Hubero *de Jur. civ. I. ſect.* 3. *c.* 4. nec ſane ad Capitulationes rumpendas valere poteſt; quia Reges electi, quum privati erant, aut eligentibus æquales, conditiones, ſi diſplicerent, recuſare poterant; id quod quum factum non fuerit, plus ſibi, quam eſt delatum, arrogare nequeunt. *Voluntatis eſt ſuscipere*; *neceſſitatis conſummare*, ait Paulus in *l.* 17. §. 3. *D. commod.* Maxime, quia Regibus fides jurisjurandi ante omnia alia ponenda eſt, ut Guntherus cecinit, *Ligur. III. vſ.* 511.

Nudo jus & reverentia verbo
Regis ineſſe ſolet, quovis juramine major.

(4) Neque juvabit illos argumentum, ex Jure Regio, 1 *Sam.* VIII. *vſ.* 11. deſumtum: id enim Deus ſoli Hebræorum populo, in pœnam ſpreti divini imperii, dictavit, nec quicquid ſub vetere Teſtamento impune fuit, in novo Teſtamento eſt licitum. vid. *Hoſ.* XIII. *vſ.* 10. Præterea non una de illo *Miſpat Hammelech* virorum eruditorum eſt ſententia: (a) Salmaſius, Zieglerus, Bœclerus & Puſendorfius verum jus regium intelligunt; quod ex dominio eminente & abſoluto Regum Judaicorum imperio proficiſcatur. (b) Ex Scaligeri, Clerici, Huberi, & Schultingi mente, merum factum & conſuetudinem pravam imperantium notat; etiamſi vocabulum Hebraïcum non per *mos*, ſed per *jus* reddatur, quod ipſum & pravum morem ſignificat, ut in *l.* 5. *D. de leg. pomp. jure latronis interficere.* (c) Grotius I. *c.* 4. §. 3. & Sam. Bochartus *t. II Op. pag.* 1006. facta illa Regum injuſta quidem fore, juris tamen effectum habitura, ajunt; pariter ac Prætor jus dicit, etiam cum inique decernit, & ſervus impune a domino, filius a patre male habetur. Atque hæc verior eſt explicatio: nam ſicut Moſes officium Regis *Deut.* XVII. *vſ.* 14. deſcribit. ita Samuel populum hic mo-

bus circumſcriptum. roribus non eſt immune, & voluntas in prava flexilis, in tanta cumprimis libertate; quibusdam populis conſultum viſum, ejus IMPERII EXERCITIUM CERTIS LIMITIBUS CIRCUMSCRIBERE. Id quod factum (*c*), dum ad certas leges (*d*), circa adminiſtrationem partium imperii, in delatione regni,

moneat officii ſui; non aliter ac Petrus Apoſtolus ſubditis præcipit, ut ſubjecti ſint cuivis humanæ ordinationi propter Dominum; & famulis, ut pareant dominis, non ſolum bonis & æquis, ſed etiam pravis I. *Epiſt.* 2. *vſ.* 13. & II. *Ep.* 2. *vſ.* 9. OTTO.

(*b*) *Verum quia unius hominis*]. Evitando Imperii Civilis abuſui, exercitium certis limitibus circumſcribi ſolet, unde oritur *Regnum limitatum*, quod licite fieri poſſe, contra inſulſas nonnullorum rationes ſatis oſtenditur *d. l.* VII. *c.* 6. §. 9. TITIUS

(*c*) *Id quod factum*]. De cætero non quævis Regum promiſſa limitationem ejusmodi involvunt, ſed ea demum, quibus expreſſe & adæquate illa conſtituitur, vid. *d. c.* 6. §. 10. pro diverſitate autem negotiorum, vel pactis perpetuis, vel adjuncto concilio, exercitium Imperii Civilis circumſcribitur, *d. c.* 6. §. 11. 12. ſed niſi maſcula prudentia exceſſibus tempeſtive occurratur, illa omnia callidis hominibus eludere haut fuerit difficile.

2. De cætero, uti falſus eſt Hobbeſius, quando diſcrimen Regni abſoluti & limitati in dubium vocat, aut non plus cautionis ab Imperii abuſu eſſe, ſive hoc, ſive illud concedatur, contendit, vid. *d. c.* 6. §. 13. ita ex hactenus dictis conſtat. Regna abſoluta & limitata non differre *poteſtate legitima*, quæ utrobique eadem eſt, ſed *modo eam exercendi*.

3. De cætero præſtat quidem Regnum abſolutum limitato, quoad *celeritatem operandi*, ſed cum hæc in abuſus nimis pateat, ideo inde ejus prærogativa non eſt aſſerenda, ſed dicendum potius, quod limitatum rebus humanis melius conveniat, ut forte aſſerendum ſit, nunquam Regnum aliquod abſolutum libera voluntate, niſi forte ab aliquo Arcadici ingenii populo eſſe conſtitutum, ſed ejus generis Imperia violentis & callidis machinationibus eſſe introducta. IDEM.

(*d*) *Ad certas leges*]. Non eſſe has *Leges* proprie ſic dictas, ſeu præcepta quaſi a *Superiore* profecta, ſed *Pacta*, vel *Articulos* potius *Pacti fundamentalis* quo Imperium defertur, intelligi poteſt ex obſervatis ad ſuperiores hujus Capitis paragraphos: unde etiam facile colliguntur ſequentia Conſectaria. 1. Imperium Civile, etiam ubi eſt ampliſſimum, dicitur *Abſolutum*, non *ſimpliciter*, ſed *ſecundum quid*, i. e. non quaſi excludens *omnes* limites, ſed limites tantum *ſpecialiter expreſſos*, quique ex ipſo Civitatis conſtituendæ fine ſua natura non fluunt. 2. Non modo *generales*, ſed & *ſpeciales limites* Imperii poſſent eſſe validi, etiamſi Imperans nullam in ſe *Obligationem* ſupponeretur ſuſcepiſſe: ut enim quis non ultra certos limites obſequium debeat, ſufficit, quod ipſe ſe ulterius non obligaverit. Et tamen a Civilis Imperii conſtituendi fine prorſus abhorret, ut vel univerſi, vel ſinguli, illud in ſe gerendum alicui credantur deferre, quem non intelligunt viciſſim ad illud gerendum obligari, idque ad fines, quorum intuitu, & intra limites, ſub quibus, eſt delatum: quæ certe obligatio, quatenus poſitivos actus reſpicit, non

gni, Regem adſtrinxerunt; & ſi quando negotia, ſummam rerum ſpectantia, quæque in anteceſſum definiri nequeunt, inciderent, voluerunt ea ſuſcipi, non niſi præſciente & conſentiente populo, aut

non aliter quam pacto poteſt conſtitui. 3. Neque *Pactum*, neque *ſpeciales* Imperii *Limites* pacto conſtituti, (ne quidem ſi iis caveatur, ut certos Imperii actus ſine Populi conſenſu Imperans exercere nequeat) *Populo*, ab Imperante contra diſtincto, ullum *Imperium*, nedum in ipſum Regem exercendum, tribuunt. 4. Ut juſta dicatur, quæ Imperanti in extremis quibusdam caſibus opponitur, *Reſiſtentia*; neque opus eſt ad *Pactum*, quo ipſe Imperans ſeſe obligavit, confugere, neque *ſpeciales* Imperii *Limites* ſupponere, multo minus *Imperium* ejusve partem ipſi *Populo* aſſerere: ſufficit, manifeſte excedi illos limites, qui ex ipſo Civitatis conſtituendæ fine ſatis intelliguntur. Nec tamen inficior, multo facilius procedere hoc judicium, & longe promptiora ſuppetere tuendæ Libertatis media, ubi ſpeciales Imperii limites, poſitiva aliqua conſtitutione, vel uniformiter recepto more, ſunt ſtabiliti; ut non ſit dubium, quin publicæ Saluti multo melius cautum ſit, in Monarchia vel Ariſtocratia limitata, quam in abſoluta. 5. Locum habet regulariter, quod monet Auctor, de *J. N. & G. l.* VII. *c.* 6. §. 7. *in fine*, in omni Civitate proprie dicta exiſtere *Imperium abſolutum*, ſaltem *habitualiter*, ſi non ſemper *exercitio*; cum id quod *Regi*, vel *Senatui*, in ulla Civitate, ad abſolutum Imperium deeſt, intelligatur eſſe penes *Populum*, & ab eo ſuppleri poſſe: nec enim facile uſu venit, ut *ſinguli*, dum civilem ſtatum ineunt, ſpeciales limitationes ſive exceptiones addant Pacto, quo voluntatem ſuam ſubjiciunt voluntati univerſorum: quas tamen ſi conſtaret fuiſſe additas, validas fore non eſt dubitandum. Hinc a ratione haudquaquam abhorret, ut duæ *integræ Civitates*, ſi in unam coire velint, certa *peculiaria Jura*, Imperii Civilis diſpoſitioni alioquin obnoxia, ſingulæ excipiant, ut quæ, nec Principis, nec univerſæ Civitatis ex duabus unitis conflandæ, arbitrio ſubjiciunt. Hujusmodi *Reſervationes* abſurde quis occineret eſſe leges tantum priores, quibus per poſteriores poſſet derogari; cum manifeſtum ſit, per illas, alteri unitæ Civitatis parti acquiri, aut potius retineri, aliquod *Jus*, quod ei nolenti recte eripi non poteſt; velle autem ea pars non cenſetur per voluntatem univerſorum, ſive majoris partis, in eo quod majoris partis arbitrio expreſſe exemptum voluit. Jura itaque in ipſa coalitione Civitatis iſthoc modo reſervata, æque ſunt valida, & propter eandem rationem (internam ſc. qualitatem conſenſus, quo Imperium defertur) alteri parti Civitatis adverſus totam; atque Jura in delatione Monarchiæ limitatæ reſervata, ipſi Populo valida ſunt adverſus Regem. Sed & in hoc caſu aliqualiter ſuſtineri poteſt ſupra recitata Auctoris noſtri doctrina: Si enim, quod Regi ad abſolutum Imperium deeſt, non ſit penes Populum per modum Univerſitatis, ut communi Populi decreto poſſit ſuppleri; ſaltem, quod Regi & univerſo Populo deeſt, eſt penes Populi partes ſeorſum ſumptas, ut a conſentiente ſingularum partium voluntate ſuppleri poſſet: Civitatem quippe ſupponimus perfectam, atque adeo a nulla externa voluntate pendentem. Non tamen in his, pro conſenſu alterutrius partis, haberi debet conſenſus Delegatorum ejus par-

 tis

aut ejuſdem deputatis, in comitia convocatis (*e*), ut eo minor occaſio Regi præbeatur a ſalute regni aberrandi.

J. N. & G. *l.* vii. *c.* 6. §. 8—13.

VII. Regna habentur in

Solet denique (*f*) in regnis occurrere aliquod diſ-

tis ad Concilium ex univerſis: Hi enim in iis tantum, quæ illi Concilio definienda ſunt relicta, eorum, a quibus delegantur, voluntatem repræſentant. Carmich.

Minus recte limites illos leges appellaveris; quum neque a ſuperiore proficiſcantur, neque legis naturam contineant; ſed potius pactorum *fundamentalium* nomine appellandi ſint, & pacti ac promiſſi ingenium præ ſe ferant: ideo in procemio *capitulationis*, quam vocant, *Cæſareæ* ponuntur illa: *Regem Romanorum ante electionem conſenſiſſe in appoſitos articulos ad modum pacti.* Vid. Hornius *l. II. de civit. c.* 10. §. 6. Schweder *introd. in jus publ. G. c.* 2. *p.* 23. *ſq.* Treuer.

(*e*) *In comitia convocatis*]. Quorum voluntas in iis, de quibus ut deliberent ſunt jure convocati, quæque adeo in eorum mandato, ſeu ſpeciali, ſeu generali, continentur, pro voluntate Populi habetur. Carmich.

§. VII. Auctor hujus diviſionis in regna patrimonialia & uſufructuaria eſt Grotius I. *de J. B. & P. c.* 3. §. 12. quem Huberus *de jure civ. l. I. ſect.* 3. *c.* 2. & Hert. *Prud. civ. p. I. ſect.* 11. §. 9. ſequuntur. Hotmanus vero *Ill. quæſt. c.* 1. Feldenus & Henniges *ad Grot.* acriter eam impugnarunt, & Thomaſius *ad Hub. d. l.* ac *Inſt. Jurisprud. div. III. c.* 6. §. 133. rem ſic magis implicari, quam extricari contendit: denique Cel. etiam Heineccius *Elem. jur. nat. II. c.* 7. §. 148. regnum, quod ſit in patrimonio, deſinere eſſe Rempublicam & in familiam degenerare, exiſtimat. (2) Verum ſi tollas logomachiam, idem eſt, quam ſi dicas, alia regna civilia alienari poſſe, alia non item. Neque enim *patrimoniale* regnum hic notat, in quo omnia ſubjectorum bona ſunt in patrimonio Principis, qualia apud barbaros Indos, in imperio Habeſſiniorum & magni Mogolis reperiuntur. Nec quale Ægypti regnum olim fuit, ex pacto civium cum Pharaone, *Geneſ.* XLVII. *vſ.* 13. Non denique herile & deſpoticum, ut Turcarum, Ruſſorum & Perſarum; ſed in quo jus imperandi, ex pacto civium vel jure victoriæ, a Rege dividi, & inter vivos vel mortis cauſa alienari poteſt. (3) Vox autem *uſusfructus* minime in ſtrictiore juris Romani ſenſu ita eſt capienda, ut populus proprietatem majeſtatis, Rex uſumfructum imperii habeat: verum ſicut fructuarius, cedendo extraneo, nihil agit, ſimiliter Rex de ſucceſſore nihil diſponere valet. (4) In patrimonio igitur eſt imperium Sinenſium, cujus Princeps ex domo regnatrice, vel ex civibus ſuis, ſucceſſorem eligit, auctore le Comte *de Statu Chinæ, ep.* 9. Eodem quodammodo pertinent regna Hiſpaniæ, Mauris erepta; quæ crebro paternis teſtamentis, ſed heredibus legitimis, raro extraneis, niſi populi vel Procerum accedente conſenſu, delata fuerunt, uti Cabotius, variis ex Vaſæo, Roderico & Marinæo collectis exemplis, oſtendit *Var. jur. diſp. I. c* 10. (5) Contra in regnis, populi voluntate

discrimen, circa modum habendi regnum (g), qui non in omnibus æqualis deprehenditur. Quidam enim Reges dicuntur regnum ſuum habere in Patrimonio, ita ut illud pro lubitu dividere, alienare, transferre poſſint, in quemcunque voluerint. Quod potiſſimum contingit illis, qui armis

patrimonio, vel uſufructu.

tate delatis, quamvis abſoluta ſint & hereditaria, alienatio vel diviſio imperii in liberos homines, velut in privata ſervitia, Regi non permittitur: quapropter Caroli M. & Ludovici Pii teſtamenta, in quibus regnum inter liberos diviſum erat, Proceribus firmanda oblata ſunt. vid. Eginharti *Vita Car. M. cap.* 30. ibique Cl. Sminckius *in notis*. Atque ita, niſi fallor, omnia tranquilla erunt, quæ fluctus ciere videbantur: etiam Seneca nobiſcum ſentiet VII. *de Benef. c. 6. Cæſar omnia habet, fiſcus ejus privata tantum, ac ſua: & univerſa in imperio ejus ſunt in patrimonio propria. Quid ejus ſit, quid non ſit, ſine diminutione imperii quæritur: nam id quoque, tanquam alienum, abjudicatur, aliter illius eſt.* Otto.

(*f*) *Solet denique*]. Quoad *modum habendi* Regna, ſic breviter dicendum. Quidam habent Regnum in patrimonio, id eſt, cum *libera alienandi poteſtate*, ut qui bello eadem ſibi acquiſiverunt (niſi pace ſecuta aliud actum ſit) vel in quos ea lege illa ſunt collata, quod tamen non facile præſumendum, quidam ſine *alienandi jure*, idque iterum vel *ad tempus*, vel *quamdiu vivunt*, & hoc vel ſimpliciter *intuitu perſonæ ſuæ*, vel cum *jure tranſmittendi ad poſteros*, vid. *l.* VII. *c.* 6. § 14. 15. 16. 17. Omnibus illis caſibus, verum quidem adeſt Imperium, ſed diverſum habendi modum illius auctoritatem ac ſplendorem intendere vel elevare, certum quoque eſt. Titius.

(*g*) *Circa modum habendi regnum*] Hujus diſcriminis ratio, quæ poſſet eſſe, & vulgo prætenditur, intelligi poteſt ex ſupra obſervatis in *cap.* 6. §. 9. Ubi enim totius Regionis dominium ipſi Regi ſemel quæſitum intelligitur, atque ab hoc demum ad Subditos derivatum, quicquid illi juris habent in ſingulis ejus partibus; illic erectum præſumitur Regnum *Patrimoniale*, idque *uno* fere *Pacto*, quo ſinguli Cives, in iſta Regione ſedem figentes, ſe, ſuosque in ejusdem terræ dominio utili, vel uſu qualicunque, ſucceſſores, dicti Regis, juſtorumque ejus Succeſſorum, ſupremorum ejusdem terræ Dominorum, Civili Imperio ſubjiciunt; ejusdem Imperii protectionem, cum uſu juris in Solo ſibi quæſiti, viciſſim ſtipulantes. Illic contra, ubi Regionis, cujus ſingulæ partes ſunt in dominio ſingulorum, commune Imperium a Dominis ad Regem defertur; erectum cenſeri debet Regnum *non Patrimoniale*; quod plerumque fit per *ſecundum Pactum*, ab originariis puta Civibus, ſingulorum fundorum Dominis, *priore Pacto* jam ante in unum perpetuum cœtum conjunctis: qui, cum in Imperio huic deferendo ipſius perſonæ conſideratione permoti intelligantur, ne quidem ad poſteros ejus illud tranſmittendum concedere ſunt putandi, niſi id expreſſe dixerint; quo caſu eorundem eſt Succeſſionis ordinem definire. Atque hanc Civitatis & Imperii Civilis conſtituendi rationem, ejusdem naturæ atque fini maxime conſonam eſſe, res ipſa clamat. Quo jure, quave injuria illud univerſale Regionis dominium, in quo Imperium Patrimoniale fundari ſupponi-

Digitized by Google

mis regnum ſibi quæſivere (*h*), ac ſuum ſibi populum ipſi fecerunt. Reliqui autem Reges, qui ultro a populo ſunt adſciti, etſi ſummo jure imperium exerceant; regnum tamen pro lubitu dividere, alienare, aut transferre nequeunt; ſed in eo ad ſucceſſores demittendo legem fundamentalem, aut

nitur, ab uno acquiri poſſit, paulo inferius inquiretur. Hic interim notamus, etiam tali dominio ſuppoſito, non hominum Civile Imperium eſſe *in Patrimonio*, ſed Regionem, atque adeo Jus uberiora illa, quæ Dominium conſequuntur, emolumenta ex ea percipiendi: quod jus, utcunque cum Civili Imperio hic conjunctum, cum eo tamen minime eſt confundendum: illud enim propriam Imperantis, hoc omnium & ſingulorum, utilitatem reſpicit: ſingulorum quippe jura, licet forte hic anguſtiora quam ſub aliis quibusdam Imperii formis, non tamen minus ſunt valida, aut Imperanti minus religioſe tuenda: imo nemo Civilis Imperii idoneum eſt objectum, niſi quatenus certa habet jura adverſus omnes mortales valida: adeo longe Imperium *Civile*, quantumvis abſolutum, diſtat a *Deſpotico*. Carmich.

(*h*) *Qui armis regnum ſibi quæſivere*]. Vide ſequentis Cap. §. 2. cum Obſervatione. Idem.

(*i*) *Cum uſufructuariis*]. Reges, de quibus hic eſt Sermo, ſi tantum ad vitæ terminum regnum teneant, non ad ſuos transmittendum, eatenus comparantur cum *Uſufructuariis*: ſi vero illud juxta certum ordinem poſſint ad ſuos transmittere; hæc habent communia cum *Feudatariis*, quod nec ſuo arbitrio Regnum alienare, nec ſuccedendi ordinem mutare, nec denique Regni Succeſſorem, qua talem, privatis ſuis debitis onerare, valeant: quippe, ſicut illic a *Superiore*, ita hic a *Populo*, ſuccedendi ordo eſt ſtabilitus: non tamen ulterius extendi oportet hanc analogiam, quaſi Regii Imperii Summitati & Dignitati quidquam per hoc detraheretur, quod non habeatur *in Patrimonio*. Idem.

Incommode hunc terminum a Grotio adhiberi *de J. B. & P. l. I. c.* 3. §. 11. Grotiique veſtigia legiſſe auctorem noſtrum monet Titius ad h. l. eam ob cauſſam, quod exinde colligi liceat, regni uſumfructum penes principem, proprietatem penes populum manere, populumque hac ratione rege eſſe ſuperiorem. Pufendorfius quidem *diſſ. de interregnis* §. 2. *p.* 283. illam ipſam obſervationem proponit, & addit, ita ſimile hujus termini ultra tertium extendi, *Grotiumque non dicere, reges, qui conſtituuntur voluntate populi, habere dumtaxat uſumfructum ſummi imperii, aut imperium non eſſe ipſorum, ſed populi, ipſosque alienæ poteſtatis gerere adminiſtrationem: ſed iſta locutione modum habendi imperium dumtaxat imminutum innuere, dum non, ſicut qui regna ſua in patrimonio habere dicuntur, regnum poſſunt alienare & pro lubitu in quemvis transferre.* Si tamen dicendum, quod res eſt; tota illa diviſio regni in patrimoniale, ubi imperans dicitur habere facultatem alienandi imperium, manet ambigua & inadæquata, nec non ad ſpecialiſſima facta populorum pertinet: non vero ex pacto, quo imperium & obſequium conſtituitur, per ſe reſultat. Quod enim principes jus habeant alienandi, id de nullo regno probari poterit, niſi ubi expreſſa conventio ea de re fuerit adjecta, cujus præter Ægyptiorum cum Pharaone pactum vix ullum occurret exemplum, adeoque nec in

aut conſuetudinem, in populo receptam, ſequi tenentur; eoque a quibusdam certo reſpectu cum usufructuariis (*i*) comparantur (*k*).

J. N. & G. *l.* vii. *c.* 6. §. 14—17.

in dubio præſumitur. Sed quod exempla alienationum, quæ omni tempore facta eſſe clamat hiſtoria? Illa omnia citra juris intuitum per uſurpationem imperantium patrata fuiſſe quivis intelligit, qui cum celeb. Coccejo *diſſ. de teſtamentis principum c.* 2. §. 17. perpendit, alienationis talismodi vel effectum non habuiſſe, vel conſenſu populi tacito vel expreſſo factas, aut poſtea tacite ſaltem approbatas fuiſſe, vel etiam vim in iis prævaluiſſe. Vid. omnino Thomas. ad Huber. *de civit. l. I. ſect. III: c.* 2. *p.* 69. & quæ infra ad *cap.* 15. §. 6. dicentur. Treuer.

(*k*) *Comparantur*]. Tertium comparationis in eo conſiſtit, quod ſicut uſufructuarius jus ſuum alienare nequit, ita nec talis Rex Imperium. Eo usque autem comparatio non eſt extendenda, ut populum proprietatis velut jure frui, adeoque Rege eſſe ſuperiorem, contendamus. Titius.

Ca-

Caput X.

De Modis adquirendi Imperium, in primis Monarchicum.

Summaria.

I. *Modus acquirendi imperium duplex:*
II. *Violentus per occupationem,*
III. *Ultroneus per electionem,*
IV. *Quam præcedit interregnum.*
V. *Succeſſio dupliciter conſtituitur,*
VI. 1. *a Monarcha in regno patrimoniali.*
VII. *Quid præſumatur, ubi is nihil diſpoſuit:*
VIII. 2. *a Populo in uſufructuario.*
IX. *Qualis in regno hereditario.*
X. *Succeſſio linealis,*
XI. *Cognatica, vel agnatica.*
XII. *Lites de ſucceſſione a quo dirimantur?*

Grot. *de* J. B. & P. *l.* II. *c.* 7. §. 12—37. *l.* III. *c.* 8.

I. Imperium adquirendi duplex modus:

Quanquam ad quodvis (*l*) Imperium legitimum conſtituendum consensus ſubjectorum

§. I. Fundamentum imperii legitime acquirendi eſt conſenſus liberorum hominum, tacite vel expreſſe, ultro vel mixta voluntate declaratus; quia omnis imperans pacto conſtituitur, ut ſupra vidimus *c.* 6. §. 9. Atque hoc ita in Ariſtocratiis, maxime vero in civitatibus Monarchicis obtinet, ut rubrica capitis indicat. In Politia vero Imperantes & ſubjecti non phyſice, ſed moraliter diſtinguuntur. Otto.

(*l*) *Quanquam ad quodvis*]. Acquiſitionis fundamentum eſt *Conſenſus*, qui tamen non eodem ſemper modo ſe habet, hinc diverſi acquirendi modi diſtingui ſolent. Eſt autem modus ille non tantum *ultroneus* & *violentus*, quod §. 1. *h.* in-

rum requiratur; is tamen non ubique pari modo elicitur. Interdum enim PER VIOLENTIAM BELLICAM (*m*) aliqui adiguntur in victoris imperium conſentire; interdum ULTRO ad aliquem Principem conſtituendum cives accedunt.

J. N. & G. *l.* VII. *c.* 7. §. 1, 2.

Modus adquirendi imperii VIOLENTUS (*n*) ſolet vo- II. Violentus per occu-

inculcatur, ſed & *mixtus*, quando Imperanti ſceptrum vi quidem excutitur, novus vero Imperans libera voluntate a populo aſſumitur.

2. Cæterum non quævis Maieſtas, in Republica conſtituta, iſtis modis acquiritur, quod velut, per modum prolegomenorum, paucis hic tractare liceat. Quod igitur attinet Majeſtatem *Democraticam*, illa, iſtis modis præſuppoſita Democratia, non obtinetur, quia ejus ſubjectum eſt perpetuum & invariabile iſto rerum ſtatu, ſed præſuppoſita Ariſtocratia, non Monarchia, acquiri eadem poteſt *modo ultroneo*, ſi Optimates aut Monarcha populo Imperium reſignent, nec non *mixto*, ſi Optimatibus, vel Rege, vi expulſis, Democratia introducatur, quæ libertas democratica legitima eſt, ſi vis fuerit juſta, vel prior Imperans in amiſſionem ſui juris conſenſerit, vid. *l.* VII. *c.* 7. §. 5. non etiam *violento*; neque enim populus in ſe ipſum vi Imperium acquiſiviſſe dici poteſt *d. c.* 7. §. 1. licet aliter ſentire videatur Dn. Thomaſ. *J. J. D. l. III. c.* 6. §. 92.

3. Majeſtas *Ariſtocratica*, præſuppoſita Ariſtocratia, regulariter etiam perpetua eſt, nec de ſucceſſione quæritur. Poterit tamen locum aliquando habere modus *ultroneus*, ſi optimatibus omnibus extinctis alii eligantur; *violentus*, ſi prioribus pulſis, alii per vim in populum ſibi Imperium arrogent, & *mixtus*, ſi prioribus per vim ejectis victores ultro a populo aſſumantur. Præſuppoſita autem Democratia, locum aliquando invenit modus *ultroneus*, populo optimatibus Imperium deferente; *violentus*, ſi aliqui per vim ſibi Imperium afferant, non etiam *mixtus*, nam idem populus non poteſt ſimul cogi & libere agere. Præſuppoſita denique Monarchia, locus eſt nonnunquam modo *ultroneo*, ſi Monarcha, populi conſenſu, Optimatibus Imperium deferat, *violento*, ſi Monarcha per vim ejecto in populum eodem modo aliqui ſibi Imperium acquirant & *mixto*, ſi Imperante pulſo ultro a populo victores aſſumantur, add. *d. c.* 7. §. 2. ſed cum ſucceſſio in Democratiis plane locum non habeat, in Ariſtocratiis rara ſit, præterea rariſſime aliæ civitates in Democratias aut Ariſtocratias mutentur, ideo quæ de acquiſitione & translatione Imperii Civilis docentur, potiſſimum ad Majeſtatem *Monarchicam* pertinent. Titius.

(*m*) *Per violentiam bellicam*]. Hæc diſtinctio (ut recte monet Auctor de *J. N. & G. h. t.* §§. 1. & 2.) non ad Imperia *Democratica*, quod ad primam eorum conſtitutionem, ſed ad *Ariſtocratica*, & præcipue *Monarchica*, pertinet; licet Democratiarum quoque incrementis eam applicari nihil vetet. Carmich.

§. II. Occupatio victoris differt ab occupatione rei nullius pacifica,

Digitized by Google

pationem, ejusque titulus: vocari Occupatio (*o*), quando ſcilicet aliquis, juſta bellandi cauſa ſubnixus, favente vi armorum ac

ca, quod titulum, ſive juſtam bellandi cauſam requirit, vi cujus victis conſenſus extorqueatur. Attamen raro admodum, ſi juſtitiam internam ſpectes, ejusmodi victor ſibi imperium, pœnæ, damni aut cautionis nomine, vindicare poteſt. vid. Cl. Carmichaël *b*. §. (2) Victoria autem ſola non eſt juſtus imperii acquirendi titulus, uti Ill. Coccejus in *Diſſ. de Jure victoriæ*, contendit: ſed deditio accedat oportet: idque mos probat omnium victorum, qui nihil prius habent, quam pacatos armis in verba ſua adigere. (3) Qui in Politia, vel Ariſtocratia ſummum imperium gerit, *tyrannus* dicitur: qui Regnum, vel Rempublicam vi injuſta invadit, ſi civis eſt, *Perduellis*; ſi extraneus, a jure armorum inſtructus, *Hoſtis*; ſi eo deſtitutus, *Invaſor* appellatur. (4) Cædes illorum, qui populum oppreſſum tenent, licita eſt; quamdiu pactio nulla ſecuta eſt, & lex publica, vel qui verum jus regnandi habent, id permittunt. *In reos majeſtatis & publicos hoſtes omnis homo miles eſt*, ait Tertullian. *Apol. c.* 2. vid. Grot. I. *c*. 4. §. 16. 17. (5) Vitium invaſoris purgatur, quamprimum populus democraticus, diſcordiis civilibus feſſus, in ejus imperium civile conſentit. In Ariſtocratia vero & Monarchia, non niſi Imperantes quoque legitimi, eorumque heredes ſint extincti, aut nullum recuperandi conatum edant, aut paciſcantur: eaque promiſſio, propter metum, in irritum deduci nequit. (6) Si jus victoris dubium eſt, ut in Galliam Eduardi III. in Luſitaniam Philippi II. tutiſſimum eſt, ut cives poſſeſſori homagium præſtent, quod rebus tantum ſic ſtantibus eos obligat, & parti adverſæ, ſi victor evadat, ſimiliter, ſine peccato præſtari poteſt. vid. *Matth.* XXII. *vſ.* 21. (7) Vetus aulæ Romanæ mos eſt, ut eum, qui civitatis occupatæ poſſeſſionem tenet, pro Rege habeat, ejusque legatos admittat, quem Reges quoque ceteri & Reſpublicæ imitantur. vid. Grot. *Epiſt.* 1437. Wicquefort *de l'Ambaſſ.* I. *ſect.* 3. Oſſat. VI. *Ep.* 276. Coccej. *de Regim. uſurpat.* Otto.

(*n*) *Modus acquirendi Imperium violentus*]. Acquirendi ergo Imperium Monarchicum (1) Modo *violento*, ſeu *occupatione*, quæ quidem ex hypotheſi belli juſti titulus legitimus eſt §. 2. *b*. de cætero differt ab occupatione, qua res nullius acquiruntur, *d. c.* 7. §. 3. Nihil autem refert, ſive civitas Democratica, Ariſtocratica, an Monarchica occupetur. Quod ſi autem injuſtus invaſor Democratiam opprimat, Imperium ejus non, niſi habili populi conſenſu, fit legitimum, vid. *l.* VII. *c.* 7. §. 4. ſi vero Ariſtocratiam, aut Monarchiam, invaſionis iniquitas demum purgatur, ſi priſtini Imperantes extincti ſint, vel eo nomine transegerint, interim populus injuſto invaſori, etiam contra antiquos dominos, parere poſſe videtur, vid. *d. c.* 7. §. 4. *l.* VII. *c.* 8. §. 9. 10. (2) Modo *mixto*, qui juxta priorem doctrinam, titulus legitimus eſt, & quadrat ad Ariſtocratiam & Monarchiam, de injuſto autem invaſore eadem hic dicenda, quæ proxime diximus. Titius.

(*o*) *Solet vocari Occupatio*]. De hac Imperii acquiſitione multa vulgo jactitantur, quæ penitius egent perpendi. Conſtat ex ſupra dictis, quicquid victori, etiam juſto, a victis debetur, ultra id quod bello cauſam dederat, deberi vel nomine *damni penſandi*, vel *cautionis* in poſterum præſtandæ, vel *pœnæ*. Ut ab hac incipiamus, *Pœnæ* nomine ſoli tenentur *nocentes*: Civilem quippe conjunctionem, quæ eſt inter Summum Imperantem & Ci-

ac fortuna, populum aliquem eo redigit, ut ipſius deinceps imperio ſeſe ſubjicere cogatur. Cujus im-

Cives, non efficere, ut ob Imperantis delictum in foro humano puniri poſſint Cives innocentes, recte notavit *Grotius l. II. c.* 21. §. 17. Confer etiam *l III c.* 11. §. 2. Ad injuſtum vero bellum, a qualibet Civitate, id eſt, a Summo Imperante & militibus ejus Imperium ſecutis, geſtum, plerumque Civium pars multo maxima nec ope nec conſilio quidquam contulerant: ii idcirco ejus belli, quantumlibet nefarie geſti, nomine pœnæ haudquaquam ſunt obnoxii. Prima itaque ratio, quæ ab Auctore affertur, violentæ acquiſitionis Imperii, quod ſc. *Victor, ſi rigore Belli voluiſſet uti, vitam plane victis adimere potuiſſet*, ad exiguam duntaxat devictæ Civitatis partem pertinet; ſi modo per rigorem belli intelligatur non id, quod a victoribus immanibus & injuſtis fieri ſolet, ſed quod jure fieri poteſt: hoſtibus quippe debellatis non alio quam *Pœnæ* nomine vita poteſt adimi; ſicut viciſſim in Statu naturali non alia quam corporalis pœna recte infligitur. Omitto quærere, ecquam pœnæ in gregariis Militibus etiam ex capite Juſtitiæ, moderationem ſuadeant, tum auctoritas Summi Imperantis, a quo ad bellum impulſi, ſi non etiam vi coacti, fuerant; tum etiam ſpecioſæ cauſæ, quæ injuſtis bellis haud raro prætexuntur: nec non, utrum digne ſatis de civili Imperio ſentiant, qui ad illud pœnæ loco admittendum extrema ſupplicia meritos urgendos putant.

Quod ad *Damni penſationem* attinet, hæc nobis videntur certa. 1. Raro aut nunquam uſu venit, ut damnum ab aliquo Populo terram ſatis cultam habitante alteri Populo vel Principi injuria factum, æquet æſtimationem ullius notabilis partis Regionis, a Populo damnum inferente poſſeſſæ; aut ſit ejusmodi, ut illud hic non & poſſit, & ubi alterum duorum eſt eligendum, velit, aliter penſare, quam ceſſa ulla ſuæ Regionis parte: quo in caſu, hujus ſub jugo retinendæ injuriam paſſo nullus eſt prætextus; & multo quidem minus innocentium Civium libertatis opprimendæ. 2. Quicquid damni illati nomine Victori debeatur; non videntur innocentes Cives teneri ad illud ita luendum, ut priventur inſuper continuato uſu & beneficio iſtius *Imperii Civilis*, cujus cauſa ſupponuntur obſtricti. Obligationis enim, qua Cives ad reſtituendum tenentur ob delictum publicum, non alia videtur eſſe ratio, quam quæ in jure privato ſubſternitur Actionibus *Noxalibus* & de *Pauperie*; quod ſc. æquum putetur, ut *qui certa ſuæ utilitatis aut voluptatis procurandæ media ſibi adſciverunt, ex quibus alii ſine ſua culpa damnum ſunt paſſi, vel damnum ſarciant, vel rem ſuam, quæ alteri evaſit damnoſa, læſo dedant:* juxta quam regulam, (quæ tamen quomodo ad ſtrictiorem æquitatem ſit temperanda, dixi ſupra *Obſ. in l. I c.* 6. §§. 11. & 12) Princeps, vel Populus, qui ab alterius Populi *Imperio Civili* damnum ſenſit, ſi aliam penſationem utcunque obtineat, non poteſt vendicare *Imperium*; ſi *Imperium* obtineat, non poteſt ab innocentibus Civibus aliam penſationem exigere. 3 His conſonum eſt, ut nihil amplius Victor, in bello quantumlibet juſto, a victi Populi Civibus (ſi forte, quod tamen vix unquam contingit, aliam damni penſationem obtinere nequeat) jure poſſit vendicare, quam *Imperium Soli*: quod non impedit, quo minus Cives innocentes, cæteroquin omnia ſua jura habeant ſalva; ſive in Territorio manere, & Imperio illic ſtabilito ſubjectos ſe ferre malint, ſive cum rebus ſuis alio abire.

Quod ſi Victor, præter rem ab ini-

imperii legitimus titulus non inde ſolum deducitur, quod victor, ſi rigore belli voluiſſet uti, vitam

initio debitam, damni dati penſationem in rebus mobilibus ipſe ceperit; vel ſi ea in Pacis tractatu ei offeratur; patet ex dictis, ad ipſius *Soli*, vel ullius ejus partis, ſeu *Dominium*, ſeu *Imperium*, illi aſſerendum, non ſufficere ejus occupationem jam bello factam: quamvis enim ſupra dictum ſit, ubi de violenta Juris proſecutione egimus ad *l. I. c.* 5. §. 17. quamlibet rem Hoſtis a nobis apprehenſam in compenſationem debiti noſtram poſſe fieri; id tamen *ſalvo Innocentium jure* intelligendum eſſe, ibidem expreſſe monuimus: unde, cum cujusque Civitatis, & ſingulorum Civium (quorum plurimos in tali caſu merito ſupponimus innocentes) manifeſte interſit, indivulſum conſervari *Imperium Soli*; penſatio damni, aut cujusvis ſimilis debiti ſolutio in mobilibus eſt admittenda; ſaltem ubi Imperium non eſt Patrimoniale.

Quod denique ad *Cautionem* attinet, manifeſtum eſt, ut pro damno hactenus dato ſatisfieri, ita læſo ſatis in poſterum caveri, plerumque poſſe, etiamſi hic, nec in Populum a quo læſio provenerat, nec in Regionem quidem ab eo habitatam Imperium permittatur aſſumere.

Neque his obſtat altera violentæ occupationis Imperii ratio, ab Auctore allata; quod ſc. *cum altero in bellum deſcendens, quem ipſe antea læſerat, & cui æquam ſatisfactionem præbere renuit, omnes ſuas fortunas aleæ Martis exponat*, &c. Quantumvis enim ſpecioſe hoc forte urgeri poſſit, adverſus eum qui nullo juris prætextu, ſed ſola armorum vi fretus, debilioris cujusque jura invadere molitur, vel eludere; ægre tamen videtur admittendum adverſus eum, qui profitetur, idque forſan ex vero ſe juſtam putare ſuam cauſam, & bellum gerere, non fiducia virium, ſed animo juris ſui tuendi, aut proſequendi; præſertim cum nemo velit in conditionem ab Auctore ſuppoſitam conſentire, niſi & Hoſtis in eandem conſentiat; in quam tamen, fatente ipſo Auctore, conſentire non præſumitur, qui juſtam & neceſſariam ob cauſam, fruſtra tentatis mollioribus juris ſui tuendi vel obtinendi mediis, in bellum deſcendit. Confer *J. N. & G. l.* VIII. *c.* 8. §. 1. ubi Auctor in hoc caſu, ad oppoſitum vergit extremum; ut notabo infra ad *c.* 16. §. 17.

Ex his conſtat, raro admodum contingere, ut Victor in bello etiam juſtiſſimo, Regionis devicti Populi Imperium, nedum abſolutum Dominium, jure ſibi vendicet; nunquam vero, ut Civium Innocentium perſonalem libertatem recte infringat; eosve, ſubacta Patria, ſive illic manere ſive alio migrare malint, res ſuas ſibi ſalvas habere prohibeat. Unde ſequitur, nec poſſe illum jure, intentatis extremis malis (ut vult Auctor de *J. N. & G. h. l.* §. 3.) hos ut in Imperium ejus conſentiant adigere. Confer hic in primis ſupra laudatum Cap. XVI. *Lockii Tract. Poſt. de Imperio.*

Quod ſi autem Victor injuſta vi (quæ etiam in bello juſtas ob cauſas inchoato nimis ſæpe adhibetur) iſtiusmodi conſenſum extorſerit; non eſſe hunc plane irritum, ſupra innuimus *Obſ.* 2. *in l. I. c.* 9. §. 15. Imo poteſt quilibet Civis, manente cæteroquin prioris Imperantis, ut & reliquorum Civium jure, promiſſo per extremam violentiam extorto Invaſori valide ſe obſtrinxiſſe, quo minus illi in gratiam legitimi Imperantis vim opponat: at nullo in caſu illi adverſus hunc licite poteſt parere; cum ne quidem legitimo Principi in cauſa injuſta ſit ſerviendum. Celebrata apud *An-*

glos

Digitized by Google

tam plane victis adimere potuiſſet, atque ſic, dum minore iſtos incommodo defungi patitur, clementiæ

glis Lex *Henrici* VII. externam duntaxat impunitatem præſtat.

Quinimo, cum promiſſi in gratiam injuſti Invaſoris facti materia ſit odioſa; illud neque eſt extendendum, neque citra manifeſta indicia omnino intelligendum ſubeſſe: non itaque pro Conſenſus obligatorii indicio habenda eſt mera intermiſſio reſiſtentiæ, in Civibus ad eam redactis conditionem, ut ne linguam quidem ſine præſentiſſimo periculo contra movere queant: quæ tamen ipſa reſiſtentiæ intermiſſio hunc habet effectum; quod arma haud temere denuo aſſumi debeant, niſi cognita voluntate Populi, aut ejus, qui imperandi jus habet; nec citra novam Hoſtilitatis indictionem. Hoſtilitatis autem exercitio ceſſante, licet ſalvum maneat prioris Imperantis, imo & ipſius Populi jus adverſus Invaſorem Imperii, tenentur tamen ſinguli Cives publicæ utilitatis cauſa & ob præſumptam ipſius legitimi Imperantis & totius Civitatis voluntatem, Imperii poſſeſſori interim obtemperare in iis, quæ ad quotidianam pacem attinent, & controverſum imperandi jus non attingunt.

Sed & ab altera parte, non raro evenit, ut is, qui injuſta vi Imperium invaſit, illud ea deinceps æquitate adminiſtret, ut univerſi Cives eundem animitus velint Imperantem, ſuumque genuinum in ejus Imperium conſenſum, repetitis ultroneis indiciis, identidem declarent: quo in caſu acquiſitionis vitium purgatur; modo prioris Imperantis jus non impediat, utpote morte, aut derelictione expreſſa vel tacita ſublatum.

Cum interim, juxta Auctoris doctrinam *præced. cap.* §. *ult.* Regnum habere in Patrimonio *illis potiſſimum contingat, qui armis regnum ſibi quæſivere, ac ſuum ſibi Populum ipſi fecerunt*; ex dictis inferre licet, *raro unquam Regna Patrimonialia juſtum habere initium*; præſertim, cum quæ bello occupata tenentur (ſi forte juſta ſit, quod rariſſime contingit, acquiſitionis cauſa) Victoris *Populi* plerumque magis quam *Principis* patrimonio quæſita cenſeri debeant; non modo ob rationem, quam rejicit *Grotius l. I. c.* 3. § 12. *n.* 3. quod ſc. *Civium ſanguine & ſudore ſint parta*; ſed præcipue quod *alicujus alterius juris, Populo magis quam Principi competentis, explendi cauſa acquirantur.* Hæc fateor, pariter atque altera, a *Grotio* rejecta, ratio, non ſemper obtinet: raro tamen alterutra deficit, niſi aliud aliquod Regnum in Victoris Patrimonio jam ante habitum fuerit.

Inficiandum quidem non eſt, fieri poſſe, licet hoc rariſſime contingat, ut aliis quam violentis mediis, & alio quam alterius juris explendi prætextu, Regnum Patrimoniale ſtabiliatur; ſi nimirum unus quispiam per ſervos, aliosve a ſe conductos, vacuum aliquod Solum, juſtæ Civitatis habitationi ſufficiens, occupet, in quo deinceps, impoſita inter alias conditiones, *Civilis Subjectionis* lege, idoneum incolarum numerum recipiat; vel ſi alio quovis oblato commodo futuros Cives in Societatem a ſe pendentem invitet; vel denique, ſi Rex (quod ægrius evenit) in ſingulorum Civium bona immobilia ſuccedat. Patet interim, ſi Regi in iſtiusmodi caſibus Regnum non *alienandi* modo, ſed & *dividendi* facultas concedatur, eo ipſo deeſſe intelligi firmam illam Civium inter ſe *Conjunctionem*, ab actuali Imperio independentem, quam ad juſtam ſtabilemque Civitatem requiri ſupra monuimus *Obſ. in c.* 6. §. 9. quamque ibidem notavimus, regulariter quidem prævio pacto conſti-

tiæ inſuper laudem nanciſcatur: ſed & quod cum altero in bellum deſcendens, quem ipſe antea læſerat, & cui æquam ſatisfactionem præbere renuit, omnes ſuas fortunas aleæ Martis exponat, ſic ut jam in anteceſſum tacite conſenſerit in quamcunque conditionem, quam eventus belli ipſi eſt aſſignaturus (*p*).

J. N. & G. *l.* vii. *c.* 7. §. 3—5.

III. Conſenſu, per ele-

Ultroneo autem consensu (*q*) populi paratur re-

tui, ſed & poſſe per unicum pactum, cum ipſo Summo Imperante initum, ſtabiliri. Fatemur nihilominus, ubi per unicum pactum, cum Rege initum, prima Civitatis fundamenta jaciuntur, Cives non tam per illud inter ſe unitos plerumque intelligi, quam Summo Imperanti ita ſubjectos, ut ab hujus arbitrio, ſi nullum ulterius vinculum intervenerit, futura eorum unio pendeat: qua ratione imperfecta tantum Civitas conſtituitur; cujusmodi fere ſunt quæ usquam occurrunt Regna Patrimonialia. Carmich.

Hæc ab occupatione, cujus *l. I. c.* 12. §. *6.* facta fuit mentio, bene diſtinguenda: (a) illa adquirit res nullius; hæc res & perſonas ſub dominio & imperio exiſtentes. (b) Illa nititur jure utendi creaturis: hæc jure belli hoſtem debilitandi. (c) Illa pacifica eſt; hæc violenta. (d) Illa ex neceſſitate vivendi; hæc ex neceſſitate defendendi enata. Treuer.

(*p*) *Aſſignaturus*] Non tamen ſolum jus belli involvit jus inferendi imperii: quod enim quis habeat jus ſe defendendi contra injurias intentatas, eo ipſo non habet poteſtatem moralem alterum ſibi ſubjiciendi: ſatisfactio etiam, quam a lædente urget, eo usque non porrigitur, ut lædentem ad obſequium obligare poſſit: præſtari quippe poteſt ſatisfactio ſine nexu civitatis conſtituendo. Res ergo recidit ad pacta mutua, quibus victi conſentiunt in imperium victoris: & jus belli occaſionem tantum præbet inferendo imperio, non jus ſuppeditat. Idem.

§. III. Electio imperantis ultronea fit vel a populo *conſtituendo*, ſi pactum primum ſecundo includitur, vel a *conſtituto*, ſi civitas pacto jam perfecta evaſit; vel ſi ex Ariſtocratia fit Monarchia, aliusve in locum Regis mortui ſurrogatur. (2) Eſt vel *Generalis*, qua tota ſimul poſteritas Regis eligitur, de qua §. 5. vel *Specialis*, quando in locum cujusque deficientis novus ſurrogatur. (3) Hæc rurſus vel *libera* eſt, ut in Polonia: vel ad certam familiam, ſexum, nationem, aliamve qualitatem *adſtricta*: ſic Pontifex Romanus non niſi ex Cardinalium numero eligi poteſt ex conſtitutione Stephani IV. auctore Anaſtaſio. (4) Jus eligendi competit omnibus: ſed frequentius eſt, ut Proceres, vel pars populi, aut ex ejus approbatione legiones eligant. vid. Gronov. ad Grot. II. *de J. B. & P. c.* 9. §. 11. (5) Generalis vero, an ſpecialis electio melior ſit, in utramque partem ex regulis prudentiæ diſputari poteſt, nec ubique iisdem moribus vivitur. vid. Lipſ. *Monit. polit. II. c.* 3. & Barclaj.

regnum, interveniente ELECTIONE (*r*) qua populus conſtituendus, aut jam conſtitutus (*s*), ultro certum hominem, ſuo judicio imperii capacem, deſignat; cui quando decretum populi fuerit ſignificatum, idque ille acceptaverit, promiſſo populi obſequio imperium confertur. ctionem, a populo factam.

J. N. & G. *l.* VII. *c.* 7. §. 6.

Ele-

claj. *Argen. l. I.* Illud commodum inſigne eſt Electitii regni, quod optimi poſſunt eligi, & electi arctioribus vinculis, prout tempora poſtulant, adſtringi. *Loco libertatis erit, quod eligi cœpimus*, ait Galba apud Tacit. I. *Hiſt.* 16. Succeſſivum vero quoscunque genitos, malos, inutiles, & pueros admittit, partus etiam in eo exponuntur, & filiæ extraneis nubunt. v. Machiavellus *ad Livium I.* 10. OTTO.

(*q*) *Ultroneo autem conſenſu*]. Denique Imperium Monarchicum acquiritur (3) Modo *ſpontaneo*, ſeu *electione latius ſuppoſita*; hæc autem eſt vel *ſpecialis*, qua una ſaltem perſona, vel *generalis*, qua perſona cum ſua poſteritate, imo aliquando etiam exteris, ſucceſſive admittendis, eligitur. TITIUS.

Ultroneus Conſenſus cum hic dicatur, qui adhibetur a *Populo conſtituendo, vel conſtituto*, opponitur non tantum conſenſui *vi extorto*; ſed & ei, qui *elicitur a ſingulis* intuitu Imperii in Solum, ubi ſedes illi vel fixas habent, vel figere incipiunt, Regi prius acquiſiti, atque adeo uſus ejusdem ſub iſta demum conditione ab eo Civibus permiſſi, vel cujuscunque ſimilis utilitatis, qua in Civilem Societatem ab eo pendentem invitentur, ab eodem ſingulis oblatæ. CARMICH.

(*r*) *Interveniente electione*]. Ex electione ſpeciali oriuntur *Regna electitia*; cum toties repetenda ſit, quoties ſubjectum proprium mutatur. In genere autem reſpicit illa vel civitatem *conſtituendam*, vel quod frequentius eſt *conſtitutam*, §. 3. *b.* ubi quidem Democratia, Ariſtocratia (in Monarchiam ſcilicet per electionem convertendæ) & Monarchia (electione continuanda) præſupponi poſſunt; ſed ultimus caſus præcipue huc pertinet: præcedentes enim rariſſimi ſunt. add. *l.* VII. *c.* 7. §. 6. TITIUS.

(*s*) *Aut jam conſtitutus*]. Populum *conſtitutum* intellige, qui erecto Civili Imperio in perfectam evaſit Civitatem; *conſtituendum* vero, qui primo tantum pacto in aliquod Civitatis rudimentum coaluit; in quem tamen ſtatum etiam Civitas Monarchica relabitur, (ut monet Auctor §. *ſeq.*) ubi Rege priore defuncto, novæ electioni locus eſt. Aliter vero, a Populo *conſtituto* fieri dici poteſt electio, quæcunque ſit a Civibus vel primo pacto jam ante conjunctis; a Populo autem *conſtituendo*, quæ in ipſo primo pacto includitur; quod poſſe contingere diximus ſupra ad *cap.* 6. §. 9. CARMICH.

Si populus conſtituendus ſit, opus eſt, ut ſinguli de conſenſu ſuo interrogentur: quisque enim ſui dominus eſt, & in ſtatu naturali conſiderandus: ſi vero populus jam conſtitutus ſit, potiora vota concludent. Quod ad electionis modum attinet, ille vel nondum determinatus eſt, vel pactis ſive conſuetudinibus gentis illius definitus: prius ſi accidat, electio pro lubitu & ex deciſione plurium erit inſtituenda; ſi determina-

 tus,

Digitized by Google

IV. Interregnum, ejusque incommodum.

Electionem, in civitate jam conſtituta (*t*) ſiquidem illa ſuſcipiatur, Rege priore defuncto (*v*), antecedere ſolet Interregnum (*x*). In quo licet ad imperfectam (*y*) formam (*z*) recidat civitas, dum

tus, moribus antiquis peragenda. Ceterum præter generalia ejusmodi monita jus naturæ neque de electionis ſubjecto, neque modo, neque electoribus nil determinat, ſed illa arbitrio & prudentiæ populorum relinquit. Treuer.

§. IV. Iſtud vero maximum regni electitii incommodum eſt, quod Principe moriente, abdicante, aut remoto, interregnum exoritur; id quod in ſucceſſivo tantum extra ordinem, extincta ſtirpe regnatrice, metuendum eſt. Tunc vero Reſpublica Ariſtocratiæ, vel potius Democratiæ temporariæ, certe ſtatus extraordinarii indolem præ ſe fert, ſummo Imperio ad popolum reverſo. Hic autem continetur pacto primo & decreto, vel ſane ipſo facto continuat civitatem, ne in anarchiam delabatur. Multa interregni mala Bodinus VI. *de rep. c.* 5. & Hert. *prud. civ. p. II. ſect.* 22. enarrarunt: juſtitia enim & lege ſilente vis & licentia valent. His autem occurri ſolet, ſi (1) caveatur, ne Rex ſine conſenſu populi regno ſe poſſit abdicare (2) ſi Cæſar, vel Rex Romanorum vivo Imperatore creatur, (3) aut Ordines & Proceres Regno interim præſunt, ut in Suecia, (4) vel Interreges & Vicarii, ut in Germania Palatinus & Saxo, in Polonia Archiepiſcopus Gneſnenſis, lege conſtituuntur. Horum poteſtas, quatenus non eſt circumſcripta, ad omnia ſeſe extendit, etiam ad ea, quæ moram patiuntur. vid. Pufendorf. *Diſſ. de Interregnis*, & Cl. Gribner. *de jurib. vicar. Imp. ſ. II Opuſc.* Otto.

(*t*) *Electionem, in civitate jam conſtituta*]. In Monarchia conſtituta, ſi in eventum Regis deficientis ſucceſſor non jam ſit electus, Rege deficiente, exiſtit *Interregnum*, id eſt, ſtatus civitatis extraordinarius, in ſubſidium, ſaltem ad certum tempus, duraturus. Titius.

(*v*) *Rege priore defuncto*]. Poteſt enim ſuſcipi, licet hoc minus arridere ſoleat, ſub completa Monarchia; ſive electiva in ſpecie ſic dicta, in eventum mortis præſentis Regis; ſive hæreditaria, in eventum extinctæ familiæ regnatricis: poteſt etiam ſuſcipi, quamvis & hoc raro contingat, in perfecta Civitate Ariſtocratica, vel Democratica, per electionem mutanda in Monarchiam, absque ulla actualis Imperii intermiſſione; ut nihil dicam de electione ea, quæ fit in civitate per primum pactum imperfecte conſtituta, in qua nondum actuale Imperium fuerat ſtabilitum. Carmich.

(*x*) *Interregnum*]. Interregna ſunt vel extraordinaria, vel ordinaria: hæc ſunt in regnis electivis ſtricte ſic dictis: cauſſas enarrat Pufend. *diſſ. de interregnis p.* 285. illa oriuntur in regnis ſucceſſivis exſtincta domo regnatrice, aut ubi controverſa vel dubia eſt ſucceſſio. Hartknoch. *l. I. de Polonia c.* 2. easdem ideas exprimit diſtinguendo interregna in politica & hiſtorica, ſed vocibus inadæquatis. vid. Hertii *elem. prud. civ. p. I. ſect.* 12. §. 13. Treuer.

(*y*) *In quo licet ad imperfectam*]. De forma civitatis interregni tempore quæritur. Non repræſentat interregnum *ſtatum diſſolutæ multitudinis*, cum vel ſola cohabitatio continuata aliquam conjunctionem innuat, vid. *l.* VII. *c.* 7. §. 9. ſed, ſi de ſubjecto Majeſtatis vicario nihil in anteceſſum conſtitutum ſit, *civitatem imperfectam*, in qua ſimplici ſaltem obligatione cives connectuntur, ac per corpora mino-

ra,

Digitized by Google

dum cives primo tantum pacto inter ſe connectuntur: multum tamen firmitatis ei adhuc addit nomen & affectus communis patriæ, civiumque plerorumque fortunæ iſti loco fere affixæ, quæ bonos cives ſubigunt, ut ultro tantiſper pacem inter ſe colant, & quantocyus ad plenum imperium in-

ra, in quæ antea diſtributi fuerunt, utcunque agunt, dantur tamen cauſæ, quæ vinculo iſti eo rerum ſtatu firmitatem addant, §. 4. *b.* add. *l.* VII. *c.* 7. §. 7. Cæterum uti caſus ille rariſſimus erit, tum tanta ſocordia, qua nihil in eventum Regis deficientis, quoad formam adminiſtrationis, caveatur, in aliqua gente non temere occurrat, ita eo poſito non approbamus *primum pactum*, quod Auctor loquitur, nam hoc fruſtra aſſeri, not. ad c. 6. §. 8. h. l. lit. (*a*). oſtendimus. Dicendum igitur, quod tempore interregni tale pactum demum expreſſe vel tacite, & ipſo facto ineatur, non autem ex veteri formula ſuperſit. Titius.

(z) *Formam*]. Quæ ſit forma Civitatis durante Interregno, & quibus ea vinculis contineatur, fuſe exponit Auctor in *Diſſertationum Selectarum* iſta, quæ inſcribitur *de Interregnis.* Fruſtra hic diſſentit Cl. *Titius*, contendens, Unionem Civium in Interregno, ubi in anteceſſum conſtitutum non fuerat, penes quos ſolio vacante interim Reipublicæ adminiſtratio eſſe debeat, non niti prævio pacto, ſed novo, quod expreſſe vel tacite initur ipſo Interregni tempore; hoc enim ſi admittas, jam Civitas, contra quam vult Cl. Obſervator, ipſo morientis prioris Regis momento abit in multitudinem diſſolutam: neque obſtat cohabitatio continuata; quippe quæ ſola moralem conjunctionem haud infert, quantumvis ei inſtaurandæ occaſionem forte præbere poſſit. Rectius itaque cum Auctore *Civilem Unionem* in Interregno dicemus conſervari vi *originarii Pacti*, quo illa ab initio ſtabilita fuerat; eamque non *ſimplicem* duntaxat inter Cives *Obligationem* includere, ut vult *Titius*, ſed & *nexum Imperii*; cum certum ſit, ubi eſt libera Poteſtas de Imperio diſponendi, illic pro eo tempore eſſe *eminenter* ipſum *Imperium*; adeo recte pronuntiavit Auctor *J. N. & G. h. t.* §. 7. *Interregna indolem Democratiæ alicujus temporariæ præ ſe ferre*; quam Populus pro ſuo arbitrio vel in perpetuum poteſt ſtabilire, vel in aliam quamlibet Imperii formam mutare. Nec refert, quod de adminiſtratione Imperii poſt Regis obitum nihil forte prius definitum fuerit: quippe in hoc caſu, velle præſumitur Civitas, ut Magiſtratus, qui tum præſunt, Pacis tantiſper conſervandæ cauſa, muneribus ſuis fungi perſeverent; & qui inter eos maxime eminet, primo quoque tempore Cives convocet ad conſulendum Reipublicæ. Carmich.

Rege defuncto civitas non plane exſpirat, neque ad anarchiam aliquam recidit; ſed nexus aliquis manet inter cives, non quidem, quod primum pactum remaneat, cujus obligatione teneantur conjuncti; quum civitas ita non ſemper orta ſit: ſed quod habeant voluntatem continuandi perfectam civitatem, in quam hactenus ſemel coierant. Servant ergo ſtatum iſtum civilem, in quo degunt, usque dum convenerint in novo imperante, quem ſibi denuo præficiendi habent animum. Treuer.

inſtaurandum incumbant. Etſi magnopere (*a*) ad incommoda, ex interregnis oriri apta, evitanda faciat (*b*), ſi in anteceſſum conſtituantur, penes quos, ſolio vacante, interim Reipublicæ adminiſtratio eſſe debeat.

J. N. & G. *l.* VII. *c.* 7. §. 7—10.

V. Succeſſio conſtituta arbitrio Regis, vel populi.

Cæterum alicubi quidem (*c*), ſingulis Monarchis defunctis, nova inſtituitur electio. Alicubi autem regnum ea lege in alterum confertur, ut, citra novam intervenientem electionem, in alios per

(*a*) *Etſi magnopere*]. Ut plurimum tempore interregni eſt *Ariſtocratia*, aut *Democratia*, eaque vel ſimplex, vel Monarchice, aut Ariſtocratice gubernata, aliquando etiam, ſi Reſpublica plures complectatur provincias, *Syſtema plurium corporum*, *bactenus liberorum*, vid. *d.* 7. §. 7. 8. Titius.

(*b*) *Evitanda faciat*]. Ut conſtituantur vicarii imperii, ſenatus aliquis regni vel interrex, per interregnum ad gubernacula ſede. s. Vid. Hertius *elem. prud. civ. p. II. ſect.* 22. §. 2. *p.* 210. Arnisæus *de republica. l. II. c.* 2. *ſect.* 4. *p.* 360. *ſqq* Treuer.

§. V. Populi quidam una electione generali defunguntur, v. c. Galli, Britanni, Ruſſi & Dani; *tum* ad mala interregnorum & factiones in electione vitandas; *tum* ne Princeps negligat Rempublicam, aut eam ſibi propriam facere nitatur; *tum* denique, ut ſubditorum major ſit amor, & obedientia promta. vid. Lipſ. *Mon. & exempla polit. II. c.* 4. (2) Cavendum autem hic, ne regna ſucceſſiva eſſe credamus, ubi ex una ſtirpe multi Reges interrupta ſerie deſumti ſunt; ut in Germania ab Auſtriacis, ex Piaſti & Jagellonis poſteris apud Polonos. Aut contra, ne ſucceſſiva eſſe negemus, in quibus ſolennes inaugurationes fieri ſolent, uti in regno Judæorum, Francorum & Gallorum hodierno. vid. Hert. *prud. civ. p. I. ſect.* 10. §. 9. & Diſſ. mea VII. *de Unct. Remenſi c.* 11. §. 6. Otto.

(*c*) *Cæterum alicubi quidem*]. Quibusdam gentibus placet electio *ſpecialis*, de qua hactenus, aliis vero probatur, vel probari debet, *generalis*, quam ſucceſſive deſignati acceptant, quæ acceptandi ratio *ſucceſſio* dicitur, ac Regna inde *ſucceſſiva* audiunt. Quod ſi adeo acquiſitionem Imperii voluntariam propius conſideremus, ea differentia occurrit. In Regnis electivis, electio ſpecialis *delationem* & *acceptationem ſimultaneam* involvit, ſed in ſucceſſivis electio generalis *delationem*, *pluribus factam*, & *acceptationem ſucceſſivam* continet, ibi denominantur Regna a *delatione*, hic ab *acceptatione*, quia, in illis, *illa*, in his, *hæc* plus difficultatis habet, ac magis conſpicua eſt. Utrum vero conſultius ſit, ſpecialiter & ſingulis vicibus, an generaliter, & per quandam velut occupationem, Reges eligere, ſeu, ut vulgo dicitur, *an electio præſtet ſucceſſioni*, vel *vice verſa*, ea prudentiæ quæſtio eſt, quam aliis expediendam relinquimus. Titius.

(*d*)

Digitized by Google

per ſucceſſionem tranſeat. Illud jus ſucceſſionis conſtituitur (*d*), vel ARBITRIO IPSIUS REGIS, vel ARBITRIO POPULI.

J. N. & G. *l.* VII. *c.* 7. §. II.

VI. In regno patrimoniali Monarcha pro lubitu.

REGES, qui regnum (*e*) ſuum habent in patrimonio, pro lubitu SUPER SUCCESSIONE poſſunt DISPONERE, quorum diſpoſitio, æque ac privatorum teſtamentum, obſervabitur (*f*), præſertim ubi

(*d*) *Illud jus ſucceſſionis conſtituitur*] Electio generalis cum ſucceſſive ſit acceptanda, hinc opus, ut *ordo* ſucceſſorum deſignetur, quod fieri poſſe, vel arbitrio ultimi Regis, vel ipſius populi, manifeſtum eſt, & hic recte aſſeritur: ſæpe tamen ille ordo ob defectum neceſſariæ definitionis eſt perincertus, nonnunquam etiam inter arma leges & jura ſilent. IDEM.

§ VI. Ita quidem Grotius II. *c.* 7. §. 12. & exempla ſunt in Attalo, Aſiæ Rege, populum Romanum heredem inſtituente apud Florum II. 20. & in Alphonſo, Arragoniæ Rege; item recentius in Petro I. Ruſſorum Imperatore. Verum ultima illa voluntas, in ſe conſiderata, jure naturali magis inſtar commendationis eſt, quam ut jus perfectum tribuat, quia apud illos, qui in ſtatu naturali degunt, teſtamentum non eſt tanti; ex voluntate populi autem, qui hanc facultatem Regi ultro dedit, aut vi in illam conſentire coactus eſt, quævis diſpoſitio, etiam qua regnum dividitur, vel in uxorem, aut filiam, vel filium adoptivum, ſecundo genitum vel extraneum, confertur, valebit. vid. Cl. Treuer. ad *h.* § OTTO.

(*e*) *Reges, qui Regnum*]. Si penes Regem ſit jus deſignandi ſucceſſorem, vel bello partum, vel libera conceſſione acquiſitum, tum ille, tam inter vivos, quam in eventum mortis, idque vel voluntate expreſſa §. 6. *b.* vel præſumta § 7 ſucceſſorem deſignare poteſt, add. *l.* VII. *c.* 7. § 11. ſed voluntas præſumta, ſi verum fateri velimus, hic eſt fere inane nomen, & raro ex conjecturis certum aliquod jus quis ſibi aſſerere poteſt, ſed ut plurimum beati erunt poſſidentes, aut qui potentia cæteris præſtant, add. Thomaſ. *J. J. D. l. III. c.* 6 § 110. TITIUS.

(*f*) *Obſervabitur*]. Teſtamenta imperantium æque, ac privatorum, jure naturæ nulla ſunt, quod iisdem argumentis probabitur, quæ ad *l. I. c.* 12. §. 13. ſunt allata. Nec arbitrio regis ſic de imperio ſtatuere licet: deſiit enim arbitrari eo tempore quando arbitrium vim ſuam exercere debet, nec ulla obligatio in ſuperſtitem populum naturaliter exinde redundat: quum omne jus imperii exſpiraverit, & ex ſuperioribus conſtet, regna patrimonialia difficillime probari. Mortuo itaque rege, qui teſtamentum condidit & de ſucceſſore mentem ſuam expoſuit, populus naturaliter redit ad ſtatum naturalem & jus habet, ſecundum principia juſti naturalis eligendi ſibi novum imperantem. Penes populum quidem eſt, ultimæ voluntati demortui regis tamquam commendationi cuidam locum relinquere: at vero eadem non perfecte obligatur. Non deſunt, quæ hic numeroſe opponi poſ-

de ſucceſſione diſponit. ubi abs aliquo regnum fuerit conditum, ac partum (*g*). Ubi licebit ipſis, ſi placuerit, regnum inter plures liberos dividere, etiam filiabus non excluſis; imo & heredem inſtituere filium adoptivum, naturalem, aut qui nulla plane cognatione ipſi eſt junctus.

dict. §. 11.

VII. Si nihil diſpoſuerit, quid præſumendum? Verum ubi ejusmodi Rex ſuper ſua ſucceſſione nihil peculiariter diſpoſuit, PRÆSUMITUR: Primo, eum nequaquam regnum ſuum ſecum exſpirare vel-

poſſunt principum teſtamenta, quibus ſucceſſores in imperio ſibi conſtituerunt: ſed illa omnia ad res facti ſpectant, non vero evincunt, principes ex juris naturæ placitis id feciſſe, teſtamentaque imperantium naturaliter juſta eſſe & obligare. Pertinet illa conſuetudo ad imperantium mores, a quibus teſtamentaria res ex legibus Romanis poſitivis ob varias utilitates variisque artibus fuit recepta & publica praxi confirmata: in primis, quum populo ob metum potentiæ contradicere non licuerit, vel e re civitatis & cleri maxime fuerit ea approbare. Vid. auctores ſupra citatos. Interim poſita ſemel hypotheſi teſtamentaria jus naturæ diſpicere poteſt, quid juſtum ſit circa eamdem; quid injuſtum. TREUER.

(*g*) *Ac partum*]. Atque adeo jus Succeſſionis non ſit ad Agnatos aliosve ab antiquiore aliquo Regni poſſeſſore derivatum. CARMICH.

§. VII. Si Rex de regno patrimoniali non diſpoſuit, ex adfectione naturali præſumitur voluiſſe, ut (1) in regnum ſuccedant liberi legitime nati, non naturales, quorum matrem juſto affectu non erat proſecutus. (2) Ut ſit indiviſum, quia unus illud uni delatum acceptavit, unus eſt potentior, partitio frangit opes, & diſcordiæ eo ſunt acriores, quo magis exardent inter propinquos; hinc proverbium: *Nec tædæ, nec regna ſocios ferunt* Exempla ſunt in Ludovici Pii filiis, Principibus Sileſiæ, & Ducibus Saxoniæ, de quorum diviſione Barclajus lepidam hiſtoriam narrat, in *Icon. anim.* 5. Juſtinus XXI. 1. *Firmius futurum eſſe regnum, ſi penes unum remanſiſſet, quam ſi portionibus inter plures filios divideretur.* (3) Mas præferatur, quia ei tam natura, quam Dei beneficio & præcepto, Evæ dato, plus virtutis, conſilii atque adeo judicii plerumque ineſt; is quoque tum ad expeditiones militares, tum ad alias imperii partes, foris obeundas, magis eſt idoneus; feminæ contra, corpus infirmius ſortitæ, ad opera & curationes domeſticas magis factæ cenſentur; & ſive indigenæ, ſive extraneo nubant, Rempublicam periculis exponunt: denique pauca bonarum Reginarum exempla plurimis malis refelluntur. In ſubſidium vero maſculis deficientibus, ſuccedunt; nec pœnitet Anglos Eliſabethæ ſuæ, nonnullis Regibus præferendæ fortitudine & lumine virtutis. v. Lipſ. *Monit. Polit. II.* 2. Freinshem. *ad Curt.* X. *c.* 1. §. 37. Gruterus *ad Liv. I. c.* 3. & Huber. *de Jur. civ. I. ſect.* 7. *c.* 6. *n.* 37. *ſeqq.* (4) Inter mares jus naturæ non præ-

velle, ſed ut omnino in liberos ſuos, propter communem mortalium affectum, id devolvatur (*b*). Dein ut poſt ipſum Monarchica forma conſervetur, quippe quam ipſe ſuo exemplo comprobavit. Tum ut regnum maneat indiviſum; quippe cum diviſio cum regni juxta & familiæ Regiæ convulſione ſit conjuncta. Præterea, ut inter pares gradu mas præferatur fœminæ, primogenitus deinceps genitis Denique, ut, liberis deficientibus, ad proximum quemque ſanguine regnum devolvatur.

J. N. & G. *l.* VII. *c.* 7. §. II.

VIII. In regno uſufructuario ſucceſſionem definit Populus.

In illis autem regnis (*i*), quæ ab initio ultronea populi voluntate ſunt conſtituta, ORDO SUCCESSIONIS ORIGINARIE AB EJUSDEM POPULI VOLUNTATE de-

præcipit, ut primogentitus fratres excludat, neque prohibet: ratio enim ex una parte æqualitatem inter liberos commendat, nec fortuitus naſcendi eventus uni jus præcipuum dare poteſt. Ex altera autem parte primogentitus inter fratres æquales ætate prior & judicio perfectior eſt; ad regiam quoque fortunam magis educatus eſſe ſolet; hinc *juri gentium* ejus prærogativa tribuitur apud Livium XL. 9 Juſtin. II. 10. XVI. 2. XXI. 1. & XXXIV. 3. Artobazanes, Darii filius apud Herod. VII. 2. *Tanquam lege inter univerſos homines* ait *eſſe conſtitutum, ut maximus natu obtineat Principatum.* Apud populos Chriſtianos eundem morem lex divina promovit *Geneſ.* XLIX. *vſ.* 3. & 1 *Reg.* XI. *vſ.* 22. vid. Budd. *Diſſert. de Succeſſ. primog.* in *Selectis juris nat.* OTTO.

(*b*) *Devolvatur*]. Omnes hæ præſumtiones de voluntate regis demortui naturaliter fictitiæ ſunt, nec ullum habent fundamentum in juris naturæ præceptis. Præſumtus enim conſenſus non tantum valore ſuo deſtituitur in ſe; verum etiam præſumta de mortuo voluntas ad obligationes inferendas plane nullius ponderis eſt: ut ſilentio prætermittam; ſecundum jus naturæ non poſſe ea præſumi, de quibus jus naturæ penitus tacere videmus, qualia ſunt, monarchiam eſſe conſervandam; marem in ſucceſſione præferendum feminæ; primogenitum ceteris liberorum, & quæ ſunt reliqua, de quibus jus naturæ nil determinat. Supponunt ea omnia ſucceſſionis apud Europæos receptæ hypotheſin, quæ ex moribus gentium profecta, non ex præceptis juris naturæ. TREUER.

§. VIII. Populus, qui imperium fudavit, vel major Princeps, qui feudum contulit, jus ſuum exercet (1) *immediate* per legem expreſſam fundamentalem, vel tacite conſuetudinem probando, (2) *mediate* per Regem, cui ultimo Regiæ ſtirpis facultatem diſponendi conceſſit. Hujus autem diſpoſitio, ſi regno ſit noxia, a populo improbari poteſt: & hac in re inpri-

Digitized by Google

dependet (*k*). Qui ubi in Regem, una cum imperio, jus quoque ſucceſſoris conſtituendi contulerit, ſuccedet, quem hic voluerit. Ubi hoc non fuit factum, id jus populus ſibi reſervaſſe intelligitur. Cui ſi placuit, in electum Regem hereditario jure regnum conferre, ORDINEM SUCCEDENDI, vel SIMPLICIBUS HEREDITATIBUS CONSIMILEM, quantum ſalus Regni admittit, effecit, vel PECULIARI ipſum RATIONE temperavit.

J. N. & G. *l.* VII. *c.* 7. §. 12.

IX. Succeſſio in regno hereditario qualis? Ubi SIMPLICITER POPULUS REGEM JUSSERIT HEREDITARIO JURE REGNUM OBTINERE, nec quid peculiariter addiderit, voluit quidem, ut regnum eo ordine devolvatur, quo privatæ hereditates (*l*), ſed

primis differt regnum uſufructuarium a patrimoniali, in quo populus improbare non poteſt. Multa de hac ſucceſſione inſtitutiva Huber. *de Jure civ. I. ſect.* 7. *c.* 7. OTTO.

(*i*) *In illis autem Regnis*]. Si penes populum eſt jus ſucceſſores deſignandi, tum vel illud *Regi concedit*, quo caſu obtinent, quæ modo dicta ſunt, vel *immediate exercet*. Qua ratione autem ordo ſuccedendi conſtitui queat, Auctor hic innuit, & amplius declarat *d. c.* 7. §. 12. 13. 14. Cæterum ſi illa, lege expreſſa, vel conſuetudine, in aliqua Republica probata ſint, tum res bene ſe habet, alias privatæ ſpeculationes nullius erunt efficaciæ, imo, uti circa leges expreſſas nonnunquam etiam dubia incidunt, ita jura certiſſima vis bellica ſæpe turbat. TITIUS.

(*k*) *Dependet*]. Arbitrio populi ſucceſſionem, quam HUBERUS *inſtitutivam* appellat, in imperio poſſe conſtitui, nullum eſt dubium: fas enim eſt populo, non tantum uni homini, ſed etiam certæ & integræ cuidam familiæ jus imperii deferre, vel imperanti facultatem concedere determinandi ſucceſſorem: idque vel libere conferre poteſt, vel certis modorum limitibus circumſcribere: ſiquidem populo, cui jus eſt de ſubjecto ſummi imperii ſibi proſpicere, liberum jure naturæ relinquitur ſuo juri renunciare, idque in alium transferre. TREUER.

§. IX. Hæc a Grotio II. *c.* 7. §. 14. petita, ſi hiſtorias conſulimus, in plerisque regnis obſervata fuiſſe, ex Juſtin. XXI. 1. Curt. X. 7. Liv. XL. 11. & ex illis, quæ Hert. *ad Op. maj.* VII. *c.* 7. §. 12. annotavit, abunde conſtat. Largimur etiam, quod ille ſuccedendi modus hodie prudenter attendatur: quod ſi vero lege, vel conſuetudine non fuerit firmatus, potentior illi ſeſe non ſubjiciet, ſed qui in poſſeſſione eſt, obtinebit; quamobrem ad bella vitanda, linealis ſucceſſio introducta eſt. OTTO.

(*l*) *Privatæ hereditates*] Cavo-

Digitized by Google

ſed non ſine aliquo temperamento. Nam in hiſce fere, ut a privatis hereditatibus diſcedat ſucceſſio in regnis, ſalus civitatum requirit, I. ut regnum ſit individuum: II. ut ſucceſſio ſtet intra eos, qui a primo Rege deſcendunt: *nec ad ejus collaterales devolvatur*: III. ne ſuccedant, niſi qui nati ſunt ſecundum leges patriæ; non nothi tantum, ſed & adoptivi: IV. ut in pari gradu mares præferantur fœminis, etiam majoribus natu: V. ut ſucceſſor regnum agnoſcat tanquam beneficium populi, non tanquam beneficium anteceſſoris.

dict. §. 12.

(*m*) Verum quia facile inextricabiles controverſiæ oriri poterant, uter ex familia regnatrice nuper de- X. Succeſſio linealis in quo conſiſtat.

ve, ne hereditatis & juris hereditarii notionem ex jure privato ad hanc diſciplinam transferas: illa enim multis cautelis circumſepta eſt, quæ in naturæ jus non cadunt: quemadmodum monent Huberus *de jur. civ. l. I. ſect. VII. c.* 7. §. 19. & Thomas. ad Huber. *p.* 28. Non quoque jungenda ſtatim ſunt ſucceſſio hereditaria & facultas alienandi: populus enim, qui imperium cum ſucceſſione hereditaria imperanti confert, non ſtatim conſentit in alienationem, ut imperans pro lubitu libereque de ſe & regno collato diſponere queat: duo enim plane diſtincta ſunt imperium & dominium: quod verbis Thomasii illuſtrari poteſt *ad Huberum p.* 70. *Dominium natura ſua & ex conceptu proprietatis infert poteſtatem alienandi, niſi per conventionem adimatur; & imperium tamquam jus dirigendi cum poteſtate cogendi actiones ſubjectorum, natura ſua non infert poteſtatem alienandi, niſi per conventionem addatur.* Treuer.

§. X. Ex ſimplicitate naturali, qui gradu proximior eſt, ſuccedit. Verum lege publica quorundam populorum placuit *linealis ſucceſſio*, quæ in eo conſiſtit, quod liberi, a primo acquirente deſcendentes, totidem lineas perpendiculares, primogenitus primam, ejus fratres ſecundam, tertiam &c. ita conſtituunt, ut quamdiu ex linea prima aliquis ſupereſt, is in infinitum ceteros in reliquis lineis, licet proximiores, excludat. Neque enim gradus hic numerantur, neque juri repræſentationis aut exheredationi eſt locus. Linea primogeniti extincta primus ex linea ſecunda ſuccedit, quamvis in linea tertia aliquis ſtirpi gradu propinquor reperiatur. vid. Grotius II. *c.* 7. §. 22. & Huber. *de jure civ. I. ſect.* 7. *c.* 7. Otto.

(*m*) §. X. & XI. Controverſias & deciſiones huc ſpectantes. vid. apud Grotium *l. II c.* 7 §. 28. *ſqq* Boeclerum & Tesmarum ad eumdem. Arnisæum *relect. polit. l. II.*

Digitized by Google

defunctum proxima cognatione contingeret, ubi ab auctore ſtirpis longius diſceſſum fuerat: inde multos apud populos SUCCESSIO LINEALIS introducta eſt (*n*). Quæ in hoc conſiſtit; ut prout quisque ab auctore ſtirpis regnatricis deſcendit, ita lineam velut perpendicularem conſtituat; & inde quilibet ad regnum vocentur, prout ipſorum linea alias præcedit, nec de una linea in alteram fiat tranſitus, quoad ex priore aliquis adhuc ſuperſit; licet forte exiſtat, qui propiore gradu proxime defunctum Regem attingat.

J. N. & G. *l.* VII. *c.* 7. §. 13.

XI. Ejus ſpecies duæ, cognatica & agnatica.

Succeſſionis linealis uſitatiſſimæ ſunt ſpecies COGNATICA, & AGNATICA. In illa fœminæ non excluduntur, ſed poſtponuntur maribus in eadem linea;

l. II. ſect. 10. *ſqq.* HUBERUM *de jur. civit. l. I. ſect.* 7. *c.* 7. *p.* 278. *ſeqq.* TREUER.

(*n*) *Introducta eſt*]. Hæc ſane, in Regnis ultronea Populi voluntate conſtitutis, videtur maxime naturalis; atque hoc habet peculiare, quod per eam idem ſemper cuique noviſſime defuncto Poſſeſſori, atque primo ſtirpis Auctori, ex ſuperſtitibus proximus ſit Succeſſor. CARMICH.

§. XI. Succeſſio linealis *cognatica* eſt, ubi feminæ, maſculis deficientibus, in ſubſidium admittuntur mareſque ſecundæ lineæ excludunt. Hæc *Caſtiliana* vocatur, quia ad exemplum ſucceſſionis in vetus Caſtiliæ regnum, a Carolo V. Imp. A 1558. ejusque filio, Philippo II. lege fundamentali per omnia regna Hiſpanica A. 1598. introducta eſt auctore Thuano *l.* 120. (2) *Agnatica* vero, quæ feminas & ex feminis natos excludit, *Francica* dicitur: eaque non ex ipſa naturæ lege, uti Puteanus, *des Juſtes pretenſions pag.* 139. neque ex lege Salica, de terris Saliorum & allodii ſpecie loquente; multo minus ex dicto Chriſti, *Lilia non nent;* ſed ex antiquo more Francorum deſcendit, teſte Agathia *l. II* Henricus autem III. in Comitiis Blæſenſibus A. 1576. eam firmavit, & ex hoc capite Eduardus III. excludebatur tanquam ex femina natus. vid. Bodin. VI. *de Rep. c.* 1. Cabot. I. *Diſp. c.* 16. & Cl. Ludewigii *Opuſc. t.* II. *de Jure Anglor. in Galliam.* (3) Si filia Infans apud Hiſpanos, aut filius Regis apud Gallos ſucceſſioni renunciaverit, parentis factum liberis natis haud nocet, quia jus proprium ex lege habent; naſcituris obeſt, quia jus illis non eſt quæſitum: maxime ſi renunciatio ab Ordinibus ſolenniter fuit confirmata. vid. Grot. II. *c.* 7. §. 26. Obrecht *Excerpt. de Nat ſucc. Hiſp.* & Cl. Buddeus, *de Teſtam. ſumm. imp.* OTTO.

(*o*)

linea; ita ut etiam ad ipſas fiat regreſſus, ſi mares potiori aut pari gradu defecerint. Hæc autem fœminas, & ex hiſce natos etiam mares in perpetuum excludit (*o*).

dict. §. 13.

Ubi ſuper ſucceſſione (*p*) in regno patrimoniali con- XII. Lites ſuper ſuc-

(*o*) *In perpetuum excludit*] *Agnaticæ* Succeſſionis in Regno (in minoribus enim dignitatibus crebro occurrit) ſingulare exemplum ſuppeditat *Gallia*: in reliquis fere hæreditariis Regnis obtinet *Cognatica*; non quæ Juris Romani Interpretibus ita dicitur, quæ ſc. Fœminas, juxta atque Mares, tum in deſcendendo admittit, tum in aſcendendo; ſed quæ, ut eſt individua, deſcendendo Fœminas poſt Mares in eadem linea admittit, &, ſi ad aliam lineam ſit tranſeundum, per eaſdem perſonas aſcendit, per quas deſcenderat. CARMICH.

Nec deſunt exempla, ubi ſucceſſio cognatica agnaticæ ſubſtituitur, & certa ratione miſcetur. Lex regia Danorum id illuſtrat *art.* 28. *ſqq.* *In ſucceſſione rite deſignanda linearum ratio habetor, ita ut ob ætatem numquam tranſeatur de linea in lineam, ſed filius ſtatim ſubeat in locum patris, & quamdiu in prima maſculæ ſtirpis linea maſculus ex maſculo ſuperſtes, ex ſecunda linea nemo ad ſceptrum vocetur, & ſic deinceps linea poſt lineam. Deficiente demum lineali ſucceſſione agnatica linealem cognaticam ſubſtituimus. Quumque ita ad femineum ſexum rerum ſumma devolvitur; primo femineæ lineæ, quarum a nobis per filios noſtros ſtemma deſcendit, & tamdem his deficientibus ad ultimum, quæ a nobis per filias noſtras ſtemma deducunt, ſuccedunto, linea poſt lineam, primogenituræ æternum obſervato jure, ita quidem, ut mares ex maribus ſemper antecedant; ut maſculo ſexui ſua perpetuo prærogativa conſtet; & deinde inter pares eodem lineæ & ſexus jure major natu ſemper minorem præcedat.* TREUER.

§. XII. Ut Arbitri ſuper regno *patrimoniali* ſumantur, non eſt adſpernendum tanquam conſilium; ſed quia illi non faciunt jus perfectum, & vix omni exceptione majores reperiri poſſunt; ideo gladius potentis eos communiter vel adſpernatur, vel eorum ſententias eludit. In *fructuariis* autem recte Grotius II. *c.* 7. §. 27. diſtinguit inter regnum & principatum, tum inter Regem vivum, aut mortuum, de cujus ſucceſſore quæritur. Rege defuncto, ſi neuter competitorum eſt in poſſeſſione, populus hanc litem decidit, non velut pro tribunali, ſed (1) quia ſui juris eſt, quantum ſufficit ad hanc litem: idem (2) omnibus cognatis æqualiter favere, ac (3) modum ſuccedendi, lege olim definitum, optime interpretari poſſe videtur. (4) Multum denique ejus aſſenſus, & auxilium prodeſt parti, cui accedit. Optimum vero eſt, ut legibus fundamentalibus judicium Procerum hoc in caſu definiatur; quia aliorum populorum exempla non ſufficiunt, & quilibet de acquirenda per militem poſſeſſione eſt ſolicitus; prorſus ac olim Ennius cecinit, VIII. *Annal.*

Tollitur e medio ſapientia, vi geritur res.
Spernitur Orator bonus; horridus miles amatur;
Haud doctis dictis certantes, ſed maledictis.
Miſcent inter ſeſe inimicitias agitantes.

Non

Digitized by Google

ceſſione a quo dirimendæ? controverſia oriatur, optimum fuerit ad arbitros (*q*) ex familia Regia iri. Si ſucceſſio fuerit vo-

Non ex jure manu conſertum; ſed mage ferro
Rem repetunt, regnumque petunt, vadunt ſolida vi. OTTO.

(*p*) *Ubi ſuper ſucceſſione*]. Quis judex ſit, orta circa ſucceſſionem controverſia, illud ex indole liberæ gentis facile apparet, add. *l.* VII. *c.* 7. §. 15. ſed ut plurimum vis bellica ejusmodi judices aſpernatur, aut ſententias latas eludit. Quod ſi, orta lite, neuter ſit in poſſeſſione, tum etiam in Regnis ſucceſſivis eſt interregnum, add. *d. c.* 7. §. 10. Quod ſi ſtirps Regia deficiat, tum populum plane fieri ſui juris, ad eoque vel ſine Rege deinceps agere, vel generali aut ſpeciali electione aliud caput ſibi imponere poſſe, manifeſtum, ſed popularis illius libertatis circulos ut plurimum etiam arma turbare ſolent. TITIUS.

(*q*) *Ad arbitros*]. Quoniam plerumque hoſtilis eſt de regno controverſia; bello magis, quam arbitris ea decidi ſolet, in primis, quum vix arbitros invenire liceat in tanto negotio, qui non aliqua utilitatis aura ducantur. Sæpius ſingularium bello & particulari certamini res tota commiſſa fuit, ut apud LIVIUM *l.* XXVIII *c.* 21. Nonnumquam forti id negotium reliquerunt & a fortunæ arbitrio deciſionem exſpectarunt, quod non omnimode improbandum eſſe cenſent BERNEGGER. *quæſt ad Tacit. Agric. c.* 6. *n.* 3. *quæſt* 178. BOECLER. *t. III. diſſ. p* 437 *ſq* Recentioris ævi controverſias de ſucceſſionibus committi ſæpe videas JCtorum calamis & deductionibus, quibus in utramque partem ventilantur: ab iis tamen cauſſæ nonnullis eſſe videntur, cur firmæ & negotium conficientes decidendi rationes non exſpectari queant, partim ob errores communes, qui foventur de regno patrimoniali & valore teſtamentorum in ſucceſſionibus regiis; partim ob ceteras cauſſas, quas exponit THOMASIUS *ad Huberum p* 286. *JCti non difficulter poſſunt rationes invenire pro quacumque reſponſione ad quæſtiones propoſitas: quum rationes in utramque partem fere non deſint, non quidem magni ponderis, ſed tamen nequaquam exemplis & auctoritatibus deſtituta. Modo enim alii quæſtiones ejusmodi definire voluerunt ex jure Juſtinianeo; modo ex moribus aut jure recepto illius populi in hereditatibus privatis, de cujus ſucceſſione agitur; modo ex exemplis præcedentibus ſucceſſionis in eodem regno, effectu non carentibus; modo ex exemplis regnorum; modo ex æquitate cerebrina aut cerea & facile flexili. Quæ omnia non magni ſunt momenti, ſi princeps, cujus cauſſa agitur, careat potentia: at ſi hac polleat; pleni ſunt libri JCtorum ejusmodi locis communibus, unde defenſor cujuscumque cauſſæ plurima argumenta colligere poterit per potentiam principis, cujus cauſſa agitur, multum roboris acceptura.* Ferro itaque res decidenda, ubi juſtitia ex utraque parte veroſimillima eſt: nec ad arbitros jure ſtricto obligantur principes litigantes; ſed tantum jure imperfecto & decori regulis, quod, ut tutiores viæ prius tententur, optimo conſilio ſuadere ſolet. TREUER.

(*r*) *Declaratio populi*]. Non per rationem deciſionis, quæ ſuperioritatem aliquam ſignificet, qua populus non vacante penitus imperii ſede gaudere nequit: non per declarationem, quæ habeat vim interpretationis authenticæ: hæc enim majeſtati competit: ſed per declarationem conventionalem, qua populo tamquam paciſcenti jus eſt interpretandi pacti contenta ſecundum indolem & intentionem negotii, de quo fuit initum. IDEM.

(*s*) *Dubium tollet*]. Certum eſt, non

Digitized by Google

luntate populi conſtituta, declaratio populi (*r*) dubium tollet (*s*).

J. N. & G. *l.* vii. *c.* 7. §. 15.

non poſſe aſſumi hoc in caſu aptiorem Arbitrum quam Populum; utpote qui, cum moraliter idem habeatur, qui alio quovis ſæculo fuerat, mentem ſuam haud ſatis liquido ut ſupponitur, prius ſignificatam, optime novit explicare: non tamen ejusmodi declaratio magis naturam habet Sententiæ judiciariæ (ut recte monet Auctor, de *J. N. & G. h. t.* §. *ult.*) quam ſi Donator obſcura aut ambigua ſua verba interpretatus fuerit.

Enimvero licet de naturali ordine Succeſſionis nulla moveatur controverſia, ſi tamen conſtet eum cui naſcendi ſors favet, ea mente eſſe præditum, a qua non poſſit non procedere ejusmodi Imperii adminiſtratio, quæ publicam Salutem ſit peſſumdatura; cum ob talem adminiſtrationem actu ſuſceptam & pertinaciter continuatam, Regem etiam jure potitum Imperio Populus ab eodem recte poſſit deturbare (ut ſupra oſtenſum) non quidem per modum Juris dicendi, ſed medii ad conſervationem ſuam neceſſarii adhibendi; poterit & eodem jure, ob ſimilem adminiſtrationem per manifeſta indicia a ſe prævisam, naſcendi ſorte deſignatum hæredem a Succeſſione repellere: qualia inter indicia nullum eſt manifeſtius, quam Profeſſio *Religionis*, ſi qua ſit, cujus inſtituta ad ſacra & civilia Civium jura evertenda, omnemque verſus eos Obligationis conſcientiam radicitus evellendam, collineant.

Quem porro manifeſtus Imperii abuſus a Solio deturbandi, vel voluntarium, quale modo deſcripſimus, vitium, a Succeſſione excludendi cauſam ſuppeditat, ejusdem ſimul omnes poſteros, ſaltem poſt datam ejusmodi cauſam naſcituros, a Succeſſione pariter excludit: habet enim utrumque eandem vim ac *Renunciatio*; cum nihil interſit, ſive quis omnino imperare nolit, ſive nolit ita imperare, ut Imperii finis obtineatur. Atqui, licet jus Succeſſoris in Regno non Patrimoniali haud ita a Deceſſoris arbitrio pendeat, ut hic quemquam poſſit hæredem inſtituere; vel etiam exhæredare, eo cum effectu, ut exhæredatus Populo invito a Succeſſione repellatur; tamen, cum ſuccedendi jus, quatenus adverſus ipſum Populum valet, ab eo, cui primo Regnum delatum eſt, ad remotiores poſteros, non niſi per perſonas in recta linea intermedias tranſmittatur; poteſt quilibet, ſeu Regni Poſſeſſor, ſeu in certo caſu Linealis Succeſſor, Jus ſuum Populo id volenti remittere, eique in ejus gratiam renunciare, cum hoc effectu, ut Populus ab omnibus renunciantis Poſteris, poſt renunciationem ſaltem naſcituris, ſucceſſionem jure poſſit avertere (adſtipulante *Grotio Lib. II. Cap. VII.* § 26. *in fine*) ſed ita, ut *Hæredibus collateralibus nullà fiat noxa*; utpote ad quos non per renunciantem, ſed per ſuos in recta linea Majores ſuccedendi jus tranſmittitur: quod idem *Grotius* aliique cautum volunt in gratiam *Deſcendentium* ipſius renunciantis, jam *ante renunciationem* factam *Natorum*; utpote quibus, quamprimum exiſtere cœperunt, ſuo ordine ſuccedendi jus quæſitum ſupponitur: ſed, ut verum dicamus, nulla ratio ſuadet, per ipſam nativitatem abſque ullo ſubſequente actu jus nato acquiri adverſus conſentientem eorum voluntatem, qui conſenſu ſuo illud jus naſcituro potuiſſent præripere.

De ante natis interim quidcunque ſtatuatur, cum pateat ex dictis, *voluntariam*, qualem ſupra deſcripſimus, *inhabilitatem*, *Juris* etiam *ad Poſteros tranſmiſſionem im-*

Bbb pe-

pedire; ſequitur, in quocunque Regno *Religionis reformatæ* Profeſſio Legibus eſt firmata, ad quarum perpetuo futuram ſtabilitatem jus ſibi perfectum Populus quæſivit; illic *Pontificiæ Religionis* Profeſſionem efficere, ut non modo qui eam gerunt ſinguli, quocunque ordine naſcendi ſorte deſignati Regni Succeſſores, ſed & eorum Liberi, ſaltem poſt contractam iſtam inhabilitatem nati, eorumque deſcendentes in infinitum, a Populo, ſuæ Religionis ac Libertatis ut par eſt ſtudioſo, recte poſſint Succeſſione prohiberi: quo in caſu proximo in linea collaterali, cui nulla objici poteſt inhabilitas, Imperium, ad Poſteros etiam tranſmittendum, recte defertur.

Salutari itaque nec minus Juris univerſalis principiis conformi conſilio, Gentes *Brittannicæ*, excluſis quotquot Romano Pontificatui ſe mancipaverant, Imperii apud ſe Succeſſionem detulerunt Illuſtriſſimæ illi Familiæ, iis ab interitu vindicandis quaſi Cœli digito monſtratæ, quæ Sereniſſimum Regem *GEORGIUM*, nobis hodie feliciter imperantem, dedit, quæque piorum Regum Propaginem eſt datura, ſi *Brittanniæ* vota valuerint, cum Sole & Luna duraturam. Carmich.

C A-

Digitized by Google

Caput XI.

De Officio Summorum Imperantium.

Summaria.

I. *Officia ſummorum Imperantium:*
II. *Quid ſui officii ſit, probe noviſſe,*
III. *Salutem populi ſupremam legem habere,*
IV. *Cives bonis moribus imbuere,*
V. *Leges commodas ferre,*
VI. *Executionem procurare & punire,*
VII. *Pœnas temperare,*
VIII. *Injurias civium mutuas prohibere,*
IX. *Idoneis miniſtris uti,*
X. *Tributa recte exigere & collocare,*
XI. *Facultates civium promovere,*
XII. *Factiones præcavere*
XIII. *Et ſecuritati civitatis proſpicere.*

Quibus præceptis (*t*), Officium (*v*) Summorum Imperantium conſtet, ex indole ac fine civi- I. Officia Summi Imperantis.

§. I. Officia Imperantium ſunt multa, & valde moleſta, ſi ex fide debeant obſervari; continent enim *curam ſalutis alienæ*, ut bene ait Ammianus Marcellinus XXIX. *c.* 2. Seneca imperium Principum *ſervitutem* vocat I. *de Clement. c.* 8. & Tiberius *quaſi coactus ac querens, miſeram & onerosam ſibi injungi ſervitutem, recepit imperium*, auctore Suetonio *c.* 24. (2) Officia autem illa ſunt cognitu faciliima, quia officiis paſtorum & patrumfamilias præclare comparantur apud Xenophont. VIII. *Cyrop. pag.* 210. Seneca pater II. *Nat. Quæſt. c.* 43. omnibus, qui poteſtatem aliquam inter homines adepti ſunt, Jovis imitationem proponit: alter autem I. *de Clem. c.* 1. eos *Deorum vice* in terris fungi monet. Sunt enim vicarii Dei optimi maximi; qui omnia ordine diſpenſat, anni tempora, fruges, fructus, parcit, punit, ut pater generis humani. (3) Ex eadem cauſa *Patris patriæ* appellatio ad bonos Imperatores, Auguſtum, Hadrianum & Pertinacem fuit tranſlata; & Pauſanias *in Arcad.* ſive

Digitized by Google

vitatum, nec non expenſis ſummi imperii partibus perſpicuo colligitur.

J. N. & G. *l.* VII. *c.* 9. §. I.

II. Ante omnia quid

Ubi ante omnia requiritur (*x*), ut Imperantes ipſi

VIII. *c.* 43. de Antonino ſcribit: *Hunc Romani Pium appellarunt, quod omnium religionum ſtudioſiſſimus fuerit: ſed opinione mea Cyri etiam majoris cognomen promeruit, ut ſcilicet communis* hominum pater *diceretur.* Patent illa quoque ex fine Reipublicæ, de quo ad §. 3. & ex iis, quæ Petrus Faber III. *Sem. c.* 16. *& ſeqq.* profuſa eruditionis copia expoſuit. Otto.

(*t*) *Quibus præceptis*]. De officio Imperantium minime implicata eſt tractatio, nam eos ex fide data obligari, quo univerſum Imperium & ſingulas ejus partes ad utilitatem civitatis referant, manifeſtum eſt: de cætero tamen officiorum illorum expoſitio, ſolertiſſime licet inſtituta, exceſſibus, qui hic frequentiſſimi ſunt, mederi nequit, niſi quatenus illi ex ignorantia dependent: add. *l.* VII. *c.* 9. §. I. Titius.

(*v*) *Officium*]. Facillime circa imperantium officia miſcentur inter ſe, quid ſit juſtum, honeſtum, decorum & prudenter actum, quæ ab ipſo auctore noſtro minus recte ſecernuntur. Treuer.

§. II. Socrates ſtultum eſſe cenſuit, non poſſe quemquam præſtare in viliſſimis artibus illiberalibus, niſi magiſtros idoneos nactus fuerit; nec clavum unquam committi nautæ, niſi vadorum brevia declinare didicerit; nec equum regere poſſe, niſi rei equeſtris peritum; hominis vero, animalis multorum capitum, in officio continendi, & gubernandæ civitatis prudentiam ſponte ſua hominibus obvenire, eamque tuto illis poſſe credi, qui nullam rerum civilium peritiam ſibi compararunt. Opus ergo eſt, ut futuri imperantes mature ducantur ad virtutem & prudentiam. (2) *Virtutum* primæ ſunt: pietas, probitas, juſtitia & clementia, quas, velut magna ſidera, reliqua lumina comitantur. *Prudentia* late fuſa eſt, & in togatam ac militarem; togata in divinam & humanam dividitur. Fontes ejus ſunt notitia regni, Regum, populi & vicinorum; quæ ex hiſtoria & regulis prudentiæ civilis acquiritur inprimis, uti Lipſius in *libris Politicorum*, Bœclerus in *Hiſtoria*, *Principum Schola* & Cl. Barbeyrac. *ad Op. maj.* VII. *c.* 9. §. I. egregie oſtenderunt. Cicero III. *de I.L. c.* 18. *Noſſe Rempublicam late patet, quid habeat militum, quid valeat ærario, quos Reſpublica habeat ſocios, quos amicos, quos ſtipendiarios; qua quisque ſit lege, conditione, fœdere: tenere conſuetudinem decernendi, noſſe exempla majorum* &c. (3) In ſtudiis autem vitandum eſt, ne ſcholæ, ſed vitæ diſcant, adeoque imitari debent Agricolam: *qui ſtudio ſcientiæ flagrantem animum coërcuit, tenuitque, quod eſt difficillimum ex ſapientia, modum*, Tacit. *ej. vita c.* 4. Maxime vero illa ſolide doceri debent, quæ ad imperandum pertinent, uti de Auguſto Dio Caſſius ſcribit; eumque in finem lectiſſimis viris tradendi ſunt, qui & *ſapientiſſimi*. *& juſtiſſimi*, *& temperantiſſimi*, *& fortiſſimi*, uti de Regum liberis apud Perſas, Plato in *Alcibiade* teſtatur. (4) Plinius III. *Ep.* 18. *Præcipere, qualis debeat eſſe Princeps, pulchrum quidem, ſed onerоſum ac prope ſuperbum* vocat; ſed Eraſmus, Oſorius, Mariana & Balzacus *de Regis Inſtitutione*,

ipſi deligenter DISCANT, QUÆ AD PLENAM EJUS OFFICII COGNITIONEM pertinent; cum nemo laudabiliter exercere poſſit, quod non probe didicit. Unde Principi ſequeſtranda illa ſtudia (y), quæ ad huncce finem nihil faciunt. Circumcidendæ quoque voluptates, oblectationes, vanæque occupationes, quatenus iſtum finem intercipiunt. Ideo & in familiaritatem admittendi viri cordati, rerumque

ſui officii ſit, bene noviſſe.

tione, multa præclara præceperunt. Prudens quoque Grotii conſilium, Carolo Guſtavo datum, refert Puſend. VII. *Hiſt. Car. Guſt.* §. 3. OTTO.

(*x*) *Ubi ante omnia requiritur*] Primo igitur Imperans noſſe debet, *qua ratione utilitatem Reipublicæ promovere queat*, quæ notitia ex accurata Reipublicæ propriæ & vicinarum cognitione reſultat, quæ autem, ad illam acquirendam, Principi facienda vel omittenda ſint, Auctor cordate oſtendit *h.* add. *d. c.* 9. §. 2 TITIUS.

(*y*) *Unde Principi ſequeſtranda illa ſtudia*] Totus hic §. ad politicam ſpectat, non ad jus naturæ, quod non diſquirit, quomodo princeps ſit inſtituendus, ſed quomodo erga cives ſe juſte gerere debeat. Si tamen de ſtudiis literariis principum hic loci judicandum ſit; princeps AGRICOLAM apud TACITUM *c.* IV. *n.* 6 imitaturus, ſtudio ſcientiæ flagrantem animum coërceat, teneatque, quod eſt difficillimum, ex ſapientia modum. Eruditus ſit princeps; ea vero eruditione, quæ principem decet. Riſum ſane movet CAMPANELLA, qui in civitate ſolis regem ſuum metaphyſicam doceri vult; BARLÆUS in methodo ſtudiorum præſcripta ducibus Megapolenſibus, qui prædicamenta & prædicabilia cum ſyllogiſmo & alia iis commendat: ſic alii plures hallucinati ſunt. Rectius monuit GROTIUS CAROLUM GUSTAVUM, tunc Rheni Palatinum, poſtea regem Sueciæ, ſciſcitantem de ſtudiis principi tractandis: *Eius faſtigii homines non diu literis incumbere, ſed rebus gerendis ſe dare oportere*, de quo vid. PUFEND. *rerum a Carolo Guſt. geſtarum lib. VII.* §. 3. *fol.* 603. & MAZARINUS optime conſuluit LUDOVICO XIV. *a lire & a apprendre ſon grand metier de Roi. Memoir de Mad. de* MOTTEVILLE *T. V. p* 30 II, quibus principum rationes perſpectæ eſſe poſſunt, in principe erudito requirunt, ut notitiam patriæ, reipublicæ & domus ſibi acquiſiverit, illarumque jura, ſtatum & neceſſitates probe cognoverit: ut hiſtoriam recentiſſimorum temporum habitumque finitimarum aularum non ignoret: ut belli paciſque jura & artes non ex ſchola, ſed orbis politici negotiationibus & hiſtoria intelligat & æſtimare poſſit:

Tu regere imperio populos, Romane, memento:
Hæ tibi erunt artes: pacique imponere morem,
Parcere ſubjectis & debellare ſuperbos.

Ad deſiderata doctrinæ politicæ pertinet vera ſolidaque principis inſtruendi methodus: ſcriptorum quidem ea in re magna ſeges eſt, ſed vel ad ſuæ ambitionis ambitum principis doctrinam metiuntur & inepta conſilia ſuppeditant, quæ vitium *pedantismi* incurrunt; vel generalia ſubgerunt monita, quibus viri honeſti idea magis exprimitur, quam ſpeciatim principis. Si qui conſulendi ſunt hac in

que humanarum periti: adulatores, nugatores, & qui præter inania nihil didicerunt, procul arcendi. Enimvero ut generalia prudentiæ rectricis præcepta rite adplicare norit, quam penitiſſime ipſi conditio ſui ſtatus, ſubjectique indoles populi eſt cognoſcenda. Illisque præterea virtutibus (z) cumprimis ſtudendum, quarum uſus in tantæ molis adminiſtratione maxime conſpicitur, moresque ad tanti faſtigii dignitatem componendi.

J. N. & G. *l.* vii. *c.* 9. §. 2.

Ge-

In materia, eos commendandos eſſe ſentio, qui vel ipſi ad gubernacula ſederunt ſuisque filiis imperio deſtinatis inſtitutionis modum præſcripſerunt, vel qui educationi principum præfecti viam, quam ipſi inſtiterunt, diſtinctius monſtrare conati ſunt, propiusque a noſtrorum temporum ratione genioque abſunt. Non tamen ſemper & iſta rem acu tetigerunt: Ferdinandi III. *princeps in compendio*, quamvis a Lambecio mirifice laudetur, virtutes chriſtianas multis modis commendat, ſed principem non efformat. *Donum regium* Jacobi I. politicæ prudentiæ principis magis conſulit & ad ſpecialiora deſcendit: in nonnullis tamen adfectum ſingularem auctoris prodit e. c. circa tolerantiam eccleſiaſticam puritanorum & fanaticorum. Fr. Hildesheim in vita Joachimi II. MScpta Joachimum I. electorem Brandenb. Nannonis cujusdam *præcepta aſtrologica* in Germanicam linguam ex latina tranſtuliſſe narrat filioque ſuo inſcripſiſſe, præmiſſo procemio ſatis longo, quo filium ad doctrinam & virtutem cohortatur: ſed ipſe liber oſtendit, qualem de ſtudiis principi neceſſariis ſibi formaverit ideam. Interim cum fructu legi poſſunt *le roſier de guerres de* Louis XI. *Inſtruction de l'Empereur* Charles V. *a* Philippe II. *& de* Philippe II. *au prince* Philippe *ſon fils par* Teissier. *Jo. Schroed.* Skytte informatoris Gustavi Adolphi *informatio brevis, quibus artibus virtutibusque oporteat inſtructum eſſe & exercitatum principem.* *Harduini de* Perefixe *inſtitutio principis. Pariſiis* 12. 1647. Bossueti *epiſt. ad* Innocentium XIII. *de inſtitutione* Ludovici XIV. *le Telemaque par* Fenelon *de Salignac.* Vid. Varillas *Prattique de l'Education des princes. Amſt.* 1691. 8. Saavedræ *emblemata. Eſſais de* Montaigne *L I c.* 39. Treuer.

(z) *Illisque præterea virtutibus*] Virtutes, quæ huc præcipue pertinent, a Cl. *Barbeyracio* in *J. N. & G. h. l.* recenſentur ſequentes. 1. *Pietas erga DEUM.* 2. *Juſtitiæ & æquitatis amor.* 3. *Fortitudo prudentia temperata.* 4. *Taciturnitas.* 5. *Moderatio cupiditatum.* 6. *Bonitas, & Clementia.* 7. *Liberalitas.* Quas ſingulas, ut & complura monitorum, quæ ab Auctore in hoc Capite inculcantur, illuſtrat eruditus Annotator aptiſſimis reflexionibus, tum ſuis, tum ex aliis ſolertiſſimi ingenii Scriptoribus mutuo ſumptis; inter quos eminent *Montanus Charron*, *Bruyerus*, & præcipue ſagaciſſimus Auctor nobilis Fabulæ *de Rebus geſtis Telemachi;* quæ ſane tota, a capite ad calcem, elegantiſſima eſt & copioſiſſima in hoc caput commentatio. Vide etiam *Buddei* Philoſ. Pract.

Part.

Digitized by Google

III. Salutem populi ſummam legem habere.

Generalis lex Summorum (*a*) Imperantium eſt hæc: Salus populi suprema lex esto (*b*). Ea enim intentione in iſtos imperium eſt collatum, ut per id procuraretur finis, ob quem civitates ſunt inſtitutæ. Inde credere iidem debent, nihil ſibi privatim expedire, quod non idem expedit civitati.

J. N. & G. *l.* vii. *c.* 9. §. 3.

IV. Diſciplinæ publicæ cives adſuefacere.

Ad internam Civitatum (*c*) tranquillitatem requiritur, ut voluntates civium ita temperentur, & diri-

Part. III. Cap. V. Sect. III. & ſeqq. Carmich.

§. III. Finis Reipublicæ non eſt otium & ſplendor Principis, ſed tutela populi & ſalus civitatis. Docet id auctoritas Divina, *Deut.* XVII. *vſ.* 19. & Sapientum conſenſus. Socrates apud Xenophont. III. *Memorab. pr.* Cicero I. *de Off.* 25. & pulchre *ad Att.* VIII. *Epiſt.* 11. *Ut gubernatori curſus ſecundus, Medico ſalus, Imperatori victoria, ſic huic moderatori Reipublicæ beata civium vita propoſita eſt; ut opibus firma, copiis locuples, gloria ampla, virtute honeſta ſit. Hujus enim operis, maximi inter homines atque optimi, illum eſſe perfectorum volo.* Quod autem finis ille tam raro obtinetur, luxus, adulatio & artes miniſtrorum efficiunt, quibus privata ſtimulatio eſt, & vile decus publicum. Plura de optimo fine Reipublicæ dabit Bodinus l. *de rep.* 1. & Lipſ. *Monit. Pol. II.* 7. Otto.

(*a*) *Generalis lex ſummorum*]. Deinde *mediis habilibus utilitatem Reipublicæ promovere debet*, add. *d. c.* 9. §. 3. ſed praxis aliter ſervat, dum ad utilitatem Imperantis & miniſtrorum omnia referuntur, eaque verus civitatum ſcopus eſſe exiſtimatur. Titius.

(*a*) *Salus populi ſuprema lex eſto*]. Exinde duplex datur imperantium obligatio erga cives, ut ſunt homines, ut ſunt cives. Utraque pendet ex jure naturæ: poſterior quoque pendet ex fine, ob quem cives coierunt in civitatem. Utramque innuit Plinius *in panegyr. Trajani p. m.* 3. de quo hæc inter laudes recenſet: *Unum ille ſe ex nobis, & hoc magis excellit atque eminet, quod unum ex nobis putat: nec minus hominem ſe, quam hominibus præeſſe meminit.* Treuer.

§. IV. Ex generali officio, §. *præced.* propoſito, ſalutem populi primam ſibi dicere legem, plura fluunt ſpecialia, quorum primum eſt, curare Diſciplinam, ut cives ſint boni, honeſti, religioſi, &, quantum fieri poteſt, fugiant mendacium, ebrietatem, otium, luxuriem, atque alia id genus vitia. (2) Romæ Cenſorum munus fuit turpiter viventem Senatu movere; probroſo Equiti equum publicum adimere; plebem inhoneſtam in Cæritum tabulas referre. uti Val. Max. IV. *c.* 1. *n.* 10. Aſconius *in Divin. Cic.* Gellius IV. *c.* 12. 20. & Plutarchus *in Paulo Æmilio*, teſtantur. Sub occupata autem Republica Cæſar Præfecti morum titulo uſus eſt; Auguſtus vim & poteſtatem Cenſoriam in ſe traxit; ejusque ſucceſſores, licet odioſo vocabulo abſtinerent, omne morum regimen tenuerunt, Suet. *Jul. c.* 76. *Claud. c.* 16. Cl. Thomaſ. in *Diſſ. de Judicio, ſive cenſura morum.* (3) Hodie vero Prin-

 cipem

dirigantur, prout ſaluti civitatis expedit. Inde ſummorum imperantium eſt, non ſolum idoneas ei fini Leges præſcribere: ſed & publicam disciplinam ita ſancire, ut non tam metu ſuppliciorum, quam aſſuetudine cives ad legum præſcripta ſeſe componant. Ad quem finem quoque facit, curare, ut doctrina Chriſtiana (*d*), pura illa & ſincera,

cipem optimum dicemus Cenſorem, qui ſubjectis exemplo præit in calcanda virtutis via, & ſequentes præmiis ornat: quique ſerio ſimul alit literas & promovet religionem Chriſtianam, omnis virtutis, caritatis & obedientiæ magiſtram; qui denique diſciplinam eccleſiaſticam rite adminiſtrari curat. Vid. Puſendorf. *Diſſert. de Concordia veræ Polit. cum relig. Chriſt.* & Buddei *de Concordia relig. Chriſt. ſtatusque civilis.* (4) Aurea eſt vox Valentiniani, de hominibus domus Auguſtæ: *Legibus ſerviant, quibus tenentur & Principes*, in *l.* 2. *C. Th. de conduct. & hom. dom. Aug.* Idem quoque exemplum ſuum præfert in *l. ult. C. Th. de Cenſu* & *l.* 1. *C. Th. Si per obrept.* ubi: *Quo lubentius adquieſcant, proprio æquanimitatem docemus exemplo* &c. vid. Jac. Gothofredi *Orationem*, cui *Ulpiani* titulum fecit, & ſupra *ad. c.* 9. §. 3. Otto.

(*c*) *Ad internam civitatem*]. Ex illo interim principio generaliori plura ſpecialia fluunt. Debet ſcilicet Imperans efficere, quo ſubditi *animalia politica & ſocialia, imo etiam*, quantum fieri poteſt, *religioſi Dei cultores evadant.* Ad hunc finem facit, ſi *ſolidam doctrinam iis proponi*, ac, *juxta eam, bonis moribus, per viros probos & cordatos, ab ineunte ætate, eos imbui curet*, in primis vero, ſi *virtutes alat, aut ſaltem non contemnat, atque vitia præferat*, ne recte in juventute egiſſe olim quem pœniteat, add. *d. c.* 9. § 4. Titius.

(*d*) *Ut doctrina Chriſtiana*]. Jus naturæ de religione Chriſtiana nil novit, nec judicat: quapropter cura ejus ad officia imperantium jure naturæ præcepta pertinere nequit. Quid? quod cura religionis naturalis, quæ finem civitatis primario non attingit, non ex principiis juſti, ſed honeſti deducenda & imperanti obſervanda eſt: religio enim res eſt conſcientiæ & a civibus libero imperantis arbitrio non commiſſa, ſed ſibimet ipſis reſervata. Imperans ergo in externum religionis uſum jus quidem habet temperandi eumdem ad civitatis ſalutem & tranquillitatem: non tamen religionem ipſam, rem mere divinam, pro lubitu imperare poterit. Quod ad religionem Chriſtianam attinet, in ejus ſocietate princeps conſideratur, ut imperans in civitate, vel ut membrum primarium eccleſiæ, neutro reſpectu abſolutum jus in religionem ei tribui poterit: ſed omnia recidunt ad directionem religionis externam. Hoc tamen ratio etiam, ſi adplicetur ad religionis Chriſtianæ placita, adgnoſcit, eam neque civitati, neque imperantibus, neque juri naturæ ulla in parte adverſari: quidquid Bælius *t. IV. reſponſ.* 26. 27. in contrarium adferat, putans, religionem Chriſtianam reſpubl. evertere, quum vindictam, fraudes, ambitionem, avaritiam acerrime prohibeat: quod exemplo Romanorum ſub Constantino M. & Germanorum ſub Carolo M. illuſtrat. Conf. Seckendorfs *Chriſten-Staat.* Pufend. *diſſ. de concordia veræ politicæ cum religione chriſtiana, & de habitu religionis ad ſtatum.* Rechenberg *diſſ. de* con-

ra, in civitate vigeat; ac in ſcholis publicis (*e*) talia dogmata (*f*) tradantur, quæ cum fine civitatum conveniunt.

J. N. & G. *l.* VII. *c.* 9 §. 4.

Ad

concordia imperii civilis & chriſtianiſmi p. I. diſſ. 16. Quid principem deceat circa civium religionem, egregie docuit Ger. Noodt *diſſ. de religione ab imperio jur. gent. libera opp. adjecta. Vid. bibl. choiſ. de Mr.* Clerc. *t. XI. p.* 231. *ſeqq.* Treuer.

(*e*) *Ac in ſcholis publicis*]. Imperantium magni intereſt, curam ſcholarum & educationis ſuſcipere, qua mediante non tantum animi ad vitam civilem recte inſtituendam præparantur, ſed etiam principia ſtatui & imperanti convenientia imprimi poſſunt. Pontificum Romanorum id loquuntur inſtituta circa ſcholas & academias, quæ non leve momentum ad ſtabiliendam pontificis auctoritatem & introducenda ejus jura & juga contulerunt. Vid. Pufendorf. *Geiſtl. Monarchie des Stuhls zu Rom.* §. 34. Cura autem illa non ad decipiendas hominum mentes, & occæcandas, ſed ad vitam civilem & tranquillam promovendam tendere debet: quod principia honeſti imperantibus injungunt, & de quo uberius explicarunt Mayfartus *Erinnerung von hohen Schulen.* Winckelmann *Bedencken von Erziehung der Jugent &c.* Idem.

(*f*) *Talia dogmata*]. Quid juris principi ſit circa dogmata, non poteſt diſtincte explicari, niſi videamus, qualis ei poteſtas ſit in veritatem noſtrumque adſenſum, quem ei præbemus. Veritas ad præcepta juſti res eſt indifferens, ejusque vel propalatione vel ſuppreſſione alterius juri detrahi poteſt: quod & ratione reip. dicendum, cujus ſtatus veritatis diſſeminatione æque ſervari poteſt, quam turbari. Adſenſus noſter pendet ab evidentiæ perſuaſione, quam vel vere vel apparenter in ideis noſtris conjungendis vel disjungendis deprehendimus. Sæpe in noſtra poteſtate non eſt: velimus, nolimus, adſentiendum eſt veritatibus evidenter cognitis, & a nobis impetrare non poſſumus, ut eas falſas eſſe reputemus. Intellectus ea quoque in re multoties potentia neceſſaria eſt, & ne quidem a noſtro, multo minus ab aliorum arbitrio dependet. Principi ergo nullum jus eſt neque in veritatem ipſam, neque in intellectum, neque in ejus adſenſum internum: cogi neſcit & potentiæ cujusvis vim adſpernatur. Falſa proinde eſt ſententia, magiſtratum civilem intellectui imperare poſſe: ad quod ſententiæ monſtrum in academia quadam non ita pridem in lucem protractum obſtupuit Pfaffius, ſteteruntque comæ & vox faucibus hæſit in *origin. eccleſ. p.* 196. Habet tamen princeps poteſtatem cohibendi veritatis uſum & adſenſum externum: habet jus coërcendi libertatem ſentiendi non internam, ſed externam & prohibendi, ne ea, quibus adſenſum præbemus, publice doceamus, explicemus, diſſeminemus. Non omnes veritates cuivis populo ſalutares ſunt, nec cuivis reipublicæ: turbæ inſignes totius ſtatus converſionem minitantes oriri poſſunt ex incauta veritatis alicujus doctrina: nec omnes ſcientiæ rebuspublicis ſine diſcrimine conveniunt. Quæ ergo dogmata, quæ ſcientiæ admitti queant, princeps ex uſu & neceſſitate reipublicæ æſtimare poteſt & determinare. Plura diſputavi

tavi

Digitized by Google

V. Leges claras, nec nimis multas, ferre.

Ad eundem finem expedit (*g*), perſcriptas habere LEGES PERSPICUAS ET PLANAS (*h*), circa negotia, quæ frequentiſſime inter cives verſari ſolent. Non tamen plura legibus civilibus ſancienda ſunt, quam ad bonum civitatis & civium conducunt. Nam cum de eo, quod facere vel non facere debent, ſæpius per rationem naturalem, quam per ſcientiam legum homines deliberare ſoleant; ubi plures leges ſunt, quam ut facile me moria comprehendi queant, & per eas prohibeantur ea, quæ ratio per ſe non prohibet: neceſſe eſt, ut per ignorantiam, ſine ulla prava intentione, incidant in leges, tanquam in laqueos. Quo ipſo civibus per imperantes ſupervacuum incommodum conciliatur; quod eſt contra finem civitatum.

J. N. & G. *l.* VII. *c.* 9. §. 5.

Quia

tavi ea de re a. 1714. in *diſſ. de limitibus libertatis cogitandi* contra *Anton.* COLLINI *diſcours ſur la liberté de penſer.* IDEM.

§. V. Quemadmodum juvenes in ſcholis erudiuntur, ita adulti Legibus regendi ſunt, quæ frenum quaſi injiciunt nimiæ libertati, & cives formant, ut vere liberi eſſe poſſint. Hoc eſt, quod Demaratus apud Herodotum II. *c.* 104. Xerxi dicebat: *Lacedæmonii ſunt liberi, ſed non per omnia: quippe quibus præeſt domina lex, quam multo magis metuunt, quam tui te.* (2) Leges vero ſecundum regulas prudentiæ legislatoriæ condi debent, paucæ, juſtæ & honeſtæ: breves inſtar oraculi; ſimplices, ut imperia patrumfamilias; perſpicuæ, in lingua vernacula & intellectu faciles; genio populi, formæ, & ſtatui Reipublicæ accommodatæ; immotæ; de rebus poſſibilibus, & a lege naturæ non procul diſcedentes; quæ dubitationis minimum, litium vero celerrimam compoſitionem habeant, & denique majori parti & in ſummam proſint. *c. cit. Diſt.* 4. Iſocrat. *in Areop.* Liv. XXXIV. 3. (3) Ex ejusmodi certe legibus incolumitas Reipublicæ, æterna libertas, gloria decusque perpetuum legislatori naſcitur. vid. Ant. Auguſtin. *de LL. Diſp. gen. c.* 4. & Lipſ. *Mon. polit. II. c.* 10. OTTO.

(*g*) *Ad eundem finem expedit*]. Cives adulti *legibus regendi ſunt*, ubi quidem hoc agendum Imperanti, quo Leges Naturales fundamenti loco ſupponantur, iisque leges poſitivæ, planæ, præter neceſſitatem haut accumulatæ, ad conſervandam pacem idoneæ, genioque populi convenientes addantur, add. *d. c.* 9. §. 5. contra hoc officium per imperitiam ſæpe peccatur, & fatendum eſt, quod ob lubricam harum rerum æſtimationem exacta ejus obſervantia ſperari nequeat. TITIUS.

(*h*) *Leges perſpicuas & planas*]. Addit *Barbeyracius*, & accommodatas

Digitized by Google

Quia autem fruſtra (*i*) feruntur leges, ſi impune eas violari tolerent Summi Imperantes; igitur horum eſt, EXECUTIONEM earundem procurare, utque quivis ſuo jure potiatur, citra lentas moras, eluſiones atque vexationes, efficere: POENAS quoque ſumere, pro cujusque facti conditione, transgreſſorisque intentione & malitia: nec ſine ſufficiente cauſa veniam indulgere; cum iniquum ſit, & ad irritandos civium animos efficaciſſimum, æqualiter meritos, cæteris paribus, non æqualiter tractare.

VI. Executionem, etiam per pœnas, procurare.

J. N. & G. *l.* VII. *c.* 9. §. 6.

Ut autem nihil pœnis eſt ſanciendum, quod non ad uſum civitatis facit: ita POENÆ quoque ſunt

VII. Pœnas ad uſum civitatis temperare.

datas ſtatui Civitatis, & genio Populi, cui præſcribuntur. CARMICH.

Præter legum claritatem & paucitatem requiritur etiam (3) neceſſitas, (4) utilitas, (5) poſſibilitas, (6) conſtantia: de quibus politici ſcriptores copioſius. In primis vid. BOXHORNII *inſtit. polit. not. ad l. I. c.* 9. TREUER.

§. VI. Non equidem illis aſſentior, qui putant, leges eſſe condendas, ut earum metu humana malitia coërceatur: potius laudamus Perſarum inſtituta, cum Xenophonte, quod multo magis cavebant, ut ne crimina apud eos reperirentur I. *de Cyri vita.* (2) Ne vero impunitas ſcelerum augeat cupiditatem delinquendi, opus eſt, ut ſanctio executioni mandetur: nil enim intereſt, non condantur Leges, an non obſerventur, & quid Leges ſine moribus vanæ proficient? quærit Horatius III. *Od.* 24. (3) Neque legum violatoribus venia temere eſt indulgenda, quod Stoici, miſericordiam vetantes, indicare voluerunt apud Senecam II. *de Clem.* 7. Media ſane inter ſeveritatem & clementiam via hic eſt tutior, quam Juriſconſulti commendant, *l.* 19. *D. de Off. Præſ. & l.* 11. *D. de Pœn.* vid. infra *ad c.* XIII. §. 16. OTTO.

(*i*) *Quia autem fruſtra*]. Leges autem latæ *executioni dandæ* ſunt, quod fit, ſi mediis habilibus, ſcopoque ſuo ſufficientibus, refractarii ad faciendum officium adigantur, ſi pœnis a violatione legum deterreantur, aut etiam nonnunquam exemplo ad eas ſervandas alliciantur, add. *d. c.* 9. §. 6. 7. TITIUS.

§. VII. Homines delinquunt, propoſito, impetu, aut caſu: his ignoſcitur; iſtorum vero facta, dicta, ſcripta, aut conſilia prava puniuntur; ut tamen ſeptem illa conſideremus: cauſam, perſonam, locum, tempus, qualitatem, quantitatem & eventum, ſecundum *l.* 16. *pr. D. de Pœn.* eæque ſunt ſeptem circumſtantiæ, trito verſiculo comprehenſæ: *Quis, quid, ubi, quibus auxiliis, cur, quomodo, quando.* (2) Omnia peccata non ſunt

ſunt temperandæ, ut ad finem iſtum proportionem habeant, utque adeo cives non plus afflictionis, quam Reſpublica utilitatis, inde ferant. De cætero ſi ſcopum ſuum debent obtinere pœnæ, adparet, eas eousque eſſe intendendas, ut acerbitas earundem præponderet lucro & delectationi, quæ ex facto, legibus vetito, redundare poteſt.

J. N. & G. *l.* VII. *c.* 9. §. 7.

VIII. Civium inter ſe injurias prohibere.

Quia porro hoc fine (*k*) in civitatem coiverunt homines, ut ſecuritatem adverſus injurias aliorum

ſunt paria, nec iisdem pœnis debent coërceri, ut Draco & Plato exiſtimarunt. Quamobrem iſtius leges, impendio acerbiores, ac ſanguine magis, quam atramento ſcriptæ, Athenis tacito illiteratoque conſenſu ſublatas eſſe, Gellius ſcribit XI. *c.* 18. Platonis vero legiſlatio, ut ſummum ſtultitiæ exemplum, traducitur a priſcis, & abiit in proverbium, *Nihil frigidius lege Platonis.* vid. Ampl. Bynkersh. I. *Obſ.* 3. & infra *cap.* 13. Otto.

§. VIII. Cicero III. *de LL.* Republica conſtituta, nihil minus civile & humanum eſſe, dixit, quam quicquam agi per vim; quia tota juris vis dependet à judiciis, nec civitas eſt civitas, niſi judicia recte fuerint conſtituta: cives enim jus decidendi lites ſuique tutelam detulerunt Imperanti; ultio autem crimen imitatur, & aſſiduæ ſcelerum cauſæ ſeſe refeliunt, ſi quisque doloris ſui vindex ſit. vid. pulchras *l.* 13. *D. quod met. cauſ.* & *l.* 14. *C. de Judæis.* Quintil *Decl.* XIII. & Struvius *de Vindicta privata* Otto.

(*k*) *Quia porro hoc fine*]. Amplius ad officium Imperantis pertinet, quo injurias civium prohibeat, earumque occaſionem tollat, §. 8. *h.* probis miniſtris utatur, illorumque actiones diligenter obſervet, §. 9. tributa modice & æqualiter exigat, eademque bene collocet, §. 10. facultates civium augeat, §. 11. factiones aliasque machinationes, civitati noxias, impediat, §. 12. contra vim externam vires comparet, §. 13. add. *d. c.* 9. §. 8 *ſeqq.* & ſi quæ alia hujus generis ſunt, de quibus multa dicere non attinet, cum in ſe ſatis quidem certa ſint, ut plurimum autem peſſime ſervari ſoleant.

2. Illud liquet, Imperium Civile eſſe rem moleſtiſſimam, ſiquidem juxta obligationis concurrentis præſcriptum idem exercendum ſit, ſed quia hoc vulgo negligitur, Imperiumque otio, luxu, ac voluptate fere æſtimatur hinc tanta contentione ab hominibus, in hos affectus nimium quantum proclivibus, ambiri ſolet.

3. Impediendis exceſſibus varia inter gentes recepta ſunt remedia, prolixæ ſcilicet multisque articulis diſtinctæ promiſſiones, juramenta, clauſula commiſſoria, reſervata reſiſtendi facultas, præſcriptus adminiſtrandi modus, & ſi quæ eius generis alia adhuc occurrunt, ſed niſi cordatis rationibus ac animo imperterrito iniquioribus machinationibus tempeſtive obviam eatur, illa omnia coërcendæ tantæ libertati ſunt media

Digitized by Google

rum obtinerent; Summorum Imperantium eſt, eo ſeverius CIVIUM INTER SE INJURIAS PROHIBERE (*l*), quo faciliorem perpetua cohabitatio occaſionem ad lædendum præbet. Nec diſcrimina ordinum ac dignitatum eo valere debent, ut potentiores tenuioribus pro libidine inſultare poſſint. Sed & ſcopo ſummi imperii adverſatur, ut cives, quas ſibi factas arbitrantur injurias, privata violentia exſequantur (*m*).

J. N. & G. *l.* VII. *c.* 9. §. 8.

Præterea quanquam ad omnia civitatis amplioris negotia immediate obeunda unus Princeps non ſufficiat, ſic ut neceſſario MINISTRI in partem curarum ſint vocandi: tamen ut hi omnem a ſummo

IX. Miniſtros ac judices aptos & prudentes adhibere.

dia inefficacia, & tantum non leves aranearum telæ, quas graviores muſcæ facile perrumpant. TITIUS.

(*l*) *Civium inter ſe injurias prohibere*]. Ex hoc jure reſultat jus civile univerſale ſive jus naturæ, quod privatorum inter ſe injurias in civitate prohibet. Ejus principium in eo conſiſtit: quidquid in republica pacem externam civium inter ſe turbat, id omittendum eſt: & quidem vel a principe, vel a civibus. Exinde non tantum legum civilium indoles & juſtitia, ſed etiam juſtitiæ adminiſtrandæ & obtinendæ ratio tanquam ad lapidem lydium examinanda. Multa ejus capita enuclearunt EISENHART *inſtit. J. N. c.* 15. BOHMERUS *jur. publ univ. part. ſpec. l. c.* 3. 7. 8. HEDINGERUS *in appendice ſcilimentorum philoſophiæ juris*, qua occaſione inſtitutionum Juſtinian. juris naturæ placita exponit. Compendium ejus exhibuit GRIBNERUS *principiorum jurisprud. natur. l.* 4. TREUER.

(*m*) *Exſequantur*]. Rationes ſunt: (1) quia cives jus decidendi lites ſuas & tuendi ſeſe detulerunt imperanti: (2) quia ſtatus naturalis per civitatem ſublatus eſt, in quo privatæ violentiæ locus erat: (3) quia ſecuritas publica, rerumpublicarum finis, obtineri non poſſet. Et licet princeps civibus privatam concedere poſſit violentiam vel vindictam ſano ſenſu acceptam; hoc tamen non niſi incorruptis rebuspublicis locum inveniet. Conf. STRUVIUM *de vindicta privata*. TREUER.

§. IX. Miniſtrorum requiſita Lipſius III. *Pol.* 3. Silhon in *Miniſtre d'état*; & Naudæus in *Arcan. polit.* quantum ſatis eſt, explicarunt: ut ſint fidi, rerum hominumque periti, non nimis acuti, ut Machiavellus, non exteri, impii, ſenes potius, quam juvenes, quia conſilia ſenum, haſtæ juvenum ſunt. (2) Caveat quoque Princeps, ne miniſtris fiat obnoxius, ut Reges Franciæ Maioribus domus; alii aliis Miniſtriſſimis. vid. *Hiſtoire des Favorits*. (3) Porro, ne munera vendendo, aut exigua nimis ſalaria

mo Imperante poteſtatem mutuantur; ita & bene & male ab ipſis geſtorum imputatio ultimo demum in iſtum redundat. Quam ob rationem, & quia, prout miniſtri ſunt, ita recte aut prave negotia expediuntur, Summi Imperantes tenentur (*n*), ad munia civitatis adhibere viros probos, & idoneos, & in eorum acta ſubinde inquirere; eos denique, prout rem geſſiſſe deprehenduntur, præmiis vel pœnis mactare, quo cæteri intelligant, non minore fide ac diligentia publicam, quam propriam rem tractandam. Sic & cum pravi mortalium ad ſcelera perpetranda ſpe impunitatis alliciantur, quæ ipſis præbetur facillima, ubi Judices corruptionibus patent; Summorum Imperantium eſt (*o*) in ejusmodi judices, tanquam fautores ſcelerum, queis ſecuritas ci-

ria conſtituendo, ſordibus det anſam. *Neceſſe eſt, ut qui emit, vendat*; olim Severi vox erat apud Lamprid. *c.* 49. Ambitus quoque honorum, ut malum acre, a priſcis perſtringitur, cui bonus Princeps reſiſtere debeat. v. Caſaubon. *ad Suet. Cæſ. c.* 19. & Bernegg. *ad Sueton. Aug. c.* 25. (4) Denique imperanti inculcanda eſt aurea Conſtantini *lex* 4. *C. Th. de accuſat.* in qua omnibus cujuscunque loci aditum concedit, qui probare poſſint, quemcunque Judicum, Comitum vel Palatinorum non integre munere ſuo functum eſſe: *Interpellet me. ipſe audiam omnia, ipſe cognoſcam: & ſi fuerit comprobatum, ipſe me vindicabo de eo, qui me us que ad hoc tempus ſimulata integritate deceperit; illum autem, qui hoc prodiderit & dignitatibus & rebus augebo.* Vulgatum quoque eſt illud Martialis VIII. *Ep.* 15.

> *Principis eſt virtus maxima, noſſe ſuos.* Otto.

(*n*) *Summi imperantes tenentur*]. Tenentur principiis decori & prudentiæ, ut miniſtros ſibi eligant a genere, a probitate, a prudentia: repræſentant enim ſæpiſſime perſonam ſummi imperantis, quæ digne ſuſtinenda eſt; & ſunt inſtrumenta reipublicæ, cujus finis eorum miniſterio obtinendus. Conf. Lipsii *polit. l. III. c.* 10. *Le miniſtre d'état de Mr.* Silhon. Germanic. Lipſ. 1688. 12. ed. Besoldum *de conſilio.* Reinharti *theat. prud. ad Lipſii l. c* Treuer.

(*o*) *Summorum imperantium eſt*]. Severe animadvertendum non tantum principi in judices avaros & fautores ſcelerum, ſed ſtudioſe cavendum, ne ipſe princeps hiſce abuſibus occaſionem præbeat: quod fieri ſolet, ſi munera cariori pretio veneant, adeoque juſtitiæ adminiſtratio, quæ emta eſt, rurſus vendatur: ſi princeps ſalaria adeo exigua miniſtris conſtituat, ut inter exercitia juſtitiæ vel fame pereundum, vel vita admiſſis corruptionibus atque præmiis injuſtitiæ & nimii favoris ſuſtentanda ſit: ſi judiciis præſides ineptos, rudes, ava-

civium abrumpitur, ſevere animadvertere. Præterea licet ordinaria negotiorum expeditio miniſtris credenda ſit: Summi tamen Imperantes querelis ac deſideriis civium patienter aurem præbere nunquam detrectabunt.

J. N. & G. *l.* VII. *c.* 9. §. 9.

X. Tributa ad neceſſitatem imperare & adplicare.

Cum ad Tributa & alia onera ferenda cives nullo alio nomine teneantur, quam quatenus iſta neceſſaria ſunt, ad ſumtus civitatis belli pacisque tempore tolerandos; igitur ſummorum heic Imperantium officium erit (*p*), non plus extorquere, quam neceſſitates, aut inſignes Reipublicæ utilitates requirant; &, quantum fieri poteſt, ita onera temperare, ut quam minime cives iisdem affligantur. Deinde ut juſta in proportione deſcriban-

avaros præficiat: ſi præſentiam ſuam ſummis judiciis ſubtrahat, neque juſtitiæ adminiſtrationem ulla attentione dignetur. Vid. *Leopolds des groſſen Leben und Thaten. Lipſ.* 1709. 8 *p. I. pag.* 128. *ſeqq. Teſtament de* Colbert *c.* 13. Ea in re peccatur in jus naturæ: competit enim ſubditis civibus jus perfectum poſtulandi adminiſtrationem juſtitiæ, ad quam obtinendam juri ſe ipſos tuendi renunciarunt, idque imperanti detulerunt. Idem.

§. X. Nummos homini extorquequere, in quibus vita & ſanguis, & vitam ei adimere, paria videntur: hinc aſpera vox tributi eſt in auribus civium, licet ſumma ejus ſit æquitas, ut, qui commodis defenſionis vult frui, idem onus ferat. (2) Opus itaque eſt moderatione & prudentia in eorum indictione & diſpenſatione; quia ærarium Principis tutiſſimum eſt arca civium: ſique onera neceſſitatibus reſpondent, & tributim exiguntur, & in uſus publicos impenduntur, frequentia populi attrahitur. *Boni paſtoris eſſe, tondere pecus, non deglubere*, ajebat Tiberius apud Sueton. *ej. vit. c.* 32. (3) Optimum genus vectigalis ex *l. f.* §. 7. *D. de publican.* diſci poteſt. vid. Lipſius IV. *Polit.* 6. & ſalubria monita apud Forſtner. ad Tacit. IV. *Annal.* Pie Carolus M. II. *Capit.* 22. *Admonendi ſunt domini ſubditorum, ut circa ſuos pie & miſericorditer agant, nec eos, qualibet injuſta occaſione condemnent, nec vi opprimant, nec illorum ſubſtantiolas injuſte tollant, nec ipſa debita, quæ ab ipſis ſubditis reddenda ſunt, impie ac crudeliter exigant.* Otto.

(*p*) *Imperantium officium erit*]. Officium ſummorum imperantium circa tributa & exactiones utilitatem inſignem in eos ipſos confert: (1) reditus ſic ſervantur, augentur & certiores redduntur: (2) reipublicæ vires ſemper florent, viresque imperantium & auctoritatem ſuſtentant: (3) frequentia populi attrahitur reip. eaque redditur copioſa: quod illuſtrat uberius

Digitized by Google

bantur, nec aliquibus civibus immunitates conce-dantur, in fraudem & oppreſſionem reliquorum. Tum quæ collecta fuerunt, in uſus Reipublicæ impendantur: non per luxuriam, largitiones, ſuperfluam oſtentationem, aut inania diſſipentur. Denique providendum, ut erogationes reditibus reſpondeant, & qua hi non pertingunt, a parſimonia & circumciſis ſumtibus, non neceſſariis, ſubſidium petendum.

J. N. & G. *l.* VII. *c.* 9. §. 10.

XI. Rei familiari civium providere. Quanquam autem Summi Imperantes ſubditos alere non teneantur, (niſi quod eorum, qui per immeritam aliquam calamitatem ſe ipſos ſuſtentare non poſſunt, peculiarem curam agere caritas jubeat;) tamen quia non ſolum ex bonis civium colligendi ſunt ſumtus, civitati conſervandæ neceſſarii; ſed etiam robur civitatis in virtute & opibus civium conſiſtit: igitur illis, quantum in ſe, providendum erit, ut RES FAMILIARIS CIVIUM gliſcat (*q*). Ad hunc finem facit, cives diſponere,

rius VAUBAN *project. d'une dixme royale p. II. c.* 11. in quo libro proportio quoque illa, quæ in tributis obſervanda & multis urgetur difficultatibus, accuratius exponitur. Tondere pecus quidem decet, ſed & juſtitia imperat non deglubere. TREUER

§. XI. Accurate Auctor tres civitatis opulentæ venas, Agriculturam, Artificia & Mercaturam, conjungit; quibus concurrentibus, nihil uberius eſt; nam multa undique permutantur, & divitiæ in agros, & poſſeſſiones ſeſe diffundunt. Cicero I. *Off.* 42. 43. (2) Legum ſumtuariarum exempla, quibus conviviis & convivarum numero modus impoſitus eſt, habet Cicero VII. *Fam. ep.* 26. Ælian. III. 34. XIV. 7. Macrobius II. *Sat.* 13. Gellius II. 24. & Ammianus XVI. 5. Mox vero illæ iterum deſiere, & luxus moderatus ferendus fuit, ut plebs haberet unde. (3) Principis parſimonia quanti ſit, exemplo Veſpaſiani docuit Tacitus III. *Ann.* 55. vid. Pufendorfii noſtri *Differt. de Legibus Sumtuariis* ad epiſtolam Tiberii ad Senatum ſcriptam apud eundem Tacitum *d. l. III. c.* 53. OTTO.

(*q*) *Res familiaris civium gliſcat*]. Pertinent hæc ad politicam doctrinam, quorſum facit L. B. de SCHROEDERN *Fürſtl. Schaz- und Rent-Kammer*, & qui ejus compendium dedit, auctor *der Fürſtl. Macht-Kunſt.* LEIBS *Proben von Verbeſſerung Land und Leute.* TREUER.

(*r*)

re, ut, quantum fieri poteſt, uberem proventum ex terra & aquis capiant; ut, quæ apud ipſos proveniunt, materiis induſtriam adhibeant, aut quem ipſi commode laborem obire poſſunt, ab aliis non redimant: quod fit, ſiquidem artes mechanicæ foveantur. Maximi quoque eſt momenti, mercaturam, & in regionibus maritimis navigationem excolere. Nec ignavia ſolum proſcribenda (*r*), ſed & ad parſimoniam revocandi cives per leges ſumtuarias (*s*), queis ſuperflui ſumtus prohibeantur, in primis illi, per quos opes civium ad exteros transferuntur. Etſi majorem heic, quam quævis leges, efficaciam obtinent ſummorum Imperantium exempla (*t*).

J. N. & G. *l.* VII. *c.* 9. §. 11.

Quia

(*r*) *Nec ignavia ſolum proſcribenda*]. Hunc in finem imperantes variis ſæpe utuntur adminiculis, caute dijudicandis, ne otio torpeant cives: (1) bello externo eos implicant; parum tamen juſte. Vid. Justin. *l. II. c.* 17. Plutarchum *in Camillo c.* 6. Tholosanum *de rep. l. XXIII c.* 7 (2) Otioſos vel nulli artium vel ſcientiarum generi addictos ad militiam cogunt: (3) vel opificiis adhibent in noſocomiis &c. vel pœna adficiunt: quemadmodum Amaſis rex Ægyptiorum peſtem otioſorum hominum ab Ægypto longiſſime repulit; quum lege lata ſanctiſſime caviſſet, ut otioſi homines, qui nihil haberent, quod ſuum dicere poſſent, capitali ſupplicio, quaſi prædones, adficerentur. Bodinus *de rep. l. V c.* 2. in fine: (4) vel exactionibus cives premunt, ut ad labore quærendam pecuniam fiant attentiores: (5) vel ingentia ædificia exſtrui curant, ne plebs ſit otioſa, quod a Pharaone cum Iſraëlitis, a regibus Ægypti in exſtructione pyramidum &c. obſervatum eſſe legimus: de Herode idem vid. in Josepho *l. XV. c.* 13. Conf. Septalium *de rat. ſtatus l. V. c.* 13. Idem.

(*s*) *Per leges ſumtuarias*]. Legum ejusmodi apud veteres exempla exhibent Macrobius *Saturnal. III* 17. Gellius *noct. Attic. II.* 24. Recentiora deprehendes in ordinationibus politicis rerumpublicarum. Cave, ne eas confundas cum judicio ſeu cenſura morum, qualis apud Romanos recepta fuiſſe legitur: in quem errorem Besoldus *colleg polit. claſſ.* 2. *diſſ.* 3. *cap.* 4. *p.* 17. Bodinus *l. VI. de rep. c.* 1. Chockier *theſaur pol. lib. V. c.* 19. lapſi ſunt. Cenſura enim morum inutilis & ratione civium notandorum, cenſorum, modi, finis &c. tot difficultatibus urgetur, ut cum commodo reipublicæ vix ſtabiliri poſſit: leges autem ſumtuariæ ſuis gaudent fructibus: & imperantis eſt, quævis vitia pœnis publicis ſubjicere, ſi reipublicæ nocere videantur eiusque ſtatum offendere. De quibus omnibus conſulendus

XII. Omnis generis factiones præcavere.

Quia etiam ſanitas, ac firmitas interna civitatum ex UNIONE CIVIUM (*v*) provenit, quæ quo accuratior fuerit, eo majore cum efficacia vis imperii per univerſum ſeſe civitatis corpus diſpenſat: igitur Summis Imperantibus incumbit providere, ne in civitate factiones oriantur (*x*); neve quidam cives inter ſe peculiaribus pactis (*y*) connectantur; neve omnes aut aliqui ab ullo alio, ſive intra, ſive extra civitatem conſtituto, ſub quocunque obtentu ſacro (*z*) aut profano magis

dus THOMASIUS in *diſſ de judicio ſive cenſura morum* 1702. *Halæ* IDEM.

(*t*) *Summorum imperantium exempla*]. Memorabilis hac de re locus in CICERONE *l. III. de legibus c.* 14. *Ut in corporibus; ſic in imperio graviſſimus eſt morbus, qui a capite aut membris principalibus diffunditur: quamque pauci atque admodum pauci honore & gloria amplificati vel corrumpere mores civitatis vel corrigere poſſint, maximumque compendium bene inſtituendi & reformandi rempublicam ſit rite inſtructa aula: omnes ergo principes & optimates periculum ſcandali evitent bonisque moribus ſtudeant. Plus enim exemplo, quam peccato nocent, nec tam malum eſt peccare principes, quantum illud, quod permulti imitatores principum exiſtunt.* Conf. BESOLD *l c.* LIPSIUM *inſtit. polit. l. II. c.* 9. & magnum auctorum numerum, quos adduxit REINHARTUS *theat. prud. hum. ad iſtum locum Lipſ. pag.* 587. IDEM.

§. XII. Machiavellus putavit, factiones ad æmulationem proficere, idque praxis in Ariſtocratiis probat. Principibus item placuit dudum; *Divide & impera*. Sed quia facilis ex factionibus in ſeditiones & bella civilia eſt lapſus, magis placet Livii judicium IV. 9. *Factiones fuiſſe & fore pluribus populis magis exitio, quam bella externa, fames morbive, quæque alia in Deum iras, velut ultima malorum publicorum vertunt.* Coërcendi ergo ſunt turbulenti tribuni & ſacerdotes; illicita collegia ſolvenda; exemplo Romanorum, qui ea ad crimina extraordinaria retulerunt. *tit. D. de Colleg. & corp.* Sueton *Auguſt. c.* 32. & Ill. Heinecc. *Diſſ. de Collegiis.* OTTO.

(*v*) *Ex unione civium*]. Sed ex ea demum, quæ ad eorum commune bonum collineat. CARMICH.

(*x*) *Ne in civitate factiones oriantur*]. Sæpius ex diſcordia civium ſalutem civitatis dependere hiſtoriæ docent: ſed civitatis corruptæ hoc eſt indicium, morbumque arguit imperii. Imprimis id obſervare licet (1) in monarchia herili & imperio tyrannico, cujus intereſt, ne cives uniantur: (2) ſi quidam opibus factionibusque emineant in republica, qui dividendi. Vid. *teſtament. polit. de* COLBERT. *c.* 2. (3) quando nationis indoles ita eſt comparata, ut ſemper turbis immixta eſſe velit, quæ ab ipſo imperante & ſalute reipublicæ per remedia extraordinaria everunt avertendæ. Vid. FORSTNER *ad Tacit l. II annal. p.* 347. *ſeq.* BOECLERUM *not. ad Vell Paterc. l. I c.* 11 *n.* 6. *p.* 48. CONRING. *ad Machiavell. princ. c.* 20 §. 4. & 5. IMHOFS *Staats Reguln. reg.* 4. TREUER.

(*y*) *Peculiaribus pactis*]. Iis ſc. quæ ad publicam pacem perturbandam, aut ad quidquam juſtæ Imperantis poteſtati detrahendum faciunt. CARMICH.

(*z*) *Sacro*]. Sub ſacro religionis

gis dependeant, quam a legitimo ſuo Principe, & in nemine plus ſibi præſidii, quam in eodem repoſitum arbitrentur.

J. N. & G. *l.* vii. *c.* 9. §. 12.

XIII. Armis ſecuritati civium proſpicere.

Denique cum ſtatus civitatum inter ſe ſit pax ſatis infida; ſummorum Imperantium eſt cura re, ut VIRTUS CIVIUM, PERITIAQUE ARMORUM alatur (*a*), & omnia, quæ ad vim repellendam requiruntur, mature parentur; munita loca, arma, milites, & rerum gerendarum nervus, pecunia. Ultro autem, etiam poſita juſta belli cauſa, nemo laceſſendus, niſi tutiſſima arriſerit occaſio,

nis obtentu in civitatibus, ubi pontificiorum vigent placita, imperantium jura multis modis circumſcribuntur, temnuntur, eluduntur: non una, ſed duplex adeſſe videtur poteſtas ſumma, & cives in rebus ſacris non tantum, ſed multis aliis, quæ per fraudem ad ſacra detrahuntur, ab alio, quam ſummo imperante, dependent. Pro arbitrio itaque cleri turbæ excitari poterunt, & tranquillitas reipublicæ non abſolute eſt in imperantium poteſtate. Superiora ſecula multis exemplis id confirmarunt, & principum interfuit, artes politicas excogitare, quas gliſcenti pontificis Romani potentiæ opponerent & ad muniendam majeſtatem ſuam adhiberent. TREUER.

§. XIII. Ultimum officium ſpeciale eſt, alere militem, eum exercitare, & duces peritos ei præficere; idque tempore pacis, priusquam Hannibal ſit ante portas. Diſtinguendum vero eſt inter Respublicas, quæ gloriam bellicam pro ſcopo habent, & quæ divitias ex commerciis quærunt. Refert quoque, an populus ſua natura ſit Martius, tunc enim potius peritiæ armorum obex ponendus eſt. Tria belli requiſita, pecuniam, commeatum & arma, optime Lipſius V. *Polit.* 6 illuſtravit. OTTO.

(*a*) *Alatur*]. Diſtinguendæ tamen hic ſunt reſpublicæ (1) ratione finis ſpecialis, quem quæque ſibi præfixit, qui ſæpe a peritia armorum alienus: (2) ratione interni ſtatus, qui non permittit, ut peritia armorum excolatur; vel ſaltem indicat, non adeo eſſe neceſſariam: (3) ratione indolis nationis, que nimio impetu jam in arma fertur, cuique ſtimulus eam ob cauſſam non erit addendus. Suadendum quoque principi, ne in ſola armorum peritia civium & reipublicæ ſalutem conlocet, ſolaque militum copia delectetur, quo militari pruritu ſæpe invidia vicinorum excitatur, odia contrahuntur, opificiorum frequentia & ubertas impeditur, commercia deſtruuntur. Egregie id edocuit MOLESWARTH *Etat du Danemarck.* c. 10. p 220: *Cette pernicieuſe coutume des princes d'eſtimer les ſoldats, comme leurs ſeules veritables richeſſes, a commencé & a été établi par le Roi de France & eſt enfin devenue generale, par le ſoin, qu'il apris de cultiver ce ſentiment*

 dans

caſio, & conditio civitatis commoda id ferat. Eundem quoque ob finem conſilia & molitiones vicinorum accurate exploranda & obſervanda ſunt; nec non amicitiæ & fœdera prudenter contrahenda.

J. N. & G. *l.* VII. *c.* 9. §. 13.

dans l'eſprit des princes allemans, desquel il voit, que les pauvres pais ſeront bientôt ruinez par ce moien: c'eſt a quoi il viſe principalement, & il a mis les affaires a un tel point, que la guerre & la deſtruction ſont devenues abſolument indiſpenſables: car comme les gens, qui amaſſent des treſors croient n'en avoir jamais aſſez, ainſi ceux, qui regardent les ſoldats comme leurs richeſſes, ne ceſſent jamais d'en accroitre le nombre, jusqu'à ce qu'ils ſont forcés pour les faire ſubſiſter ou d'en venir aux mains avec leurs voiſins ou de faire naitre des animoſités entre les autres princes pour trouver les moiens d'être employés & d'en recevoir de l'argent en s'intereſſant dans leurs querelles. Quelle ſera la fin de cela, Dieu le ſcait & eſt le ſeul, qui puiſſe prevenir les malheurs apparents, dont nous ſommes menacez, a ſçavoir, le miſere univerſelle & la ſaccagement de l'Europe. TREUER.

C A-

Caput XII.

De Legibus Civilibus in ſpecie.

Summaria.

I. *Leges Civiles quid.*
II. *Civiles dictæ, vel reſpectu auctoritatis, vel originis.*
III. *Juri naturæ dant vim & efficaciam,*
IV. *Adjecta ſanctione pœnali,*
V. *Conceſſa actione,*
VI. *Facta adplicatione & explicatione:*
VII. *Actionibus, in ſe liberis, dant formam:*
VIII. *Obligantque in conſcientia.*
IX. *Juſſa peculiaria Imperantis quo uſque obligent ad actiones, civi proprias, & executionem actionum Principis.*

Add. Grot. *de* J. B. & P. *prolegom.* §. 15.

Diſpiciendum quoque jam reſtat (*b*) de partibus Summi Imperii in ſpecie, & quæ circa eas peculiariter obſervanda occurrunt. Ubi pri- I. Legum Civilium deſcriptio.

§. I. Leges naturales a civilibus differunt origine, promulgatione, fundamento, ſubjecto & attributis, ſed juris civilis ſunt fundamentum: adeo ut, qui aliter, quam ex fonte naturæ, jus hauriunt, non tam juſtitiæ, quam litigandi tradant vias auctore Cicerone I. *de LL.* 6. & II. *de LL.* 24. *Hæc habemus in XII Tabb. ſane ſecundum naturam, quæ norma legis eſt.* (2) Nec tamen merum jus naturæ ſufficere videtur Rebuspublicis, tum quia natura humana poſt lapſum eſt infirma; tum quia illa, etiamſi recta, multum prudentiæ noſtræ permittit; tum quia malitia humana, non niſi addita ſanctione pœnali & ſuppliciorum metu propoſito, refrenari poteſt. Hinc pleræque leges Moſaicæ ſunt poſitivæ, & aliarum gentium ſcita, ſecundum genium cujusque populi & formam civita-

 eis,

primum locum occupant Leges Civiles, quæ ſunt decreta ſummi Imperantis civilis, per quæ civibus injungitur, quid in vita civili facere, quidve omittere debeant (*c*).

J. N. & G. *l.* viii. *c.* i. §. i.

II. Leges Civiles aliæ reſpectu auctoritatis; aliæ reſpectu originis.

Dicuntur autem Leges Civiles duplici potiſſimum reſpectu, vel respectu auctoritatis, vel originis. Priori ſenſu leges civiles vocari poſſunt omnes leges, juxta quas in foro civili jus redditur,

tis, jubendo, prohibendo, permittendo, omnia inflexerunt ad civium utilitatem, *l.* 7. *D. de LL.* quo ſenſu non male Horatius cecinit I. *Sat.* 3. *vſ.* 98. *Utilitas prope juſti mater & æqui eſt.* (3) Patet ſic quoque, quanta ſit neceſſitas juris civilis: hoc enim ſublato, judices, in infinitis illis, quas natura quotidie edere properat, formis, & in tanta Rerumpublicarum neceſſitudine & varietate, quid bonum æquum, melius pejus, proſit obſit, non videbunt, ſed, prout lubet, ſententias, in cujusque gratiam vel odium contrarias, laturi ſunt. *Qui jus civile contemnendum putat, is vincula revellit non modo judiciorum, ſed etiam civitatis vitæque communis*, ait Cicero *pro Cæcin. c.* 25. Otto.

(*b*) *Diſpiciendum quoque jam reſtat*]. Indolem & varietatem Legum Civilium, quam Auctor, §. 1. 2. *b.* attingit, add. *d. l.* VIII. *c.* 1. §. 1. ſupra ad *l. I. c.* 3. § 13. lit. (*t*) *n.* 17. *ſqq.* explicavimus. Hoc loco exponendum, quali cum moderamine poteſtas Legiſlatoria in actum ſit deducenda, ubi illud liquidum, nihil poſſe Imperantem jubere vel prohibere, quod a voluntate ſubditorum non dependeat, hinc poteſtas Legiſlatoria tantum verſatur circa actiones *voluntarias* & *poſſibiles*, hæ autem a legibus Divinis vel præcipiuntur aut prohibentur, vel permittuntur, ideo Imperans ſimul occupatur vel circa leges Divinas *obligantes*, vel *permittentes.* Titius.

(*c*) *Quidve omittere debeant*]. Leges civiles ſunt remedium malitiæ humanæ, cujus occaſione ſunt enatæ, adeoque bonum ſunt extraordinarium, homini corrupto conveniens. Treuer.

§. II. Leges aliæ civiles ſunt, ratione *auctoritatis*, aliæ, ratione *originis*: ad illas pertinent, quæ in ipſo dictato rectæ rationis habent fundamentum, ſed a Summo Imperio repetitæ & comprobatæ, majus robur acceperunt, v. c. præſtationes in contractibus juris gentium, & coërcitiones delictorum. Cicero III. *de Off.* 17. id vocat jus civile, *ductum a natura, ex optimis naturæ & veritatis exemplis.* (2) *Hæ* vero, pro legiſlatoris arbitrio, res quam maxime indifferentes determinant, nec juri naturæ adverſantur, quamvis ex eo deduci non poſſint. v. c. lex vetuſtiſſima, de bove aratore non mactando: Spartanorum, de barba non alenda: Athenienſium, ut piſcium venditores ſtarent in foro: Romuli, qua temetum matronis negavit. Quod Prætori aut legato nihil in provincia licuit emere, niſi mancipium in demortui locum, Cicero IV. *Verr.* 5. Senatori navem maritimam non alere, nec ædificare, quæ plus quam trecentarum

tur, undecunque demum illæ originem ſuam trahant. Poſteriori ſenſu leges civiles dicuntur, quæ primo a voluntate Summi Imperii civilis profectæ ſunt, atque circa ea verſantur, quæ jure naturali ac divino definita non ſunt, ſed ad peculiarem utilitatem ſingularum civitatum faciunt.

dict. §. 1.

III. Legi naturali addunt vim & efficacam:

Cæterum uti legibus (*d*) civilibus nihil eſt ſanciendum, quod non AD COMMODUM REIPUBLICÆ re-

rum amphorarum haberet, idem V. *Verr.* 18. & Liv. XXI 63. Atque hoc jus Theophilus ad §. 1. *Inſt. de J. nat.* τοπικὸν καὶ χρειῶδες vocat, *locale & utile*, quia loco circumſcribitur ejusque utilitati conſulit. (3) Idem quoque, ceſſante ratione, ſæpe mutatur, ideoque Solon νόμους μεταθετικοὺς, *leges mutabiles* appellavit; quia nulla Societas leges habere poteſt perpetuas. Tertullianus *Apolog. cap* 4. *Nonne & vos experimentis, illuminantibus tenebras antiquitatis, totam illam veterem & ſquallentem legum ſilvam, novis Principalium reſcriptorum ſecuribus, truncatis & cæditis? Nonne vaniſſimas Papias leges* &c. (4) Ob quasvis vero utilitates lex non debet mutari; quia vix mutando tantum conſequimur boni, quantum nocet conſuetudo non parendi, & novitas perturbat. Ariſtot. II. *Polit.* 8. Unde Charondas ſanxit, ut auctor legis abrogandæ guttur laqueo inſertum haberet, Diod. Sic. XII. 17. (5) Pariter ac quævis lupata cuivis equo non conveniunt, ita quod uni civitati conducit, alteri aliquando nocet. Sic Athenis naucleris, qui frumentum inveherent, immunitas portorii erat concedenda, ne cives inopia, in ſolo tenui, laborarent: contra Alexandriæ id ridiculum fuiſſet. Athenis peregrinis ſtatuta erat miſericordiæ ara: Spartæ vero peregrini ſunt repulſi, ne civium mores corrumperentur, auctore Joſepho *contra Apion.* 2. Hinc Xenophon Rempublicam Lacedæmoniorum admiratur, quod Lycurgus contrarias multas leges ferendo iis effecit, ut ejus patria ceteris felicitate præſtaret. Otto.

§. III. Facile eſt legiſlatoribus, juri naturæ vim imperti; quia id civitati convenit, & facere id debent, quoniam lex naturalis pœnas non determinat. (2) Fallitur autem Hobbeſius *de Cive c* 14. §. 10. quod ante legem civilem nihil juſtum eſſe putat, & imperantem poſſe definire, quid ſit furtum, homicidium & adulterium: id quod ex falſa hypotheſi fluxit, quaſi ante civitates nihil proprium fuerit, ſed cuilibet in quælibet poteſtas. vid. *Op. maj.* VIII. *c.* 1. §. 2. 3. 4. & Gribnerum *de Furti apud Lacones licentia.* (3) Non magis probo, quod ait, leges civiles juri naturali repugnare non poſſe: multa enim talium exempla Grotius dedit II. *c.* 7. §. 1. *c.* 14. §. 2. *c.* 20. § 33. III. *c.* 23. §. 5. Haud ergo ſubditos obligant leges ſtultæ, injuſtæ & illicitum jubentes, ut lex Cabadis, Perſarum Regis apud Procopium, aliæque ſupra ad I. *c.* 2. §. 8. relatæ. Bene Cicero III. *de Offic.* 17. *Quod civile, non idem continuo gentium: quod autem gentium, idem civile eſſe*

 de-

referatur; ita cum vitæ civilis decori & tranquillitati maxime expediat, legem naturalem a civibus probe obſervari, hinc Summis Imperantibus incumbit, iſti vim atque efficaciam legis civilis impertiri (*e*). Nam apud plurimos mortalium tanta deprehenditur malitia, ut neque manifeſta legis naturalis utilitas, neque metus divini Numinis ei reprimendæ ſufficiat. Quo igitur utcunque vitæ civilis honeſtas (*f*) ſervari queat, Summum Imperium efficere poteſt, legibus naturalibus vim legum civilium tribuendo.

J. N. & G. *l.* VIII. *c.* I. §. I.

Con-

debet: ſed nos veri juris germanæque juſtitiæ ſolidam & expreſſam effigiem nullam tenemus: umbra & imaginibus utimur. Eas ipſas utinam ſequeremur: feruntur enim ex optimis naturæ & veritatis exemplis. Otto.

(*d*) *Cæterum uti legibus*]. Quoad leges Divinas *obligantes*, efficere debet Legiſlator, quo in vita civili obſerventur, §. 3. *b.* add. *d. c.* I. §. I. quod fit, ſi ſanctione pœnali eas muniat, §. 4. *b.* media coactiva, quibus refractarii ad faciendum officium adigi queant, introducat, §. 5. *b.* ac prava conſuetudine forte obliteratas in uſum revocet.

2. Mutare autem illum iſtas leges non poſſe, ex indole Imperii Divini facile liquet, hinc Leges Civiles. Juri Naturali contrariæ, irritæ ſunt, quo loco tamen cavendum, ne apparens mutatio vel contrarietas, dum Imperans ſtatum, quem Lex Naturalis præſupponebat, juſtis ex cauſis quandoque mutat, adeoque efficit, ne Juri Naturali locus ſit, nobis imponat Hobbeſius inepte contendit, (1) Legem Civilem Naturali non poſſe repugnare, (2) Imperantem poſſe definiri, quid ſit furtum, homicidium, adulterium aut injuria, (3) Præcepta decalogi eſſe præcepta Civilia, (4) ante Leges Civiles nihil juſtum fuiſſe, quos errores Auctor refellit *l.* VIII. *c.* I. §. 2. 3 4 5. Titius.

(*e*) *Impertiri*]. Nec repugnat hoc juri naturæ, quod duplicem obligationem ſuſtinere poteſt: nimirum naturalem & civilem: & præcepto legis præceptum obſervationis in civitate addi poteſt. Nam (1) civitati per omnia convenit: (2) leges civiles maximam partem exinde oriuntur: (3) voluntas principis voluntati naturæ atque Dei innixa ſic eo firmior ſubſiſtet: (4) honeſtatis ratio in republica major habebitur. Non tamen ſolius juris naturæ præcepta ſufficerent: (1) ob infinitos caſus, de quorum deciſione ex J. N. non conſtat: (2) ob infinitas neceſſitates reipublicæ, quibus peculiaribus legibus ſubveniendum: (3) ob æquitatis cerebrinæ cum jure naturæ facilem confuſionem, quæ controverſias nonnumquam difficiles eſſet motura. Vid. *Ludewigs orat. de emendanda Germaniæ jurisprud. Halæ* 1713. *hab. p.* 7. Treuer.

(*f*) *Honeſtas*] Principia juſti non tantum, ſed etiam principia honeſti & decori, quæ norma ſunt virtutis, lege poſitiva poſſunt firmari & in leges civiles auctorita-

to

Conſiſtit autem VIS LEGUM CIVILIUM in hoc ut præceptis de faciendo vel omittendo addatur SANCTIO POENALIS (*g*); ſive ut definiatur, quæ pœna in foro civitatis ſit manſura eum, qui facienda omiſerit, aut fecerit omittenda. Qua ſanctione pœnali quæ deſtituuntur leges naturales, in foro

IV. Per adjectam ſcil. ſanctionem pœnalem;

te publica commutari. Hac tamen ratione virtus non producitur, ſed vis legis civilis, quæ iis ſuperadditur, officium tantum externum operatur, vitiis occaſionem reſcindit, & ad exercendam virtutem viam munire ſolet. IDEM.

§. IV. Legiſlatoria poteſtas aliter verſatur circa leges naturales *obligantes*, aliter circa *permittentes*: ut illas obſervent ſubjecti. Princeps ſpeciales juris naturæ concluſiones clarius proponit, easque munit ſanctione, ad vigorem publicæ diſciplinæ vindicandum. Sanctio enim illa, comminatione pœnæ terribilis, quaſi legis eſt conſecratio, & perfectio, ut Macrobius ait *Somn. Scip. II.* 17. (2) Lex naturæ ſæpe lapidoſam chiragram aliasque id genus pœnas naturales delictis comites dedit, cum mala conſcientia conjunctas; ſed lex civilis, ad homines pravos deterrendos eorumque cupiditatem comprimendam, ex læſione Reipublicæ majore vel minore atque ex delicti frequentia vel raritate, illis interdum pœnas certas adjungit, ut gratiæ vel odii ſuſpicionem a judice amoliatur. (3) Aliquando lex, in quantum religioni judicantis ex cauſa vel perſona æquum videbitur, pœnam minatur, *l. ult. D. de Injur. l. ult D. de extr. cogn.* OTTO.

(*g*) *Sanctio pœnalis*]. Legum *Civilium* (quod idem de *Naturalibus* dici poteſt, quatenus ad certas propoſitiones verbis enunciatas reducuntur) duo fere ſunt genera: aliæ ſcil. expreſſe *præſcribunt*, quid ſit *faciendum*, vel *omittendum*, addita ſæpe diſerte *Sanctione pœnali*; quæ tamen haud raro tacite intelligenda relinquitur (vid. *Obſ. in lib. I. cap.* 2. §. 7.) aliæ ſimpliciter *definiunt*, quid cujusque *ſuum* ſit, quid *alienum*; quo pacto quodque *jus conſtituatur*, *transferatur*, *aut aboleatur*, *&c.* quales leges nihilominus, cum omni *juri* aliqua ex adverſo reſpondeat *obligatio*, per conſequentiam aliquid præcipiunt aut vetant (vid. *Obſ. in lib. I cap.* 2. §. 2.) licet expreſſum *præceptum* non contineant; multo minus *ſanctionem pœnalem*; cujus loco fere in his eſt conceſſio *Actionis* & *Executionis* civilis, quibus cuique jus ſuum proſequendum eſt & conſequendum. De civili Legum Naturalium corroboratione in *priore* genere agit Auctor h. §. in *poſteriore* §. *ſeq.* Et a *priore* quidem genere Judicia *Criminalia*, a *poſteriore Civilia*, deſcendunt. CARMICH.

Sanctio pœnalis, licet expreſſe non ſit addita legi civili; ad minimum tamen ſubintelligi debet in omni lege ſuperioris, cujus arbitrio pœna transgreſſionis ſuæ voluntatis relinquitur. Additur tamen plerumque: (1) quia metu ſic terrentur animi ex perſuaſione poteſtatis non tantum, verum etiam voluntatis malum inferendi peccantibus: (2) auctoritas legi conciliatur: (3) lex deinde magis punire videtur, quam imperans, qui hac ratione amoris odiique ſuſpicionem a ſe amolitur. Nonnumquam pœna expreſſa adjicitur, quæ malum proprium & poſitivum infligit: interdum pœna additur ſub metu nullitatis, qua actus tantum irritus redditur & pronunciatur. Id inprimis obſervare licet, quando lex civilis actio-

ro humano impune violantur (*b*), ſalva tamen vindicta tribunalis divini.

dict. §. I.

V. Et accommodatam ad eam actionem in foro.

Præterea quia vitæ civilis indoles non fert, ut, quod quisque ſibi deberi arbitratur, propriam per violentiam exigat: inde & in eo legi naturali ſubveniunt leges civiles; quod ad ea, quæ ex illa debentur, hæ ACTIONEM (*i*) accommodant (*k*), cujus

actionibus humanis certum modum, certa ſolemnia præſcribit & conſtituit.

(*b*) *Violantur*]. Eæ leges civiles, quæ tantum notant, delinquentem turpiter vel inhoneſte egiſſe, dicuntur imperfectæ. v. BRUMMER. *ad leg. Cinciam c.* III *n* 2. *ſqq.* & ſupra ad cap. VII. §. III. dicta ſunt. TREUER.

§. V. Legislatoris quoque eſt, remedia coactiva introducere, quibus refractarii ad civilia officia adigantur. Hæc autem vocantur actiones judiciales, quas tanquam motu divino & ſubtiliſſimo animo inventas, ut, cum incorporales ſint, effectum corporalem ederent, Juſtinianus miratur in *l. fin C. de Præſcr. longi temp.* (2) Scelera & delicta graviora leges vindicant, & pericula minantur, ne vaga proſiliat frenis natura remotis, Horat. II. *Sat.* 7. *vſ.* 74. pleraque autem vitia ad vindices Deos remittenda ſunt; inprimis ea, quæ tranquillitatem publicam non ſemper lædunt; ut ebrietas, mendacia, ſuperbia aliaque, de quibus infra ad *cap.* XIII. §. 14. agendum. (3) Norma juſti aut injuſti a lege, honeſti vero & inhoneſti à Philoſophia morali eſt petenda: latius quoque patet officiorum, quam juris regula, & lex civilis magis actiones boni civis, quam hominis dirigit. Seneca. II. *de Ira c* 27. (4) Hinc Athenis ſeparatum fuit Magiſtratus genus, quibus decem numero, de ſingula tribu lectis, curæ erant juvenum mores, ne in vitia effunderentur. (5) Prætor Romanus juſtitiæ rationem, non ex quantitate, ſed ex ſuis regulis æſtimabat; nec tamen lapſos in integrum reſtituebat, niſi res eſſet alicujus momenti, *l.* 3. *l.* 4. *D. de Reſtit. in int. l.* 9. *& ſeq. D. de Dol. mal.* imitatus Medicos, qui ad cauteria non procedunt, niſi ex gravi cauſa. (6) Poſtremo de minutis officiis honeſti & decori non apud Prætorem, ſed apud Cenſorem quærebatur. Varro V. *de LL.* & Perſ. V *vſ.* 94. vid. Cl. Noodtii *Julium Paulum. c.* 10. OTTO.

(*i*) *Hæ actionem*]. Vid. *Obſerv. in præced* §. CARMICH.

(*k*) *Accommodant*]. Actio quando accommodatur nonnullis actionibus in civitate; non putandum eſt, ut vulgus plerumque arbitratur, eas ceteris eſſe turpiores, & reliquas, quibus actio conſtituta non eſt, tanta turpitudine non laborare, e. c. Furtum, blasphemia, perjurium vulgo creduntur majora, ſceleſtioraque eſſe vitia atque delicta, quam ipſa impietas, atheiſmus, ſcortatio, ebrietas, avaritia &c. in quæ civitas non ſemper animadvertere poteſt. Sed quam falſa ejusmodi ſint præjudicia, cuivis patebit, qui vitiorum naturam expendit, & ſecum reputat, civitatem, quando actionem nonnullis concedit, non tam vitiorum internam turpitudinem re-

jus vi iſta in foro civili per ſubſidium magiſtratus exigi poſſunt. Quam vim quæ per leges civiles non acceperunt, ab invitis extorqueri non posſunt, ſed ſolo debentium pudore & conſcientia ſtant. Solent autem leges civiles illis potiſſimum obligationibus actionem accommodare, quæ per expreſſa pacta (*l*) inter homines contractæ ſunt. Cæteris, quæ ex indefinito aliquo officio legis naturalis debentur, fere actionem denegarunt, ut eſſet materia (*m*), qua virtutem ſuam exercerent probiores mortalium; inſignemque pararent laudem, ſi citra coactionem recte feciſſe viderentur. Sæpe etiam tanti non fuit viſum negotium, ut ideo Prætor fatigaretur.

J. N. & G. *l.* VIII. *c.* I. §. I. add. §. 3.

Cum

reſpicere, quam effectum, quem habent in ſtatum publicum ejusque tranquillitatem. Lex ergo civilis actiones civis magis, quam hominis reſpicit; externas magis quam internam turpitudinem. TREUER.

(*l*) *Per expreſſa pacta*]. Nec tamen eo minus in omnibus fere Civitatibus accommodantur actiones illis obligationibus, quæ ex *Quaſi Contractibus*, aut *Delictis*, naſcuntur. CARMICH.

(*m*) *Ut eſſet materia*]. An leges civiles hoc umquam intendant, quando actionem denegarunt officiis quibusdam, ut eo liberius virtus exerceatur; hoc magis ad præſumtiones pias pertinet, quam ut veram cauſſam deſignet: hæc enim in eo potiſſimum quærenda, quod talia officia parum tangant reipublicæ ſtatum, adeoque civilem inquiſitionem non requirant. TREUER.

§. VI. Quæ indefinite in jure naturæ jubentur, lex civilis ſpecialius determinat; quæque obſcuriora ſunt, definit: nam licet jus naturæ per ſe ſatis evidens ſit, ſi dictamen rationis attendatur, tamen præjudicia infantiæ & auctoritatis, tum ſuperſtitio, abuſus juris Civilis & Canonici & mille negotiorum circumſtantiæ obſcuritatem gignunt, maxime in caſibus neceſſitatis. (2) Quemadmodum igitur Deus Opt. Max. in Theocratia Judaica, gradus prohibitos in matrimonio, aliaque capita clarius explicuit; ſic & Legislator humanus appendicem quaſi juri naturæ addere debet, qua tempus, modus, locus, aliæque circumſtantiæ definiantur. (3) Aliquando etiam juri naturæ efficaciam denegat, dum vel actionem ex pacto nudo, aut ex credita filiofamilias pecunia, non largitur; vel actus pravos petulantis, ingrati & perjuri non punit, aut per fictionem materiam legi ſubducit. Huc pertinet diſtinctio inter æquitatem naturalem & civilem in *l.* 31. *D. Depoſ.* & quod Ulpianus, in *l.* 6. *D. de J. & J.* ſcribit: ubi aliquid addimus vel detrahimus juri naturali, jus civile naſcitur, quod ab illo non

in

VI. *Legem naturæ applicant, & explicant.*

Cum etiam multa (*n*) lege naurali indefinite præcipiantur, adplicatione in cujusvis arbitrio relicta: inde lex civilis ad decus & tranquillitatem civitatis ejusmodi ACTIONIBUS TEMPUS, MODUM, LOCUM, ET PERSONAS aſſignare, aliasque circumſtantias determinare, quandoque & præmiis homines ad eas ſuſcipiendas allicere ſolet. Si quid etiam in lege naturali (*o*) obſcuri ſit (*p*), legis civilis eſt EXPLICARE. Quam explicationem in agendo ſequi cives tenentur (*q*); utut fortaſſe privata ipſorum opinio in diverſum abeat.

Cum

in totum recedit, nec per omnia ei ſervit. OTTO.

(*n*) *Cum etiam multa*]. Quo recte intelligatur, quid circa Leges Divinas *permittentes* Imperanti liceat, obſervandum, ex iis varia jura hominibus competere, puta libertatem, inviolabilitatem, dominium, & ſimilia. Quæri igitur poteſt, an Legislator humanus Legem Divinam permittentem ac inde orta jura tollere queat? quod quidem catenus aſſerendum, quatenus ſubditi in id revera conſenſerunt. Libertatem itaque quod attinet, quemadmodum ejus ex parte facimus jacturam, quando in civitatem concedimus, ita ſuperſtitis, juxta utilitatem publicam reſtringendæ, poteſtatem Imperanti quoque damus: hinc idem ſæpiſſime libertatem in obligationem ſua lege mutare ſolet, in ſpecie hoc accidit libertati, quæ circa executionem præceptorum naturalium occurrit §. 6. *b*. TITIUS.

(*o*) *Si quid etiam in Lege Naturali*]. Hoc monitum ad legem Naturalem in genere pertinet, de cætero facultas illa explicandi debet referri ad dictamina obſcura & dubia, v. gr. quid in caſu neceſſitatis licitum vel illicitum cenſeri debeat, in qua materia quæſtiones dubiæ non plane ceſſare ſolent. IDEM.

(*p*) *Si quid etiam in lege naturali obſcuri ſit*]. Nulla ineſt obſcuritas legi naturæ per noſtram rationem ſufficienter a DEO promulgatæ, uti ſupra ad *lib. I. c.* XVII. §. 1. oſtenſum: obſcuritas ergo illa intelligenda partim ratione civium, qui non attendunt ad naturæ placita, ideoque legis rationem non habent perſpicue cognitam, & vel ad legis officia referunt, quod iis non comprehenditur, vel a lege eximunt, quod ad ejus moralitatem referendum, partim ratione adplicationis legum naturæ ad res civitatis: quæ quomodo inſtituenda ſæpius non liquet ob intricatas reipublicæ neceſſitates; partim ratione circumſtantiarum, quæ in lege univerſali non ita determinatæ ſunt: a lege civili ergo determinantur. Quod autem lex naturæ tenebris & difficultatibus circumdata fuerit, & nunc quoque connullis tenebricoſa eſſe videatur, exinde provenit, quod ſuperſtitio, conſcientia erronea, præjudicia auctoritatis, ſubtilis & occultus probabilismus, paſſionum dominantium imperium apud multos normas regulasque agendi deſignent & præceptis juris naturæ admiſceant; quod jura divina, civilia & canonicum legi naturali confundantur, & per neglectum ſtudii moralis doctrinæ non accurate ſecernantur. TREUER.

(*q*) *Cives tenentur*]. Quatenus

ſc.

Digitized by Google

Cum etiam plurimæ actiones (*r*) per legem naturalem cujusque judicio & arbitrio ſint relictæ, quas tamen in civitate uniformi modo temperari, tranquillitatis & decoris publici intereſt: inde leges civiles ejusmodi actionibus & negotiis Certam Formam ſolent aſſignare (*s*); uti contingit in ultimis

VII. Negotiis per ſe liberis formam dant.

ſe. continetur in iſta facultate, quam ii, quorum intereſt, Summo Imperanti conceſſerant adverſus ſe. Confer *Obſ. in Lib. I. Cap.* 2. §. 9. *in fine.* Carmich.

§. VII. Circa leges naturæ *permittentes* & actiones per ſe licitas, jus civile libertatem circumſcribit, dum vel neceſſitatem illis imponit, vel eas tollit, reſtringit, aut formam negotiis aſſignat: uti in ſtipulatione, hierologia, oppignoratione, vel reſignatione judiciali, teſtamentis, inſinuatione donationis, formulis actionum & occupatione ferarum. Reliqua vero jura permittentia, quæ humana ſocietas requirit, quæque vitam, corpus, vel opes, reſpiciunt, Imperanti non licebit civibus adimere, niſi ob delictum vel evidentem utilitatem civitatis. (2) Ea, quæ per ſe turpia ſunt, ita lege civili mutari non poſſunt, ut interna menti tranquillitas præſtetur; at quæ pacis cauſa, in rebus indifferentibus, conſtituuntur, etiam in conſcientia juſta ſunt, ut vel ex juribus mulierum, minorum & filiorumfamilias patet, ac majus eſſe civilis æquitatis, lege probatæ, quam naturalis, per legem infirmatæ, vinculum, Connanus I. *Comm. c.* 11. Robert. III. *ſent. jur. c.* 12. Huber. *Diſp. fund.* 54. *de jur. civ.* III. *Sect.* I. *c.* 3. & Titius in *Diſp. de Obligat. ex teſtamento imperfecto.* præclaris exemplis docuere. Otto.

(*r*) *Cum etiam plurimæ actiones*]. Porro oſtendit Auctor, quomodo in mere licitis libertas Lege Civili circumſcribi ſoleat, quod ex principio antea poſito facile intelligitur. Quod autem reliqua jura, vitam, corpus vel opes reſpicientia, quæ antea innuimus, attinet eorum adimendorum poteſtatem regulariter Imperanti haud dedimus, hinc eadem etiam pro lubitu auferre nequit, ſed tum demum hoc ei licet, ſi vel delictum admiſſum ſit, vel utilitas evidens hoc poſtulet. Titius.

(*s*) *Solent aſſignare*]. Videtur Auctor hic & in *præced.* §. eadem duo Legum genera præ oculis habere, quæ diſcrevimus modo, *Obſ.* in §§. 4. & 5. Sicut enim in illis oſtendit, quomodo in utroque genere Legibus Naturalibus civile robur addatur; ita in his docet, quomodo Leges Naturales per Civiles ſpecialius determinentur; in priore genere §. 6. in poſteriore h. §.

Pertinet ad hunc locum celebris Quæſtio, nec ſane levis momenti, utrum Leges Civiles, quæ juris & injuriæ limites alios conſtituunt, quam qui ipſis Legibus Naturalibus conſtituti fuerant, ejus, cui favent, *Conſcientiæ* immunitatem præſtent, in eo exigendo, quod Jure Naturali non debetur, vel non præſtando, quod eodem jure eſt debitum. Ubi, ut alios ſileam, partem *negantem* propugnat *Ameſius* de *Conſcientia Lib.* V. *Cap.* 41. §. 10. &c *affirmantem Huberus* de *Jure Civitatis*, *Lib.* III. *Sect.* 1. *Cap.* 3. Nobis ſi liceat, inter eximium Theologum & eruditum Juriſconſultum, mediam hic viam capeſſere, agnoſco, per illum actum, quo quis Civilem intrat Societatem, concivibus eum jus facere, in rebus ad patrimonium ſpectantibus, & intra probabilem modum, illud a ſe exigen-

mis voluntatibus; in contractibus, & multis aliis. Ob eandem cauſam etiam leges civiles exercitium eorum jurium, quæ naturaliter competunt, circumſcribere ſueverunt.

VIII. Leges civiles in Debent autem cives (*t*) legibus civilibus, quatenus

igendi, quod Leges Civitatis fecerint debitum, ut & illud ſibi non præſtandi, quod eædem leges debitum non fecerint; hujusque juris beneficio poſſe quemque recte uti, *ni ſpecialis cauſa obſtet*, qui idem cæteris conceſſit adverſus ſe: contendo tamen occurrere poſſe rationes, ab *Æquitate*, *Humanitate*, aut *bona Fide*, petitas, quæ, cum *Juſtitiæ expletricis* rigorem ipſa lege naturali definitum, quandoque temperandum ſuadeant, in Legum Civilium rigore mitigando non minus debent valere: præſertim vero *fidei datæ*, licet per actum, qui civili obligationi producendæ non ſufficit, religioſe habenda eſt ratio; niſi aliqua obſtet exceptio, qualis etiam in ſtatu naturali promiſſionis imperfectæ vim eliderer. Atque ex his rite applicatis, fieri poteſt judicium de officio Hæredis ab inteſtato circa teſtamentum jure civili invalidum impugnandum, vel ſecus; Filiifamilias circa SCtum *Macedonianum*, & Mulieris circa *Velleianum* opponendum; Minoris circa petendam *Reſtitutionem*, &c. Confer hic in primis elegantes Cl. *Barbeyracii* Orationes *gallice* editas, de *Permiſſione & Beneficiis Legum*. Carmich.

Forma quando neglecta eſt; pœna irriti ſolet infligi negligentibus: qui quidem, niſi temerarius ſubſit legis contemtus, nulli injuriam inferunt, ſed ſe ipſos tantum lædunt. Excuſandi itaque ſunt ſæpius, quod per ignorantiam difficulter vincibilem negotii indolem & adfectum ſolemnia illa neglexiſſe dicendi ſint: idcirco alter quidem, ſi principiis juſti rigoroſe inſiſtere velit, nullitatem negotii contra eos recte urgere poterit: æquitatis tamen nonnumquam erit & normæ virtutis conveniens, obligationem ſervare & nullitati negotii renuntiare. Quam in rem celeb. Boehmerus: *Alia: inquit quæſtio eſt, an ille, qui defectum ſollemnium adlegat & a negotio reſilire vult, quandoque contra regulas decori & honeſtatis agere poſſit; dum quidem alteri haud facit injuriam, qui ſibi imputet, quod non debito modo egerit: ſed propterea non ſemper in conſcientia tutus eſt: Id quod ex ejus intentione æſtimandum. Volunt enim communiter, eum, qui non obſervatis debitis ſollemnitatibus, aliquid promiſit, eſſe naturaliter obligatum, ſeu inſpecto ſolo jure naturali, ex quo JCti Romani varias deduxere concluſiones. Jur. publ. univ. part. ſpec. l. II. c.* 3. §. 49. *not. p.* 8. Peccare poſſunt ſæpius legiſlatores nimia ſollemnitatum pompa in regulas juſti, qua actiones alioquin facile expediendas reddunt difficillimas, & cives tot inutilibus agendi formis inlaqueant, ut cautiſſimo ſæpe impingendum ſit. Juſtiſſima hinc cauſſa excidere poteſt civis, quod in obſervanda agendi forma intricata indiligentior fuerit: qua ſollemnitatum copia civium inter ſe rixæ augentur magis, quam ſopiuntur, & adminiſtratio juſtitiæ redditur anceps & difficilis. Exemplo eſſe poteſt materia teſtamentaria & ſubſtitutionum in jure Romano, in cujus cauſis expediundis Baldus reſpondendo plus quindecim millia aureorum lucratus fuiſſe legitur. Vide Pancirollum *de claris legum interpretibus L.* 2. *c.* 70. *p.* 166. Treuer

§. VIII. Aliud eſt intrinſeca *obligatio*, aliud *puritas* interna: illa oritur

Digitized by Google

tenus aperte juri divino non repugnant (*v*), OBTEMPERARE, non velut ex nudo pœnæ metu, ſed ex intrinſeca obligatione (*x*), per ipſum jus natu- conſcientia obligant.

tu-

tur ex ſubmiſſione voluntatis, & ſponſione totius civitatis: nam licet Principi nullum jus ſit in civium conſcientiam, dum tamen omnes, qui civitati nomen dedere, expreſſe vel tacite promiſerunt, ſe ſecuturos, quod ſumma poteſtas conſtituit, pacto ſtare debent, *non ſolum propter iram*, ſed etiam propter *conſcientiam*, ait Paulus *Rom.* XIV. *vſ.* 5. & Petrus: *Subjecti eſtote cuivis humanæ ordinationi, propter Dominum, & propter conſcientiam Dei moleſtias ſufferte*, I *Ep.* 2. *vſ.* 13. 19. vid. *l.* 52 § 5. *D. de Obl. & act.* & Merill. VI. *Obſ.* 36. At vero *puritatem* illam internam legislator civilis non valde requirit, (1) quia civitatis non intereſt, virtutis amore, an formidine pœnæ cives abſtineant a malo, (2) Solæ externæ actiones imperio civili ſunt ſubjectæ, (3) Legislatores & JCti non voluntatem, ſed implementum deſiderant; nec perſonam debitoris, ſed rem attendunt. Ariſtot. V. *Ethic. c.* 7. (4) Sæpe ſub pœna nullitatis lex aliquid præſcribit, & tunc, qui v. c. ſolennia non adhibuit, haud peccat in conſcientia, nec ulli facit injuriam, ſed ſufficit, ex actu illo, imprudenter ſuſcepto, nullum effectum oriri *l.* 5. *C. de LL.* vid. Grot. II. *c.* 5. §. 16. & ſupra *ad I. c.* 2. §. 7. OTTO.

(*t*) *Debent autem cives*]. Effectus Legum Civilium permittentium eſt *jus* obligantium, *obligatio* proprie dicta, de quorum indole ex doctrina generali judicandum, vid. *lib. I. c.* 2. §. 3 lit. (*x*). Non tamen obligant Leges Civiles ad puritatem internam, cum enim actiones internas Imperans ignoret, ex ejus ſane conſideratione nulla, quoad illas, oriri poteſt obligatio, Lex tamen Naturalis Legem Civilem internis quoque actionibus obſervari jubet, & hinc vulgo Leges Civiles per indirectum in conſcientia obligare dicuntur. TITIUS.

(*v*) *Quatenus aperte juri divino non repugnant*] Imo, ſi revera repugnent, licet forte non adeo in propatulo, & extra omnem dubitationis aleam, poſita ſit repugnantia, non debent Cives iis obtemperare: omnis quippe de Legis divinæ nobis promulgatæ ſententia dubitatio eſt in foro DEI ad minimum culpabili cuidam imbecillitati tribuenda. Confer quæ notavimus ſupra ad *lib. I cap.* 1. §§. 5. & 6. Si vero quæſtio ſit, de eo quod durante ejusmodi dubitatione tutius poſſit fieri; non videtur ulla alia generalis regula hic poſſe urgeri, quam amplectendam eſſe eam partem, pro qua graviores rationes militant, & in qua minus apparet pecandi periculum. Quod ſi hæ rationes, etiam in computum adhibita Civilis Imperantis auctoritate, & rationibus, quas illa ſecum ducit (quæ non ſemper in his caſibus præponderant) utrinque pares appareant, vide quid ipſe Auctor ſtatuerit *d. Cap I.* §. 6. Abſurdiſſimum vero eſt *Hobbii* Commentum, *Leges Civiles in iis ſaltem, quæ Hominum jura reſpiciunt, Legi Naturali repugnare non poſſe*; quaſi Homines, dum jura ſua tuendi cauſa Civili Imperio ſe ſubjiciunt, omnia illa jura, non adventitia modo, ſed & naturalia, & poſſent & vellent Imperantis lubitu diſponenda relinquere. CARMICH.

(*x*) *Ex intrinſeca obligatione*]. Hoc præceptum ad ethicam ſpectat, non ad juſtitiæ regulas: nam an ex intrinſeca obligatione cives obtemperent; legis civilis non eſt inquirere, nec id imperare: ſufficit civili imperio, quatenus tali, ut cives obſequium præſtent ejus voluntati, ſive id metu pœnæ fiat, ſive amore legis & virtutis. TREUER.

§. IX.

Digitized by Google

turale confirmata, quippe inter cujus præcepta quoque eſt, legitimis Imperantibus eſſe parendum.

IX. Peculiaria juſſa Imperantis quousque ſequenda, in actione

Denique non minus PECULIARIBUS (y) JUSSIS ſummorum Imperantium, quam legibus communibus cives obtemperare debent. Ubi tamen obſervandum eſt (z), utrum ſummus Imperans civem quid

§. IX. An juſſus Principis ſingulares, pariter ac leges, univerſis latæ, obligent, nemo dubitat, ſi recta jubeat: ſin prava, Auctor inter actionem propriam, & nudam actionis alienæ executionem diſtinguit: verum doctrina illa, ſi verum fatemur, etſi in *Op maj.* VIII. *c* 1. §. 6. plenius inculcata, ambigua eſt, neque mentem ejus recte explicat. Potius videndum, (1) an moralitas facti ſit *dubia*, ejusque nuda executio injungatur militi, legato, vel carnifici; & hi, injuſta exſequentes, excuſationem merentur. vid. Grot. II. *de J. B. & P. c. ult.* At judex, cui imperatur, ut reum inauditum condemnet, contra conſcientiam dubiam agere nequit. (2) An res ſit *evidens*, ut occidere innocentes, cum matre concumbere; & tunc ſine crimine juſſus perſici non poteſt; licet Princeps in caſum negati obſequii mortem minetur; quia in hac colliſione præceptorum illud fortius eſt, quod fieri vetat, & Deo magis eſt obediendum, quam hominibus vid *Act.* IV. *vſ.* 19. & V. *vſ.* 29 Juvenal. *Sat.* VIII. *vſ* 81 & Plinius III *Ep.* 9. Exemplum ſit in Papiniano, quem adverſus Bodini reprehenſionem, quod mori, quam conſcientiam vulnerare maluerit. Grotius defendit *in notis ad* II. *c* 7. §. 1. Add. Papinianum meum *c.* 16. & ſupra ad *lib.* I. *c.* 1. §. 24. OTTO.

(y) *Denique non minus peculiaribus*]. Juſſus ſpeciales perinde obligare ac leges generales, certum eſt, modo ſint juſti, ſi autem vel leges, vel mandata ſpecialia injuſta ſint ac legibus Divinis repugnent, tum eorum nulla eſt obligatio, an vero *ſubditus ſine peccato eadem poſſit exſequi?* alia quæſtio eſt, ad quam Auctor hic reſpicit, licet mentem non ſatis expreſſerit. Mihi diſtinguendum videtur inter injuſtitiam *dubiam*, hoc caſu nulla labe contaminari videtur ſubditus, ex quo capite milites, in bello injuſto operam præſtantes, plerumque excuſari poſſunt, vid. *l.* VIII. *c.* 1. §. 6. 8. & *evidentem*, v. gr. ſi quis innocentem occidere, vel cum matre aut beſtia concumbere jubeatur: Hoc caſu, ſi quis promte mandatum exſequatur, dubio procul crimine ſe polluit, ſed quid dicendum, ſi Imperans in caſum negati obſequii mortem vel aliud grave malum minetur? TITIUS.

(z) *Ubi tamen obſervandum eſt*]. Auctor diſtinguit, utrum a cive requiratur *actio propria*, an *nuda actionis alienæ executio*, hanc licite ſuſcipi, non illam, cenſens. Verum illa diſtinctio *d. l.* VIII. *c.* 1. §. 6. 7. etiam inculcata, vel ambigua, vel inanis & falſa eſt, nam ſi per *actionem propriam* intelligas *actionem promte ſuſceptam*, per *executionem actionis alienæ* vero, *actionem minis extortam* (quorſum nonnulla in *d.* §. 7. collineant) tum diſtinctio quidem in ſe vera, ſed ambigua eſt, nec decidendæ quæſtioni ſufficiens. Si autem diſtinctionem ad eundem caſum, quo ſcilicet vis ſubdito intentatur, de quo unice quæritur, referas, tum eſt inanis, nam qua tandem formula actio ſubdito injungatur, ejus tamen voluntas qua-

Digitized by Google

quid jubeat facere, tanquam ACTIONEM CIVI PROPRIAM; an vero mandet, ſuſcipere nudam EXECUTIONEM ACTIONIS, quæ propria Imperantis eſſe debeat (*a*). Nam poſteriori caſu, neceſſitate ab Imperante adhibita, citra proprium peccatum poteſt aliquid agere civis, quo patrato, ipſe Imperans peccat (*b*). Sed ut civis, velut proprio nomine,

civi propria & executione actionis Principis.

qualis qualis concurrit; hinc aut omni caſu actio erit ei imputanda, aut nullo. IDEM

(*a*) *Quæ propria Imperantis eſſe debeat*]. Auctoris diſtinctio non tantum obſcura eſt; ſed ſi etiam clare & diſtincte cognoſceretur; rei explicandæ parum eſt adcommodata, mentique nulla ratione ſufficit. Nam quid ſit actio civi propria, quamvis ab imperante ei demandata, quomodo exſequutio actionis injuſtæ civi imputari non poſſit, licet nomine publico ſuſcepta fuerit, non conſtat: quum civis non ſe habeat inſtar inſtrumenti vita ſenſuque deſtituti; ſed inſtar cauſſæ inſtrumentalis, quæ intellectu prælucente & decernente voluntate utitur, adeoque de actionis moralitate judicare poteſt & debet. Quando nonnulla præcepta principum cum præceptis juris naturæ conlidi videntur; comparatio obligationum erit inſtituenda, & quæ hic locum inveniat, quæ laxior vel arctior, perpendendum: major ſic DEO, quam principi, debetur obligatio. Subdito quidem civi difficillimum eſt judicare de principis mandato, an divinæ repugnet voluntati; quum ejus cauſſæ & rationes ſæpiſſime non ſint manifeſtæ; nec civis ſit, ſcrupuloſas diſquiſitiones ea de re inſtituere, e. c. de belli injuſtitia: in iis tamen, ubi certiſſime conſtat, juſſa ſupremæ poteſtatis pugnare cum juſtitia naturali, boni civis erit obſequium iisdem detrahere, & vel precibus id declinare, vel ſi id impetrare non liceat, minarum pericula experiri; alias in foro quidem civili iſtorum principum, non in foro conſcientiæ & divino, neque aliorum hominum judicio excuſabitur. Conf. ABBADIE *defenſe de la nation Brittannique p.* 156 *ſeqq.* GROT. *L. II. c.* 26. §. 3. BARBEYRAC. *ad Puf. op. maj. L.* VIII. *c.* 1. §. 6. *not.* 4. HOCHSTETTERI *colleg. Puf. p.* 105. RECHENBERG *diſſ. de miniſterio, quod crimen eſt.* TREUER.

(*b*) *Quo patrato ipſe Imperans peccat*]. Quin multa poſſint recte fieri ab Inferioribus, quæ a Superioribus perperam, ut pote adverſus prudentiæ vel humanitatis legem, imperantur, nullus dubito; præſertim cum judicium de his ferendum ſæpe pendeat a ſingularibus factis, quæ Superiores perſpecta præſumuntur habere, Inferiores vero invincibiliter ignorant. Contendo nihilominus, ut actio, quocunque nomine ab inferiore patrata, ſi modo hic in ea patranda ſuæ voluntatis Imperium interponat, eidem imputabilis eſſe non deſinit; ita nullum Superioris præceptum efficere, ut licite ab inferiore ſuſcipi poſſit ulla iſtarum actionum, quas dixi *Obſ. ad Lib. I. Cap.* 1. §. 24. ſecundo coactionis genere excuſari non poſſe. Confer *Obſ.* 1. in ejusdem *Cap.* 1. § *ult.* Unde etiam conſtat, quid ſit ſentiendum de exemplo ab Auctore adhibito Civis in bello injuſto arma gerentis; de quo & *Grotium* vide Auctore noſtro multo religioſius philoſophantem, *Lib. II. Cap. ult.* Imperite occinitur, hac de re judicium fieri non poſſe, niſi ab iis, qui arcanis Principis conſiliis interſunt: Belli enim *Juſtitia* æſtimanda eſt, non ex cauſis *ſua-*

Digitized by Google

mine, peccatum, legi naturali & divinæ repugnans, perpetret, fieri recte non poteſt. Inde eſt, quod ſi (*c*) in bello, etiam injuſto, civis juſſu ſummi Imperantis arma gerat, non peccet. Sed ſi ejusdem juſſu aliquis innocentem damnet, falſum teſtimonium dicat, calumniam alicui intentet, utique peccat (*d*). Nam civis militat nomine publico; ſed proprio nomine judicat, teſtatur, accuſat.

J. N. & G *l.* VIII. *c.* I. §. 6–8.

ſuaſoriis, quæ quidem arcanæ eſſe poſſunt; ſed ex cauſis *juſtificis*, iis puta, quæ ad ſuſcepti Belli juſtitiam aſſerendam univerſo mundo declarantur. Carmich.

(*c*) *Inde eſt, quodſi*]. Uti diſtinctio eſt nullius momenti, ita ejus applicatio quoque male ſe habet, quis enim credat, militem nomine publico, ſed judicem teſtem & accuſatorem proprie agere, quando, quoad omnes juſſus ſuperioris adeſt? non nego, militem citius cæteris eſſe a peccato abſolvendum, ſed ratio diverſitatis dependet a diverſitate mandati, dubie vel evidenter injuſti.

2. Hæc cum ita ſint, exiſtimabit forte quis, ſubditum a peccato ſimpliciter eſſe immunem pronunciandum, vel quod actio mixta non imputetur, quo inclinat Auctor *l. I. c.* 1. §. 24. *b.* vel quod ob neceſſitatem ceſſet prohibitio, adeoque actio patranda licite ſuſcipiatur. Verum neutram rationem recte ſe habere, ad *l.* 1. *c.* 1. §. 24. lit (*c*) *l.* 1. *c.* 5 §. 23. lit. (*z*). *n.* 7. *ſeqq* §. 27. lit. (*m*). oſtendimus.

3. Nihil igitur ſupereſt, quam ut dicamus, ſubditum, vi licet intentata, actiones ejusmodi, ſalva conſcientia, ſuſcipere non poſſe, licet in foro Civili eum excuſandum ac graviori pœna abſolvendum eſſe, facile quis conceſſerit. Quod ſi is, quem actio illicita reſpicit, in eam conſentiat, quando penes eum conſentiendi eſt arbitrium, tum licite illa poterit ſuſcipi, quemadmodum etiam nihil vetat, quo minus ſubditus, occaſione delicti, ab ipſo Imperante patrati, actum indifferentem paragat, v. gr. orationem, defendendo crimini ab aliis confectam, ſimpliciter recitet, vid. *l.* VIII. *c.* 1. §. 7. conf. Thomaſ. *J. J. D. l.* II. *c.* 1. §. 174. Titius.

(*d*) *Utique peccat*]. Horum exemplorum juſtitia vel injuſtitia pendet ab evidentia moralitatis rei, prout eadem civibus apparet, vel manifeſta eſſe poteſt. Si enim civi mandatum principis non clare & diſtincte ob oculos verſetur; neque fas ſit, in ejus juſtitiam inquirere & principis actionem ad ſuum tribunal evocare; quia vel captum ſuum tranſcendit, vel ad arcana ſtatus pertinet, nemini niſi imperanti cognita; boni civis eſt, dicto ejus eſſe obedientem Si vero res manifeſto ſceleris notam præ ſe ferat, neque ulla ratione dubitare liceat de injuſtitia facinoris perpetrandi, qualia ſunt falſum teſtimonium dicere, innocentem damnare &c. ſane nullum erit dubium, quin bonus civis omni jure obſequium ſuum principis mandato ſubtrahere non tantum poſſit, ſed & debeat. Treuer.

Digitized by Google

Caput XIII.

De Jure Vitæ ac Necis.

Summaria.

I. *Jus Imperantis in vitam civium.*
II. *Aliud indirectum eſt, quo illam belli pericu-lis exponit,*
III. *Aliud directum, quo illam adimit pœnæ cau-ſa.*
IV. *Pœna quid ſit?*
V. *Imperans habet jus puniendi,*
VI. *Propter utilitatem*
VII. *Triplicem,*
VIII. *Peccantis,*
IX. *Læſi*
X. *Et omnium.*
XI. *Pœnis humanis eximuntur actus interni.*
XII. *Lapſus minutiſſimi,*
XIII. *Quorum caſtigatio turbatura eſſet civitatem;*
XIV. *Et communis hominum corruptio.*
XV. *Venia quibusdam, & quare danda.*
XVI. *Delicti gravitas unde æſtimanda.*
XVII. *Pœnæ genus & quantitas ab Imperante de-terminatur.*
XVIII. *Perpenſa perſona peccantis.*
XIX. *Ob delictum alienum nemo puniendus,*
XX. *Etſi occaſionem incommodi præbere poſſit in-nocenti.*

Grot. de J. B. & P. *l.* II. *c.* 20. & 21.

I. Jus Imperantis in vitam civium:

Summo Imperio civili (*e*) in vitam civium duplici modo jus competit; indirecte vel directe: illud quidem ad defenſionem civitatis, hoc autem ad compeſcenda delicta.

J. N. & G. *l.* viii. *c.* 2. §. 1.

II. Indirectum, belli periculo eam exponendi;

Cum enim ſæpe vis exterorum (*f*) per vim ſit repellenda, aut jus noſtrum violenter ab ipſis vindicandum; licet utique ſummo Imperio cives ad hoc

§. I. (*e*) *Summo Imperio Civili*]. Ad partes Imperii Civilis quoque pertinet jus vitæ & necis, licet enim hic præcipuus civitatum ſit ſcopus, ut omnium & ſingulorum civium vita cæteraque bona in tuto ſint collocata, attamen ſæpe ea incidunt vel tempora, vel caſus, ut ejus, quod ſingulis gratum & utile eſt, non poſſit haberi ratio, ſed ex duobus malis minus ſit eligendum, ut adeo indoles vitæ humanæ & ſocietatum Civilium utique jus aliquod durius, ſingulisque parum gratum, etiam involvat. Titius.

§. II. Scopus civitatis eſt communis defenſio, & ſecuritas; hæc vero obtineri nequit ſine mediis, quorum præcipuum eſt, ut vis vi repellatur. Imperans ergo vitam civium pro ſalute Reipublicæ periculo vitæ exponere poteſt; quoniam illi in omnia, ſine quibus finis ille obtineri non poteſt, in pacto civitatis conſenſiſſe videntur. (2) In Rebus publicis, ubi militia non mercenaria, ſed ex civibus delecta obtinet, ad arma compelli poſſunt omnes, ut tamen Doctores & clerici, quamdiu alii adſunt, immunitate fruantur; uti de Levitis Joſephus III. *Antiq.* *c.* 3. de Clericis Capitularia Caroli M. & Ziegler. *de Cler. mil.* Id vero Grotius monet, intelligendum eſſe cum exceptione ſummæ neceſſitatis, I. *c.* 5. §. 4. (3) Civibus non licet truncatione membrorum ſacramenta militiæ effugere; ut Murci olim, pollicem ſibi præcidentes, *l.* 4. §. 12. *D. de Re mil.* & Menagius *c.* 3. *Amœn.* neque fugam cum ſummo Reipublicæ periculo capere; aut alio quovis modo militiam detrectare. Hinc grave ἀστρατείας crimen Athenis; & apud Judæos *Maledictum habitatoribus, qui non venerant ad auxilium Domini, Jud.* v. *vſ.* 23. Charondas militiæ deſertores, eosque, qui pro Republica arma ferre recuſaſſent, muliebribus veſtimentis indutos in medio foro ſiſti voluit, actore Diodoro, XII. *c.* 16. Similiter ſcutum reliquiſſe apud Romanos & Germanos ſummæ infamiæ fuit. Tacit. *de M. G. c.* 7. Denique obſidum munus invito civi imponi poteſt, quia ſummum imperium continet jus in actiones ſubditorum. vid. Schilter. *de Jure obſid.* & Grot. III. *c.* 20. §. 52. Otto.

(*f*) *Cum enim ſæpe vis exterorum*]. Competit igitur Imperanti jus in vitam ſubditorum propter defenſionem civitatis, nam in hoc quivis ſubditorum conſentire potuit & conſenſit, cum ſocialitati heic cedere debeat philautia. De cætero tamen illud jus non promiſcue, aut ſaltem non eodem modo, omnes ſubditos afficit, vid. *l.* VIII. *c.* 2. §. 1. 2. Titius.

(*g*)

Digitized by Google

hoc negotii compellere (*g*), ubi de induſtria non id agitur, ut cives vitam amittant, ſed duntaxat periculo mortis eorum vita exponitur. Qualibus in periculis (*h*) ut ſtrenue & dextre ſeſe cives gerere poſſint, ſummum Imperium exercere eos & præparare debet. Nulli autem civi ejus periculi metu ad munia militaria ſeſe inutilem reddere licet. Et qui militiæ eſt adſcriptus (*i*), haudquaquam aſſignatam ſtationem ex formidine deſeret, ſed ad extremum potius ſpiritum pugnabit: niſi intelligat. Imperantis voluntatem eſſe, ut potius vitam, quam locum conſervet; aut locus iſte tanti non ſit civitati quam vita iſtorum civium (*k*).

dict. §. 1–4.

Di-

(*g*) *Cives ad hoc negotii compellere*]. Pertinet hoc ad dominium ſupereminens, quo data neceſſitate vita civium probabili periculo exponenda. Non tamen primarius finis imperantis eſt vitæ civium amiſſio, ſed eorum opera ad finem civitatis adſequendum, in civis præſtatione eventus incertus eſt, adeoque non minus ad ſpem vitæ conſervandæ, quam ad metum ejus amittendæ via patet. An autem civis innocens ad evitandum civitatis excidium hoſti ad necem tradi poſſit, dubitant nonnulli: adfirmandum tamen puto cum Grotio *L. II. c.* 25. *n.* 3. (1) Si ipſe velit & conſentiat civis, quale exemplum vid. in Frossardi *hiſt. L. I.* & nonnulla alia in Gronov. *ad loc. cit. Grotii.* (2) Si certo conſtet, hac ratione civitatis excidium evitari. (3) Inprimis, ſi periculum vitæ ſit incertum. Conf. Rechenberg. *diſſ. P. II. p.* 105. *ſeqq.* Boecler *diſſ. T. I. p* 836. Osiander *ad Grot. loc. cit.* Jægeri *Obſerv. p.* 516. Treuer.

(*h*) *Qualibus in periculis*]. Ob illum finem ſubditi debent admittere exercitia militaria, juxta gradus tamen obligationis, qua quisque tenetur, per hæc autem exercitia, in vitæ periculum civis adducere, inhumanum eſt, vid. *d. c.* 2. §. 1. Porro civibus haud fas eſt, ad operas militares ſeſe ineptos reddere, vid. *d. c.* 2. §. 3. Titius.

(*i*) *Et qui militiæ eſt adſcriptus*]. Porro ex illo jure conſequitur, quod civibus pro patriæ ſalute ſtrenue ſit pugnandum, *h.* add. *d. c.* 2. §. 3. Hæc omnia recte ſe habent, ſi utilitas civitatis iſta exposcat, ſed ſæpe improbi Imperantes ex mera ambitione ac avaritia bella movent, miſeroſque ſubditos, utilitatis publicæ prætextu, ad inſana decreta, vel exſequenda vel defendenda, adigunt, eosque hoſti trucidandos imprudenti conſilio objiciunt, vel fame aliisque calamitatibus conſumunt, quæ nemo bonus probaverit.

2. Si civis ob delictum proprium deditio poſtuletur, illa a civitate licite ſuſcipi poſſe videtur. Sed civem innocentem ſtolido & crudeli hoſti de-

III. Directum, adimendi

Directe autem vitam (*l*) civibus adimere poteſt ſummum Imperium ob atrocia delicta, & per modum

dedere nefas eſt, vid. *d. c.* 2. §. 5. Obſidum munus inviti etiam cives ſuſcipere tenentur, quos tamen hoſtis neque occidere aliove malo afficere poteſt, neque civitas dedens perfidia ſua efficere debet, quo illi inhumanius ab hoſte tractentur. Idem.

(*k*) *Quam vita iſtorum Civium*]. Hoc loco quæri ſolet de poteſtate Civem *Hoſti dedendi*, aut tanquam *Obſidem tradendi.* Nocentem quidem dedendi facultas ſub iure puniendi continetur; innocentem vero dedere, hoc eſt, invitum hoſti, a quo ad necem vel ſimilem injuriam poſcitur, in manum tradere, nullo in caſu fas eſſe putaverim: poteſt tamen extrema neceſſitas efficere, ut miſerum Civem, ab hoſte potentiore ad exitium poſtulatum, Civitas recte non amplius protegat, ſed ſuæ ſaluti jubeat alias conſulere. *Obſidum* ſortem, quo prætextu Cives, quibus ab Imperante ea eſt neceſſario impoſita, declinare poſſint, non video; modo non ſit cauſa metuendi, vel hoſtem acceptis obſidibus abuſurum ad novas injurias Civitati intentandas; vel ipſam Civitatem fide ſua violata, Obſides irati Hoſtis ſævitiæ eſſe objecturam: quod tamen ſi fiat, non recte occiduntur, aliove quoquam irreparabili malo afficiuntur Obſides innocentes. Carmich.

Egregie hoc illuſtrat inſigne exemplum præfecti militum Panvini, qui cum duabus militum legionibus caſtello leviter munito præerat, quod aggeris obſervandi & tuendi cauſſa fuerat exſtructum. Quum autem A. 1672. Gallicus exercitus, qui aquis omnibus gelu rigido induratis in Hollandiam inruperat, glacie inopinato exſoluta, reditum per illum ipſum aggerem adproperaret; Panvinus de reſiſtentia tantis copiis hoſtilibus facienda deſperans caſtrum deſeruit, inque vicinam urbem ſe recepit: quam ob fugam Galli, qui mora alioquin interjecta intercipi potuiſſent omnes, feliciter elapſi ſunt: *S'il y etoit reſté*, inquit Burnet, *toute l'armée auroit neceſſairement eté priſe, comme dans un filet, & la guerre etoit finie.* Et paullo poſt de decreto judicii militaris: *On paſſa par deſſus ſa remontrance: Vous etiés preſént vous meme, lui dit-on, au conſeil de guerre, qui a fait batir le fort: Vous ſçaviés, qu'on n'en avoit point pretendu faire une place capable de tenir contre une armée, mais ſeulement d'amuſer l'ennemi pour quelque jours dans un beſoin extraordinaire. Vous ne deviez donc pas abandonner votre poſte, ſous pretexte du danger, que vous aviez a craindre. Le dégel commençoit & c'etoit une raiſon pour vous, de voir ce, que ce nouvel evénement pourroit produire. En un mot, vous etiés là par ordre du prince & votre devoir etoit, de n'en ſortir, que par ſon commandement exprés. De toutes ces raiſons l'on forma un arret de mort.* Burnet *hiſt. des derniers revolut. d'Angleterre ad A.* 1672. *p.* 348. Treuer.

§. III. Omnis delinquens tenetur, tum ad damnum læſo reſarciendum, tum etiam ad pœnam Reipublicæ. Fundamentum ejus eſt, quod cives in pacto civitatis actiones ſuas ſubjecerunt voluntati Imperantis, qui ex natura Imperii leges pœnales, ad quietem publicam obtinendam, ferre, eaſque in recalcitrantes executioni mandare poteſt: ſive id ipſe faciat, ſive per Magiſtratus, qui ideo gladium gerere dicuntur, *Rom.* XIII. *vſ.* 4. Sive per patresfamilias, qui Romæ ex Romuli inſtituto *Judices & magiſtratus domeſtici* erant ac dicuntur apud Senec. II *Contr.* 3. & III. *Benef. c.* 11. Otto.

(*l*) *Directe autem vitam*]. Deinde

Digitized by Google

dum Poenæ (*m*); quæ tamen & in alia hominis bona cadit. Quo loco de natura pœnæ quædam in univerſum erunt exponenda. per modum pœnæ.

J. N. & G. *l.* VIII. *c.* 3 §. 1—3.

IV. Eſt igitur Poena (*n*) malum paſſionis, quod infli- Pœna quid? Ejus rationem

inde etiam jus in vitam ſubditorum Imperanti competit, ob delicta, qua occaſione Auctor de pœnis in genere, loco tamen forte non ſatis congruo, agere voluit. Summatim duo ſpectanda, (1) *Delictum*, & (2) *Pœna*. De actionibus malis, ſeu delictis, diximus, *l I. c.* 2. §. 11. lit (*g*) & §. 15. lit. (*z*). In quam varias autem formas delicta ſe componere ſoleant, i llud ex integra Jurisprudentia colligendum. Heic ejus facienda mentio ob *effectum* quem in vita civili habet; Nimirum delicto admiſſo oritur *obligatio ad damnum*, ſi quod datum eſt, *reſtituendum*, de qua paſſim in præcedentibus actum eſt, deinde ad *malum aliquod excipiendum*, quod *pœnæ* nomine venit. Titius.

(*m*) *Per modum pœnæ*]. Quantis difficultatibus ſubjaceat doctrina de pœnis; rationibus nonnullis edocuit Thomasius *ad Huberum p.* 500. Cumprimis origo juris pœnarum capitalium anxios tenuit JCtos, qui ex variis fundamentis parum ſufficientibus id deducere adlaborarunt. Multi ad proportionem delictorum pœnarumque; alii ad ſatisfactionem juſtitiæ; ſaniores ad jus cogendi conſenſu civium imperanti delatum provocarunt: ex quibus momentis tamen non ſequitur, in pœnis imperantem ad vitam adimendam juſte progredi poſſe. Mea quidem ſententia jus imperantis cives delinquentes capite plectendi ita derivandum eſſe videtur: Homines, antequam civitatem inirent, habebant jus bello perſequendi quemvis injuſtum invaſorem & propellendi injurias cum cæde lædentis. Hoc jus ſe ipſos tuendi violenter detulerunt in ſummum imperantem, ut belli loco vindictam juſtitiæ interponeret, & injurias civibus illatas vel ſingulis vel conjunctim ſumtis cum internecione lædentium ulciſceretur: jus ergo vitæ & necis, majeſtati adnexum per modum pœnæ, ceſſit in locum juris in ſtatu naturali ſe cum cæde defendendi; & quod quisque exercere antea poterat, princeps omnium conſenſu per poteſtatem judiciariam ſolus in omnium ſecuritatem exercet. Prout aliquod delictum vel ſingulorum juribus vel ſecuritati totius corporis detrahit; mortis pœnæ juſte ſubjici poteſt, legibusque decernendum, qua in re violentur jura civium & reipublicæ: illud enim in civitate quavis non ejusdem eſt indolis: multa impune committi poſſunt in hac republica, quæ in alia tranquillitatem multis modis eſſent turbatura. Quare lex exponit reipublicæ neceſſitates pœnisque ſuperadditis injurias verendas coërcet. Treuer.

§. IV. Grotii hæc definitio, II. *c.* 20. §. 1. non mage, quam ſequens Auctoris, vel Ulpiani, qui noxæ vindictam, *l.* 131. *pr. D. de V. S.* aut Cujacii, qui delicti æſtimationem ex *l.* 41. *D. de pœn.* vocavit, eſt plena. Potius definiri poteſt, malum, quod a ſuperiore propter delictum ad ſecuritatem & tranquillitatem civitatis internam infligitur. Nihil enim intereſt, an malum illud agendo, an

quænam habere poſſint.

fligitur ob malum actionis (o); ſeu malum aliquod moleſtum (p), quod per modum coactionis & pro imperio (q), intuitu antegreſſi delicti, alicui im-

an patiendo ſentiatur, à damnatis ad remum, ad operas publicas, ad metalla, vel in antliam, apud Sueton. *Tib* c. 51. & *Ner.* c. 31. (2) Recte Grotius II. c. 20. §. 1. *n.* 2. ait, ſummam poteſtatem non obligari ad delinquentes puniendos, ſi interna civium quies aliter haberi poſſet: alias vero ipſe Deus, pœnas conſtituens, præivit, & abominabilis dicitur, qui impium abſolvit. (3) Auctoris doctrina VIII. c. 3. §. 4. de delinquente ad pœnam non obligato vera eſt, ſi de ſpontanea ad pœnam oblatione, vel propria ejus executione capiatur. At jus eam exigendi, & neceſſitas ſubeundi ex conſenſu illius, ſaltem conditionato, naſcitur, vel ex re factoque illicito: hinc noſtri delictum malum contractum, *l.* 52. *D. de Re jud. l.* 1. *C. Si adv. del.* & Ariſtoteles conventionem invitam appellavit, vid. *Nicom. c.* 2. Paulus ait, hæreticos à ſe ipſis damnatos eſſe, *Tit.* III. *vſ.* 11. Vid. Schilter. *Ex. ad Pand.* 24. §. 46. & Thomaſius *Inſt. Jurispr. div.* III. *c.* 7. §. 93. qui Auctorem refellunt. Otto.

(n) *Eſt igitur pœna*]. Hæc Grotii definitio *l.* VIII. *c.* 3. § 4. etiam adducta, nimis generalis eſt, nam non exprimit (1) Perſonam punientem, nec (2) Delinquentis obligationem, nec (3) Pœnarum finem, nec (4) Puniendi modum, præterea (5) Pœnam a damni reparatione non diſtinguit. Titius.

(o) *Ob malum actionis*] Utraque hic adhibita definitio peccat in eo, quod omittat illum *finem* pœnarum ab Hominibus infligendarum (de iſtis enim ſolis hic eſt ſermo) quo *Pœna* proprie ſic dicta diſtinguitur a *caſtigatione paternali*, *reparatione damni injuria dati*, *privata cautione in futurum*, & *malis bellicis*; nam & hæc poſtrema directe inferri non debent niſi *delinquentibus*, i. e. Jus noſtrum invadentibus, aut noſtræ ejus conſecutioni ſe opponentibus. *Pœnam* itaque *humanam* rectius forte definiveris, *Malum quod delinquenti ob delictum perpetratum jure infligitur, ad ſecuritatem Humanæ Societati præſtandam, adverſus ſimilia delicta, ab eodem, vel ab aliis ejus exemplo, deinceps perpetranda.* Cum porro, in eo, qui pœnas exigit, eſſe debeat *Jus* eas exigendi; certum eſt, hoc ipſo poni in eo, a quo exiguntur, *Obligationem* ſi non aliquid eo pertinens agendi, ſaltem pœnæ jure intentatæ non reſiſtendi. Neque obſtat, quod pœna invitis ſit imponenda: poteſt enim ipſam pœnam, ut ſibi gravem & dolorificam, averſari etiam is, qui ex conſcientia moralis obligationis eidem ſe ſubjicit. Carmich.

(p) *Seu malum aliquod moleſtum*]. Nec hæc Auctoris definitio menſuram bonæ definitionis implet, nam itidem (1) Omittit finem pœnarum, (2) Male negat obligationem delinquentis, (3) Modum puniendi non docet, nec (4) A reparatione damni pœnam diſtinguit. Mihi igitur ſic videtur. *Pœna* intuitu fori humani eſt *malum*, *quod ob delictum præter damni reparationem delinquenti obligato, ad ſecuritatem & utilitatem ſocietatis humanæ ab Imperante legitime imponitur*, quam occaſione eorum quæ Auctor amplius tradit, illuſtrabimus. Titius.

(q) *Et pro imperio*]. Non ubique requiri ad pœnam, ut pro imperio exigatur, intelligi poteſt ex obſervatis ad *lib. I. cap.* 5. §. 17. & locis *Grotii* & *Lockii* ibi allegatis. Carmich.

(r)

imponitur (*r*). Licet enim ſæpe alicui (*s*) pœnæ loco imperentur quædam actiones; in iis tamen ſpectatur id, quod laborioſæ, & facienti moleſtæ ſint, quodque agenti paſſio quædam per eas inferatur. Invitis autem pœna eſt infligenda (*t*), quia alias

(*r*) *Alicui imponitur*]. Pœna ergo requirit (1) delictum in legem commiſſum: (2) ſuperiorem ſive imperantem, legis auctoritatem pœnæ ex arbitrio ſuo vindicantem: (3) malum invito inlatum, quod eum moleſtia adficere & emendare poſſit. In ſtatu ergo naturali non datur proprie pœna: omnes enim pares ſunt: nulla lex civilis exiſtit: nulla crimina committuntur; omnia ad injuriam ſpectant; omnia ad bellum referenda. Neque in ſocietate paterna pœna dari poteſt, ubi proprie non imperium exiſtit, non lex, non ſubditus, non delictum; ſed omnia ad diſciplinam pertinent, qua infantes ad ſuammet utilitatem dirigendi. Neque dantur pœnæ conventionales: res enim inter pares tranſacta eſt: nulli invito hic pœna infertur; neque ex lege, ſed ex pacto moleſtias ſubeunt, de quibus conventum eſt. Quomodo pœna differat a vindicatione injuriæ, ſive defenſione ſui violenta, oſtendit Beyer *delin. J. N. c.* 31. §. 7. *ſqq.* Thomasius *inſt. J. D. L. III. c.* 7. Treuer.

(*s*) *Licet enim ſæpe alicui*]. Dicimus pœnam (1) *malum*, ubi nihil refert, ſive illud vitam, corpus, exiſtimationem vel bona afficiat, licet utique per regulas juſtitiæ non minus, quam prudentiæ, tale malum ſit eligendum, quod cum fine pœnarum congruit. Porro nihil intereſt, ſive agendo, ſive patiendo quis malum ſentiat. Auctor, dum pœnam dixit *malum paſſionis*, ad aliquam objectionem reſpondere debuit, quo labore ſuperſedere poſſumus. Dico (2) *quod ob delictum*: ergo mala, quæ ſine prævio delicto quis ſentit, pœnæ rationem non habent, de quo mox iterum; (3) *præter damni reparationem*: hoc ideo, non quaſi nunquam pœna imponatur, niſi damni reparatio præceſſerit, hanc enim ſæpe vel natura delicti, vel delinquentis egentia excludit, ſed ut conſtet, pœnam a damni reparatione eſſe revera diſtinctam, interim certum eſt, quod ipſa etiam damni reparatio, perinde ut pœna, delinquentibus moleſta ſit ipſisque dolorem afferat. Titius.

(*t*) *Invitis autem pœna eſt infligenda*]. Amplius dicimus, (4) *delinquenti obligato*; quod *delinquentibus* tantum pœna ſit imponenda, poſtea dicetur, jam de *obligatione* ſaltem quæritur. Ubi arbitramur, delinquentem proprie ad pœnam ſuſtinendam obligari hactenus, ut ei deprehenſo ob delictum punibile & legitime probatum illa in debita quantitate citra injuriam queat imponi: cum enim permiſſa impunitas aliis animum ſit datura, atque ita publice nocitura, hinc merito coercendis delictis pœna infligitur, quamobrem ſanctio pœnalis ex juſtis cauſis oritur, adeoque delinquentem ad pœnam ſuſtinendam omnino obſtringit, ut ille queri non poſſit ſecum inique eſſe actum.

2. Auctor heic fluctuat, nam aliquando eo inclinare videtur, quod delinquens proprio velut jumento pœnæ malum ſibi attrahere non debeat. vid. *d. l.* VIII. *c.* 3 §. 4. verb. *ſed illa nimis imperita foret*: quo ſenſu ſententia ſe non male habet: verum aliquando omnem delinquentis obligationem negat, ut *h.* & *d.* §. 4. verb *proprie dici non poſſe ad pœnam*

alias illa non obtineret finem ſuum, qui eſt, acerbitate ſua hominis a peccatis deterrere: quem effectum non habent, quæ quis lubens admittit. Denique pœnæ rationem (v) non habent mala, quæ in bello pugnave inter repugnandum inferuntur; quia non pro imperio (x): neque quæ per injuriam (y) quis patitur; quia non intuitu antegreſſi delicti inferuntur.

J. N. & G. *l.* VIII. *c.* 3. §. 4.

Si-

nam aliquem teneri: quo ſenſu utique falſa eſt ac infirmo argumento nititur.

3. Nimirum *invitis eſt pœna imponenda, cum alias finem ſuum non obtineat*, nam in hoc argumento *Minor* falſa & neutiquam probata eſt, cum perinde pœna ſuum obtineat finem, ſive invitus, ſive volens, quis eam excipiat, id quod inductio facile oſtendit, imo emendatio delinquentis citius ſperari queat, ſi lubens ille ſe pœnæ ſubmittat; Præterea in *Majore* nulla eſt connexio, a reluctantia enim ad negationem obligationis non valere conſequentiam, tam ex hujus indole, quam debitorum moroſorum exemplo patet, plane ſi reluctantiam lex requirat, vid. Thomaſ. *J. J. D. l. III. c.* 7. §. 98. tum ab ea ad obligationis negationem inferri poſſe videtur, ſed qua ratione quis antecedens probaverit? Ex dictis etiam concludendum, quod obligatio delinquentis, quoad ultimum actum, qui dolorem proxime infert, adſit, nam, niſi hoc aſſeras, punire eſt injuriam inferre, ut non ſit ferenda diſtinctio Scholaſticorum, qui actus remotos & proximos, quoad delinquentis obligationem ſeparare voluerunt, add. Thomaſ. *d. c.* 7. §. 69. *ſeqq.* Idem.

(v) *Denique pœnæ rationem habent*]. Pergimus in definitione, (5) *ad ſecuritatem & utilitatem ſocietatis humanæ*, nam legitimus pœnarum finis eſt bonum aliquod futurum, ut ſcilicet delicta ceſſent, atque ita homines ſecuri ſint: cæterum ſicut iſte finis aliquando obtinetur citra pœnæ impoſitionem, ita nec hæc, nec conſuetus ejus imponendæ modus ſemper eſt neceſſarius, de qua poſtea iterum; (6) *ab Imperante*: huic enim puniendi jus tantum competit, hinc mala bellica pœnæ rationem non habere recte dicit Auctor *h.* & omnino errant Grotius & Seldenus, quando pœnam ab æquali etiam infligi poſſe cenſent, vid. *d. c.* 3. §. 4. Neque vero nomen ſaltem pœnæ, ſed etiam ipſa res negatur, privato enim aut pari non competit judicium de fine pœnarum; adeoque nec jus puniendi. Inter pares igitur tantum obtinet bellum, & mala bellica, ob alterius reſiſtentiam regulis pœnalibus haut ſunt adſtricta. Denique (7) *legitime imponitur:* nempe pœna ſine pravis reſpectibus ad legitimos fines dirigenda, ac delicto rite attemperanda eſt. Idem.

(x) *Quia non pro imperio*]. Mala, quæ in bello pugnave inter repugnandum inferuntur, *Pœnæ* rationem non habent, non quia non inferuntur *pro Imperio* (vide *Obſ. præced.*); ſed quia non directe infliguntur *ad Securitatem in poſterum Humanæ Societati præſtandam;* ſed

ut

Sicuti autem libertas (*z*) naturalis hoc habet, ut qui in ea conſtitutus, præter Deum neminem habet ſuperiorem, divinis tantum pœnis ſit obnoxius (*a*); ita cum introducto inter homines impe-

V. Imperanti competit jus puniendi.

ut neceſſaria media juris ipſius læſi adverſus invadentes vel ejus expletioni ſe opponentes, defendendi aut proſequendi. CARMICH.

(*y*) *Neque quæ per injuriam*]. De hoc jam diximus ſupra lit. (*s*). *n.* 2. Pœna præſupponit delictum, hinc mala per injuriam illata, morbi divinitus immiſſi, add. *d. c.* 3. §. 2. 4. mala fortuita, aut pœnæ conventionales, quas vocant, rationem veræ pœnæ non habent. TITIUS.

§. V. Imperantibus vi Summi Imperii jus puniendi ſubjectos ſuos competit; male vero Grotius II. *c.* 20. § 40. bellum punitivum ſtatuit in pares: nam etſi injuriam vindicare, & populo oppreſſo auxilium ferre liceat; par tamen in parem non habet imperium, & ſolus Deus omnium ſupremus eorum judex eſt, qui in ſtatu naturali vivunt. *Tibi ſoli peccavi*, aiebat David. Ipſe etiam Grotius hoc dogma paci turbandæ aptiſſimum, mitigavit ad *Matth.* V. *vſ.* 40. OTTO.

(*z*) *Sicuti autem libertas*]. Poſtea nonnulla capita, quæ hactenus tetigimus, diſtinctius ſunt conſideranda. Poſſunt itaque, ceu modo diximus, pœnæ tantum imponi in civitate, vi Imperii Civilis. Accepit autem Imperans poteſtatem puniendi ex pacto ipſius delinquentis, in eventum delicti, in hoc conſentientis, hinc quod quis puniri poſſit, id eſt *a delicto*, quod ab hoc homine vel concilio, id dependet *a pacto*, quæ duo probe diſtingui debent. Auctor poteſtatem illam recte quidem Imperanti aſſerit §. 5. *b.* ſed ejus originem, *d. l.* VIII. *c.* 3. § 1. male explicat, dum non *a conſenſu delinquentis*, ſed *reliquorum civium, non delinquentium*, eam derivat, nam horum conſenſus vires quidem Imperanti tribuit, ſed non Imperium in alium, ad quod proprius conſenſus utique requiritur. Non tantum autem Imperans *poteſt*, ſed & *debet* punire, obligatur enim Deo & Reipublicæ; non tamen ſimpliciter, ſed obligatio ex utilitate civitatis æſtimanda eſt, niſi Deus lege univerſali pœnam præciſe imponi juſſerit, tum enim arctior obligatio aderit, add. *l.* VIII. *c.* 3. §. 6 7 13. TITIUS.

(*a*) *Divinis tantum pœnis ſit obnoxius*]. Novi equidem GROTIUM *l. II. c.* 20. & qui eum ſequuntur, HENNIGIUM, KULPISIUM, a FELDE, LOCKIUM *du Gouvernement civil tr. II. c.* 2. §. 7. & BARBEYRACUM *ad Puf. op. maj. l.* VIII. *c.* 3. § 4 *n.* 3. *p.* 372. defendere in ſtatu naturali inter pares pœnæ quoque locum eſſe; ſed tota illa controverſia ad logomachias pertinet, & ejus cardo tandem in eo verſatur, an is, qui naturæ legem quacunque ratione transgreditur, bello a quovis homine jure peti poſſit eam ob cauſſam, & an illud bellum poſſit dici pœna. *Quand quelqu'un viole*, inquit BARBEYRAC *p.* 373. *les loix de la nature, il temoigne par la, qu'il foule aux pieds les maximes de la raiſon & de l'équité, qui ſont les regles, que dieu a preſcrites, aux actions humaines, pour la ſureté commune des hommes, & ainſi il devient dangereux au genre humain. Comme donc chacun eſt en droit de pourvoir a ce, qui regarde la conſervation de la ſocieté humaine, il peut en ſuivant les lumieres d'une raiſon tranquille, infliger a un tel homme des peines capables de produire en lui du repentir & de l'empecher de retomber dans la même faute ou même d'intimider les autres par ſon exemple. Lors qu'un homme en tue un autre de propos deliberé, il merite d'être de-*

perio (*b*) hoc quoque imperantibus ſalus ſocietatum attribuit, ut ipſi malo repræſentato malitiam ſub-

detruit comme les lions, les tigres & les autres bêtres feroces, avec lesquelles il ne ſauroit y avoir de ſocieté, ni de ſurité. Quiconque me rencontrera, me tuera: c'eſt la voix de la nature, que les remords de la conſcience arrachoient a Cain, après qu'il eut tué Abel, Geneſ. IV. *vſ* 14. *Par la même raiſon on peut hors de toute ſocieté civile punir la moindre infraction des loix naturelles autant que dans un Etat, ſi cela eſt neceſſaire pour le but, que l'on doit ſe propoſer en infligeant des peines.* Sed regerendum hic eſſe puto: (1) quavis læſione legis naturæ non læditur generis humani ſalus & conſervatio: illius itaque non ubivis intereſt: nec (2) ſi vel maxime illius intereſſet, exinde cuivis homini jus enaſcitur bello petendi alterum. *Univerſalis enim*, ut recte monet Zentgravius *de jure gentium pag.* 158. *hæc humani generis, quæ ſit ſub divino imperio, conſociatio inter cœtus, in quos humanum genus dividitur, non ad invicem introducit jus rectorium, ſed æquatorium, quod pro injuſte oppreſſis quidem intercedere, eosdem in tutelam & clientelam contra vim iniquam ſuſcipere, auxiliumque efflagitantibus ſubmittere concedit; non vero acceptas injurias illorum nomine ulciſcendi jus ſibi adrogare: aut pœnas ab illorum hoſtibus in jus naturæ & gentium iniquis poſcere imperat aut permittit.* Si enim rectoria eſſet ſocietas; vel ſoli Deo, tanquam generis humani directori ſupremo, jus puniendi competeret, vel quem aut ipſe, aut genus humanum delegaſſet: (3) deinde cuivis homini jure ſtricto id potiſſimum incumbit, ut pacem externam & ſecuritatem ſuam ſervet, ex quo generis humani tranquillitas neceſſario promanat: paci vero externæ turbandæ aptiſſimum hoc eſt principium: ergo minus juſtum. Vid. quæ Joseph. a Costa *de procuranda Indorum ſalute lib. II. c.* 5. *pag.* 163. *ſqq.* hanc in rem commentatur: *Quod ſi magiſtratus aut res publica barbarorum ſuo muneri non facit ſatis: habet judicem Deum, non rempubl. aut principem externum. Alioquin, quum graviſſime peccent interdum principes aut magiſtratus noſtri; licebit vel Gallo, vel Italo, vel Anglo Hiſpanienſis reipublicæ peccata caſtigare & jus dicere, ut viciſſim inter ſe principes hac auctoritate fungantur: quo neque ineptius, neque rebus humanis exitialius quidquam dici poteſt.* Poſito itaque hoc principio, genus humanum infinitis rixis, turbis, bellis expoſitum foret: neque ulla ſperanda ſecuritas, quies, pax; quum quotidie nova & juſta belli cauſſa orietur: quotidie enim in legem naturæ peccatur. (4) Quod ad Caini exemplum attinet, illius vox erat vox adfectus animi dominantis, non vox naturæ: nec ille dixit, qui me inveniet, jus habet me occidendi, vel juſte me occidet; multo minus dixit, quemvis habere jus ſe puniendi: ideoque parum facit ad roborandam contrariam ſententiam: contra quam plura diſputat Joan. Schmidius *profeſſ. Lipſienſis meritiſſ. diſſ. de bello punitivo Lipſ.* 1714. *hab.* Treuer.

(*b*) *Inter homines imperio*]. De jure pœnarum in ſtatu naturali exigendarum, vid. *Obſ.* 2. in §. *præced* De origine porro Poteſtatis, in Civitate Imperanti Civili competentis, circa pœnas corporales a ſontibus exigendas, diximus ſupra ad hujus Libri *cap.* 7. §. 1. Recte quidem Auctor de *J. N. & G. l.* VIII. *c.* 3. §. 1. hanc Imperii partem, quatenus adverſus quemque delinquentem exercetur, deducit a conſenſu, non tam ipſius delinquentis, quam reliquorum Civium: hujus tamen conſenſus indoles, atque effectus non ſatis explicatur, dum dicitur ibi-

ſubjectorum coërcere queant, quo plures homines ſecuri invicem poſſint vivere.

J. N. & G. *l.* VIII. *c.* 3. §. *6—7.*

VI. In pœnis humanis reſpicienda utilitas.

Etſi autem in eo (*c*) nihil videatur iniqui, ut malum patiatur, qui male egit: in pœnis tamen humanis non ſimpliciter reſpiciendum eſt, quodnam malum ſit perpetratum; ſed & quæ UTILITAS EX POENA poſſit provenire (*d*). Sicuti & nequa-

ibidem eſſe actus, *quo ſinguli ſeſe obligant, quod non ſolum non defendere velint, ſed & ſi opus ſit, vires ſuas accommodare contra eum, quem Rector Civitatis ſupplicio eſt affecturus;* ſimulque ſingulis in ſtatu naturali puniendi jus negatur competere: per hæc enim ratio redditur, non ipſius *Juris puniendi*, quod Summo Imperanti, & ab eo delegatis, in Civitate conveniat; de quo tamen præcipue hic quæritur; ſed *Facultatis*, quæ iſto jure ſuppoſito competit, *aliorum viribus ad pœnam* exigendam *utendi.* Nec video, quomodo hæc res aliter expediri queat, quam dicendo, jus pœnæ atrocibus Legum naturalium violatoribus infligendæ, tanquam neceſſarii medii, quo Humani Generis ſaluti caveatur, eſſe quidem in ſtatu naturali omnibus, ſaltem non pariter nocentibus, commune; ſed ab illis, qui Civili Imperio ſe ſubjiciunt, ad Summum Imperantem, pro iis exercendum, devolvi. Fruſtra dixeris cum *Titio*, quod quis puniri poſſit, id eſſe *a Delicto*; ſi nemo ſit ante ipſius delinquentis *Pactum*, qui pœnam delicto convenientem poſſit infligere: hoc vero ſi in ſtatu naturali ſinguli poſſint; jam non magis in jure puniendi, quam in aliis juribus, nocere poteſt pactum, ejus, adverſus quem illud jus eſt validum, iis, quibus naturaliter competit, quique nullo ſuo pacto jurium ſuorum exercitium eidem Civili Imperio ſubmiſerunt. Non igitur ab ipſius delinquentis, ut vult Cl. Obſervator, ſed a reliquorum Civium, conſenſu eſt petendum, quod delinquens a ſolo Magiſtratu puniri debeat: hoc unum adverſus Exteros præſtat *Imperium Soli*, quod ab iis, qui intra ejus fines verſantur, nec pœnam, nec aliud quodquam debitum, vel *Extranei* recte poſſint vi exigere, niſi implorata prius *Civilis* in iſto Solo *Imperantis* cognitione; ne ſc. non neceſſaria violentia publica pax turbetur. CARMICH.

§. VI. (*c*) *Etſi autem in eo*]. De fine pœnarum recte pronunciat Auctor, quod ob ſolum delictum præteritum pœna non ſit imponenda, §. *6. b.* hoc enim nihil aliud eſt, quam malitiam delinquentis imitari, quare ſicut hic delinquendo ſimpliciter peccat, ita qui ob ſolam præteritam delinquentis malitiam puniunt, in eo contra leges ſocialitatis agunt, quod ſine ſpe utilitatis malum inferant, quo ſenſu erga delinquentem etiam injurii ſunt, add. *d. l.* VIII. *c.* 3. §. 8. Grot. *de J. B. & P. l. II. c.* 20. §. 4. 5. TITIUS.

(*d*) *Sed & quæ utilitas ex pœna poſſit provenire*]. Si pœna nullum alium habet finem, quam ſe ipſam, ſive malum illud paſſionis, quod infligitur; inhoneſta quidem erit; non tamen ſemper injuſta: inhoneſta; quod animus punientis non tam-

quaquam eo fine pœnæ exercendæ, ut læſus animum paſcat, & voluptatem capiat ex dolore & ſupplicio lædentis, quippe cum hæc voluptas plane ſit inhumana, & ſocialitati repugnans.

J. N. & G. *l.* viii. *c.* 3. §. 8.

VII. Aut peccantis, aut

(*e*) Genuinus pœnarum humanarum finis (*f*) eſt

tantum ſolum finem inferendi mali ſibi propoſuit: ſed etiam voluptatem ex dolore alterius capere videtur. Vid. Senecam *de Ira lib II. c.* 12. & *c.* 32. Juſta tamen eſſe poteſt, quia legibus ſatisfacit, & delicta meritis pœnis proſequitur; adeoque officium legis externum implet, & pacem externam conſervat. Juſtitia actionis, non perſonæ, hic deprehenditur, eaque finem pœnarum per accidens ſæpiſſime obtinet. Sic pœna cruentiſſima, qua Cambyses injuſtum judicem adficiebat, ad voluptatem tantum explendam exercebatur: juſta tamen erat in ſe & ratione delicti ſpectata, atque deterrebat malos judices ab injuſtitia, licet Cambysis intentio alia plane fuerit. Treuer.

§. VII. Finis pœnarum non eſt, ut male faciamus delinquenti: id enim foret malitiam eius imitari; neque ut ultionem exerceamus; cujus vanus eſt triumphus, poſtquam factum infectum fieri nequit. Sed ſummus & generalis finis eſt ſecuritas & tranquillitas civitatis; hæc autem promovetur emendatione delinquentis, ſecuritate læſi, & territione aliorum. (2) Plerique veterum tres fines pœnarum ſtatuerunt, quos Grotius late explicat II. *c* 20. §. 6. & *ſeqq.* Plato autem, ſummæ auctoritatis vir, *in Gorgia* primum & tertium ſolos, vel præcipuos agnoſcit; Taurus aliique Philoſophi, apud Gell. VI. 14. loco ſecundi, τιμωρίαν, quaſi honoris luitionem, ſubſtituerunt; quæ magis ad privatam actionem injuriarum pertinet: Seneca deinceps I. *de Clem.* 22. paullo aliter cauſas puniendorum criminum dividit, ut tamen Principi ſpectandum eſſe moneat, ut eum, quem punit, emendet, utque ſublatis malis ceteri ſecuriores vivant; quas cauſas etiam Jcti & Impp. prodiderunt *l.* 16. §. 2. *l.* 20. *D de pœn. l.* 1. *C. ad L. Jul. repet.* (3) Seldenus vero I *de J. N. c.* 4. addit tres alios; qui vel ad tribunal divinum, aut ad Rempublicam Judaïcam pertinent. Otto.

(*e*) §. VII. ſqq. ad X. Tres hic fines pœnarum proponuntur, quos appellant νουθεσίαν ſive emendationem peccantis, τιμωρίαν ſive compenſationem vel ſatisfactionem, & παράδειγμα ſive exemplum. Vid. Gellium *noct. Attic. l. V c.* 14. Grot. *l. II. c.* 20. §. 6. *ſeqq.* Huberum *de jur. civit. l. III. ſect.* 2. *c.* 5. *p.* 641. Quibus nonnulli addunt expiationem atque cautionem, ſed illa jam utilitate omnium includuntur. Vid. Ziegl. ad Grot. *pag.* 432. Si tamen dicendum, quod res eſt; omnia ad unicum finem recidunt. Quando enim delicta puniuntur, quæ pacem externam in republica turbarunt vel turbare poſſunt; non tantum læſis ab imperante omnis damni compenſatio impetratur: quod non ad pœnam, ſed ad defenſionem civium pertinet, cuius jus cuivis in ſtatu naturali competens in imperantem fuit delatum: ſed etiam præterea lædenti pœna infligitur eum in finem, ut cives reliqui

eſt præcautio læſionum & injuriarum; quæ provenit, ſi vel in melius emendetur, qui peccavit, aut alii ejus exemplo, ne deinceps velint peccare; vel ſi ita coërceatur, qui peccavit, ut non poſſit deinceps nocere. Id quod etiam ita poteſt exprimi: quod in pœnis reſpiciatur vel utilitas ejus, qui peccavit; vel ejus, cujus intererat, non fuiſſe peccatum, quique adeo per peccatum læſus fuit; vel indiſtinctim quorumlibet (*g*). læſi, aut omnium.

J. N. & G. *l.* viii. *c.* 3. §. 9.

Primum igitur in ſumenda pœna reſpicitur utilitas ejus, qui peccavit, dum dolore pœnæ ipſius animus emendatur, & peccandi libido per eundem exſtinguitur. Quale genus pœnæ etiam in plerisque civitatibus in ſuos domeſticos exercere patribusfamilias relictum. Eo ſolo tamen fine ad mortem procedi poſſe non videtur; cum qui mortuus eſt, emendari nequeat.

VIII. Quomodo per pœnam promoveatur utilitas peccantis?

dict. § 9.

Dein-

liqui abſterreantur ab ejusmodi delictis, & pacis reipublicæ turbatio in poſterum impediatur. Omnis itaque finis pœnarum in eo conſiſtit, ut impediatur, quo minus in poſterum reipublicæ tranquillitas ſimili delicto impetatur: quod fieri ſolet vel impediendo delinquentem, aut morte, aut carcere, aut aliis adflictionibus, vel deterrendo reliquos cives. De ceteris, qui hic urgeri ſolent, finibus; ut animi hominum emendentur, ira Dei avertatur, virtuti exercendæ via ſternatur; principia juſti non diſpiciunt, ſed ea omnia ad principia honeſti & decori ſpectant. Vid. Thomasii *inſt. J. D. l. III. c.* 7. §. 32. *ſeqq.* & *not. ad* Huberum *de J. C. l. II. ſect.* 6. *c.* 1. Beyer. *delin. J. N. c.* 31. §. 17. Treuer.

(*f*) *Genuinus pœnarum humanarum finis*]. Poſtea legitimum pœnarum finem Auctor recenſet §. 7. *ſeqq.* add. *l.* VIII *c.* 3. §. 9. 10. 11. 12. Videtur res commodiſſime ſic proponi poſſe: finis pœnarum principalis eſt *Securitas*, ſubordinati fines, *Emendatio*, *Extinctio*, aut *Enervatio delinquentis*, pro ratione delicti admiſſi, ac *aliorum territio*. Titius.

(*g*) *Vel indiſtinctim quorumlibet*]. Vide *Grotium l. II. c.* 20. §. 6. & *ſeqq.* ubi *triplex* hic pœnæ finis fuſe explicatur. At ex ſupra dictis *Obſ.* 1. in §. 4. intelligi poteſt, ultimum ex tribus finibus hic memoratis eſſe eum, qui pœnam proprie

Digitized by Google

IX. Quomodo utilitas læſi? Deinde in pœna verſatur UTILITAS EJUS, QUI LÆSUS FUIT, ne tale quid in poſterum ab eodem aut aliis patiatur. Quorum prius obtinetur, ſi vel tollatur, qui peccavit, vel vires nocendi, ſalva vita, ipſi adimantur; vel ſi malo ſuo dedoceatur delinquere. Poſterius autem obtinetur pœna aperta & conſpicua, cujusque adparatus ad terrorem aliis incutiendum aptus ſit.

J. N. & G. *l.* VIII. *c.* 3. §. 11.

X. Quomodo utilitas omnium? Denique in pœna UTILITAS quoque OMNIUM quæritur, dum nempe id agitur, ut ne, qui uni nocuit, aliis deinceps noceat, vel ut exemplo territi cæteri a ſimilibus patrandis abſtineant. Quod pari modo atque prius obtinetur.

J. N. & G. *l.* VIII. *c.* 3. §. 12.

XI. Pœnis humanis ex- (*h*) Quod ſi porro (*i*) tum fines pœnarum, tum

prie ſic dictam, de qua hic eſt ſermo, præcipue diſtinguit ab iſtis malis, quæ licet ex cauſa delicti infligantur, ob finem tamen, quo proxime collineant, anguſtiorem, *Pœnæ* accurate ſic dictæ rationem non obtinent. CARMICH.

§ XI. In ſcholis Theologorum & Philoſophorum cupiditas peccatum morale eſt; quia Deus obſequium, etiam internum, iure ſuo exigit, docente Chriſto *Matth.* V. *vſ.* 28. Gentiles quoque Philoſophi, a Grotio ibi laudati, ex lumine rationis didicerunt, ſcelera mente metiri, quos inter Juvenalis *Sat.* XIII. *vſ.* 209. cum facti crimen habere ait, qui ſcelus ullum intra ſe cogitat. (2) In foro autem humano cogitationum pœnas nemo patitur *l* 18. *D. de pœn.* neque enim illæ ſubiacent actibus legum civilium, quia cogitans nemini facit injuriam, & noſſe cogitationes ſolius eſt omniſcii Dei. vid. Gell. VII. *Noct. Att.* *c.* 3. Grot. *d. c.* 20. §. 18. & 20. Cujac. VIII. *Obſ.* 22. & XV. *Obſ.* 25. Bynkersh. III. *Obſ.* 10. (3) Quod ſi vero cogitatio in actum & conatum externum erupit, videndum eſt, an crimen gravius ſit, an peccans ultro abſtinuerit, an longius in conatu fuerit progreſſus. vid. Tabor *de Conatu*. & Matth. *de Crim. Proleg. c.* 1. *n.* 5. & *de Sicar. c.* 3. *n.* 10. (4) Aliquando & ſola luxuria, provocatio & petulantia, cum lædendi propoſito & inſidiis conjuncta, punitur. Juvenal. *Sat.* III. *vſ.* 278.

Ebrius ac petulans, qui nullum forte cecidit,
Dat pœnas. OTTO.

(*h*)

tum conditionem generis humani conſideremus, adparet, NON OMNIA PECCATA ESSE EJUSMODI INDOLIS, UT IN FORO HUMANO EA PUNIRI omnino conveniat. Inde pœnis humanis eximuntur ACTUS MERE INTERNI, id eſt, cogitatio delectabilis de peccato aliquo, cupiditas, deſiderium, deſtinatio citra effectum (*k*); etſi poſtea per ſubſequentem confeſſionem ad notitiam aliorum perveniant. Nam cum ejusmodi motu interno nemini noxa inferatur: nullius quoque hominis intereſt, ut ob eundem quiſpiam puniatur. emti actus interni:

J. N. & G. *l.* VIII. *c.* 3. §. 14.

XII. Et lapſus minutiſſimi:

Durum quoque nimis foret, pœnis humanis ſubjicere

(*b*) §. XI. & XII. Quod in foro humano nonnulla peccata vel puniantur vel non puniantur, non ex ipſius peccati indole morali, ſed politica, ſive ex nexu illius cum civitatis detrimento, & ex periculis, quæ in rempublicam exinde redundare poſſent, dependet. Sic deſtinatio rebellionis vel criminis læſæ majeſtatis citra effectum, vota iniqua mente concepta, merum ſilentium & minutiſſimi lapſus pœna digni cenſentur, quando reipublicæ ob varias neceſſitates intereſt, ut ab effectu ipſo, vel graviore lapſu ceteri ſic deterreantur. Sic Carthaginenſes capite plectebant eum, qui Græcis litteris operam daret; Thurii illum, qui gladiatus in ſenatum veniret: ſic imperatores bellici rebus minutiſſimis graviſſimam injungunt pœnam. Vid. GRONOVIUS *ad Grot. l. II. c.* 1. §. 14. TESMARUS *ad Grot. l. II. c.* 20. §. 18. ubi exemplum Jo. CASTEL. & GUINARDI, item Volſciorum adducitur. BECMANNUS *polit. parall. c.* 15. §. 4. TREUER.

(*i*) *Quodſi porro*]. Omnia delicta ab hominibus puniri non poſſunt aut ſolent, qualia §. 11. *ſeqq.* recenſentur, add. *d. c.* 3. § 14. In primis jus puniendi ceſſat, quoad *falſam religionem* & *irreligioſitatem*, nam uti hæ ſæpe tales revera non ſunt, ſed ſaltem a nonnullis exiſtimantur, ita pro delictis inter homines in univerſum haberi nequeunt, cum ſocietatem humanam non turbent: præterea religio, utpote in animo conſiſtens, ab hominibus nequeat imperari. Quod ſi tamen impietas in externum Dei contemtum, aut alia facinora, ſocietatem civilem turbantia, erumpat, vel ſub prætextu religionis ſocialitas lædatur, tum pœnæ recte adhibentur. TITIUS.

(*k*) *Citra effectum*]. Hoc eſt, quæ in nullum externum actum erupit: nemo enim ignorat, etiam conſilium atrocioris alicujus facinoris perpetrandi, cum aliis agitari cœptum, vel externo ad id exequendum apparatu proditum, licet effectu caruerit, a legum animadverſione haudquaquam eſſe exemptum. CAMICH.

§. XII. Lapſuum tres ſunt ſpecies: caſus, error & flagitium: prioris judex debet miſereri, ſecundum corrigere, tertium ulciſci.

jicere MINUTISSIMOS LAPSUS, quos in iſthac naturæ conditione non datur effugere, quantamcumque attentionem quis adhibere inſtituat (*l*).

dict. §. 14.

XIII. Et quæ ferre jubet civitatis tranquillitas; Præterea multos actus diſſimulant leges humanæ OB TRANQUILLITATEM CIVITATIS, AUT ALIAS OB RATIONES; puta ſi ſplendidior futurus ſit actus, ubi ex intuitu pœnæ non videatur ſuſceptus, aut ubi operæ pretium non ſit, judices inquietari, aut ſi obſcuriſſimæ res ſit diſceptationis, aut ſi inolitum plane malum citra convulſionem civitatis tolli nequeat (*m*).

J. N. & G. *l.* VIII. *c.* 3. §. 14.

XIV. Aut communis ho- Denique & a pœna humana eximi neceſſe eſt illa

ſcl. Errores intelligo, qui alias *quotidianæ incurſationes* vocantur, & plerumque ex ruſticitate, vel ſtupido ingenio manant. Sufficit autem damnum reſtitui, neque opus eſt, ut cum Romanis ex leviſſima culpa privatum delictum legis Aquiliæ fingamus. Vid. Cl. Thomaſii *Diſp. Larva Legi Aquiliæ detracta*. In veris etiam delictis error aliquando, ſi non in totum excuſat, pœnam tamen lenit, quum animi deſtinatio reſpicitur *l.* 12. *D. l.* 4. & 18. *C. ad Leg. Jul. de adult.* v. gr. ſi quis per errorem cognoverit non ſuam Ovid. III. *Metam. vſ.* 142. *Quod enim ſcelus error habebat*? Communiter vero prætextus erroris, ſi vis vel cædes facta, non relevat, nec veritas rerum erroribus geſtarum vitiatur, *l.* 6. §. 1. *D. de Off præſ. l.* 3. *C. de Apoſt* Perrenon. II. *Animadv.* 9. Quique Mævium occidit, cum Titium vellet, habuit occidendi animum & occidit, ideoque gladio punitur, arg. *l.* 18. §. 3. *D. de Injur. l.* 5. §. 1. *D. de Serv. corr.* Matth. *de Crim. lib.* XLVIII. *tit.* 5. *c.* 3. §. 12. OTTO.

(*l*) *Adhibere inſtituat*]. Vide, quæ annotavimus ſupra ad *lib. I. cap.* 1. §§. 4. 10. & 17. CARMICH.

§ XIII. (*m*) *Tolli nequeat*]. Graviores enim (1) exinde turbæ oriuntur ſæpius, quam ſi vitia adulta non puniantur; (2) imperans oſtendet ſe imparem eſſe vitio & malo ſupprimendo: hinc metui deſinet: (3) malo illi accedet auctoritas, quod potentius remedio eſſe videtur. Breviter, contemnitur auctoritas imperantis, obſequio non reportato maloque non ſublato. Vid. exempla in FORSTNERI *not. ad Tacit. l. III. annal. p.* 496. *ſqq.* BOXHORN. *inſtit. pol. l. I. c.* 9. *not. p.* 132. RECHENBERGI *diſſ. de vitiis, quibus civitas impar. p. II. diſſ. hiſt. polit. p.* 47. *ſeqq.* TREUER.

§. XIV. Quemadmodum in dubio

Digitized by Google

illa VITIA ANIMI, EX CORRUPTIONE MORTALIUM COMMUNI RESULTANTIA (*n*), quæ ita frequentia reperiuntur, ut defuturi eſſent, quibus imperaretur, ſi ſeveris iſta pœnis plectere velis, quousque in enormes actus non eruperunt: uti eſt ambitio, avaritia, inhumanitas, ingratus animus, hypocriſis, invidia, ſuperbia, iracundia, ſimultas, & ſimilia. mirum corruptio

dict. §. 14.

Neque tamen, ſi quæ (*o*) peccata ſint patrata, pœ- XV. Venia quibus caſibus recte fiat?

bio ad jus imperfectum petendum nulla actio competit; ita otium, prodigalitas, ambitio, voluptas, ingratus animus, bibacitas, aliaque id genus vitia melius in ſcholis ope Philoſophiæ moralis, quam virgis corriguntur; (1) quia vitioſus, ſi non turbat ſocietatem, aut invidus, rebus aliorum opimis macreſcens, nulli facit injuriam. (2) Ex omiſſione virtutis nulla naſcitur pœna humana, ſed præmium virtutis. v. c. homini irreligioſo negatur. (3) Virtus ceu animi perfectio coactionem reſpuit. (4) Deus ad talia vitia noſcenda ſolus eſt omniſcius, ad expendenda æquiſſimus, & ad vindicanda potentiſſimus. Non tamen negamus ſuperiorem ex officio legem facere poſſe, ſi ſalus Reipublicæ id exigat: nam prodigos Lucani, ingratos Macedones, otioſos Athenienſes, & gentes quædam Germanicæ inhoſpitales & inhumanos adverſus peregrinos mulctarunt: ſed jus naturæ non præcipit, ut illud fiat, nec ſemper id fieri conducit. Seneca V. *de Ben.* 21. *Multa legem non habent, nec actionem, ad quæ conſuetudo vitæ humanæ, lege omni valentior, dat aditum.* OTTO.

(*n*) *Reſultantia*]. Quia quidem delicta ſunt moralia, ſed non ſtatim delicta civilia. Degenerare tamen poſſunt quævis vitia in detrimentum reipublicæ; & principis intereſt, ea pœnis civilibus exinde ſubjicere. Apud Athenienſes Draco otioſos morte, Solon infamia mulctavit: aliæ gentes idem fecerunt. Vid. MENAGE *not. ad Diog. Laërt. l. I.* § 55. *p.* 31. Apud eosdem adverſus ingratos actio conſtituta eſt. VALERIUS MAX. *l. V. c.* 3. §. 3. Perſæ idem vitium aliaque multa legibus publicis damnarunt. BRISSONIUS *de regno Perſarum l. II.* TREUER.

§ XV. Bene Grotius II. *c.* 20. §. 21. oſtendit, & ante legem pœnalem, & poſt eam ignoſcere licere: nam jus naturæ non dictitat pœnam certam, neque novit delicta per ſe capitalia; nec finis pœnæ ceſſat, ſi uni aut alteri venia delicti concedatur: Parricidæ vero *naturæ legibus* vivere non licere ait Capitolin. in *Antonin. c.* 8. (2) Injurius autem Grotius quodammodo, & magis noſter *Op. maj.* VIII. *c.* 13. §. 15. eſt in Stoicos: qui non prorſus eradicatam volebant miſericordiam, affectum maxime humanum, ſed anilem & otioſam reprehendebant. Seneca litem de verbis eſſe docuit II. *de Clem.* 5. *De verbo quæſtio eſt, de re quidem convenit.* vid. Gataker. *ad Marcum Antonin. I* § 15. & *II.* §. 13. (3) Populus Romanus ſub

pœnis humanis idonea, ſemper neceſſum eſt, pœnam exigi. Quin aliquando contingit, ut delinquentibus recte peccati Venia fieri poſſit (*p*). Id quod tamen citra graves cauſas fieri non debet

libera Republica reis ſæpe ignovit, & damnatos reſtituit ob merita ſingularia, vel multitudinem delinquentium, Cicero II. *Philipp.* 23. poſtea ſolus Princeps, quum ſupra leges poſitus, legibus ſolvere poterat, *tit. C. de Sent. paſſ.* unde Themiſtius *Orat.* 19. eleganter ait: *Solius Principis eſſe, ex inferorum veſtibulo homines reducere in lucem.* (4) Magiſtratus non habent jus aggratiandi, quia legibus non ſunt ſoluti, nec leges tollere poſſunt: niſi ſumma poteſtas hoc eis conceſſerit, ut fieri ſolet in levioribus. vid. Carpz. *Pr. crim. p. III. qu.* 150. *n.* 75. 100. (5) Omnes fere negant Principi facultatem gratiæ faciendæ contra legem divinam, *Geneſ.* IX. *vſ.* 6. ceteri vero, qui negant leges divinas poſitivas univerſales, aliter ſentiunt cum Seldeno *de jure nat.* IV. *c.* 1. & Thomaſio *de jure aggrat. Princ. Evang. in homicidio.* Otto.

(*o*) *Neque tamen ſi quæ*]. Quando autem delictum punibile ac puniri ſolitum adeſt, tum Imperans delinquenti deprehenſo pœnam condignam imponere tenetur. Aliquando tamen veniam concedere poteſt, quod fruſtra Stoici negarunt, vid. *l.* VIII. *c.* 3. §. 15. 16. 17. Requiritur tamen, (1) ut lex ſit diſpenſabilis, (2) ut juſtæ adſint cauſæ, §. 15. *b.* inter quas juſtiſſima eſt, ſi lex ſit nimis dura, & delinquens, vi velut majori adactus, delinquerit, quod exemplo militum delinquentium intelligi poteſt. Titius.

(*p*) *Peccati venia fieri poſſit*]. Jus veniæ dandæ ſive adgratiandi extra omne dubium ſoli imperanti competet: arbitrium enim vel voluntatem mali infligendi delicto nemo mutare poteſt, vel e medio tollere, niſi qui ejus auctor ſit, & cui poteſtas ea fuerit conceſſa. Imperans igitur in foro juris naturæ ſive naturaliter in omnibus promiſcue delictis jus veniæ dandæ exercere poterit: (1) nullum enim crimen jure naturæ capitale eſt; utpote quod pœnam nullam decernit, nec ulli crimini determinat; ſed imperantium prudentiæ & conſcientiæ relinquit. Cadit ergo diſtinctio conſueta in delicta natura ſua capitalia & capitalia ex lege: nullum enim natura ſua capitale eſt, ſed ex imperantium arbitrio redditur. Nimis dictatorie Becmann. *polit. parall. c.* 13. §. 6. *p.* 589: *Sic atheiſmus*, inquit, *delictum natura ſua capitale eſt: atheus enim turbat univerſæ ſocietatis creaturarum vinculum, & conſequenter vita indignus eſt. Pactum explicitum cum Satana itidem delictum natura capitale eſt: tranſit enim delinquens in caſtra hoſtis* Dei, *eoque quidquid cultus divini eſt, turbat: unde inter homines tolerandus non eſt. Inter delicta homines propius attinentia crimen læſæ majeſtatis capitale eſt: delinquens enim univerſam rempublicam turbavit. Sodomia eodem loco habenda: homo talis enim ſua ſponte ſe infra humanum ſtatum abjecerat: cur alii ergo eum inter homines paterentur? Inceſtus eodem referendus, obſervantque ſcriptores rerum moralium, delinquenti ejusmodi, etiamſi millies in hiſce terris reviviſceret; nihilominus moriendum eſſe ob indignitatem ipſi perpetuo adhærentem. Homicidiorum quoque prorſus eadem ratio: licentia eorum enim totum ſtatum humanum in periculum abducit.* Sed multa ex his ad oratorios floſculos pertinent: cuilibet enim notum eſt, jus naturæ ignorare pactum cum ſatana expreſſum, quod

eſt

Digitized by Google

bet (*q*). Inter quas ſunt (*r*), ſi fines pœnarum in certo caſu non videantur neceſſarii; aut ſi venia majorem, quam pœna, producere utilitatem ſit idonea; aut ſi fines pœnarum alia via commodius obtineri poſſint. Item ſi qui deliquit, alleget ſua aut ſibi conjunctorum eximia in Rempublicam merita, peculiari præmio digna; aut ſi ab alia quapiam inſigni re commendetur, puta a raro aliquo artificio; aut ſi ſpes ſit, fore, ut peccatum illud egregiis factis eluatur: præſertim ubi aliqua ignorantia, licet non plane inculpabilis, intervenerit, aut ſi particularis ratio legis in aliquo facto ceſſaverit. Sæpe quoque ob multitudi-

ad figmenta imaginationis pertinet: atheismum ad forum ethicum ſpectare: inceſtum non eſſe contra jus naturæ: licet illa omnia nefanda vitia ſint, & propter varia circumſtantia momenta in crimina injuſtiſſima converti poſſint. Unde ergo natura erunt capitalia? Manifeſtum quoque eſt, pacem externam non abſolute requirere, ut quivis juris naturæ transgreſſor ſceleratiſſimus, e. c. ſicarius, prædo, homicida, morte adficiatur: ſtare enim ea poteſt cum vita eorum, qui in leges deliquerunt, & conſervari poteſt, ſi vel maxime uni vel alteri ob graviſſimas cauſſas venia concedatur. (2) Finis pœnarum non amittitur, ſi imperans cujusvis delicti veniam interdum prudenter largiatur: unius actus enim condonatio non ſtatim omnem excutit metum pœnæ, nec pari ſceleri in futurum veniam pollicetur. (3) Imperans naturaliter non abſolute obligatus eſt, ut puniat promiſcue; ſed ut pœnis utatur in ſalutem & tranquillitatem civitatis: quæ ſi veniam dandam requirat: requirit autem multoties; imperans jus adgratiandi exſequi poterit. Conf. Thomasii *diſſ. de jure adgratiandi principis evangelici in cauſſis homicidii*, & *ejus not. ad Huber. l. c. p.* 643. Beyer *delin. J. N. c.* 8. *not. ad* §. 91. *p.* 60. & *c.* 31. *p.* 193. Boehmer. *jur. publ. univ. part. ſpec. l. II. c.* 8. §. 12. *p.* 534. Treuer.

(*q*) *Citra graves cauſas fieri non debet*]. Conf. quæ ſupra dicta ſunt ad *l. I. c.* 2. §. 9. Idem.

(*r*) *Inter quas ſunt*]. Certum eſt, in rationibus hic memoratis plurimum eſſe momenti ad delicti pœnam vel mitigandam, vel quandoque plane tollendam: ſunt tamen quædam crimina, in quibus vix eſt ut ulla harum rationum impunitatem præſtare debeat. Cæterum *Grotius d. cap.* §. 25. recte diſtinguit cauſas liberandi aliquem a pœna legis in *internas*, & *externas*. Ad *poſteriorem* claſſem ſpectant pleræque rationum *h.* §. memoratarum; ad *priorem* vero pertinent *Ignorantia*, & *ceſſans legis ratio particularis*; præter alias cauſas, quæ ex antitheſi rationum delicti gravitatem intendentium, prout hæ *ſeq.* §. recenſentur, facile poſſunt intelligi. Confer etiam *Suppl. I.* §. 14. & *ſeqq.* ubi quæ diximus, licet forum divinum præcipue reſpiciant, poſſunt tamen & ſolent, quatenus ad trutinam facile exigi queant, in foro etiam humano ſpectari, quoties non de da-

Digitized by Google

dinem peccantium venia eſt danda, ne ſuppliciis civitatis exhauriatur (*s*).

J. N. & G. *l.* viii. *c.* 3. §. 15—17.

XVI. Delicti gravitas unde ſit æſtimanda; Gravitas (*t*) autem delictorum (*v*) æſtimatur ex objecto, in quod peccatum fuit, prout illud nobile & pretioſum habetur: item ex effectu, prout multum aut parum damni in Rempublicam inde

damno penſando agitur, ſed de delicto puniendo. Carmich.

(*s*) *Exhauriatur*]. Veniæ dandæ generales rationes deſumi ſolent (1) ab objecto vel delicti qualitate: (2) a ſubjecti peccantis adfectionibus: (3) a neceſſitatibus reipublicæ, quæ vel pœnam vel indulgentiam requirunt: (4) a viribus imperantis, an ſint ipſo delicto inferiores: (5) a multitudinis & civium diſpoſitione, quibus ſæpe in pœna aliqua neque exemplum ſtatuitur, neque ſcandalum tollitur, ſed augetur, quando e. c. peccatum in vulgus hactenus non fuit notum, & ſatius eſt ignorare iſtud virtutis negotium, quam divulgare peccatum per pœnam manifeſtandum. Treuer.

§. XVI. Quantitas delicti civilis, ſeu eius æſtimatio, uti vocatur in *l.* 41. *D. de Pœn.* non ſecundum leges Reipublicæ Judaicæ, neque ſemper ſecundum proportionem Geometricam fieri debet, ut Ariſtoteles V *Eth.* 6 voluit a Bodino VI. *de Rep. c. ult.* notatus: neque illa ad paucas regulas contrahi poteſt, ſed præter ea, quæ Auctor hic attulit, genius populi, frequentia delinquentium, delicti facilitas & varius voluntatis influxus diverſas ſanctiones pœnales poſtulant. Sic apud Thurios cum armis in concionem veniſſe capitale fuit Diod. Sic. XII. 12. Carthagini Græcis literis ſtudere. Juſtin XX. 5. (2) Grotius II. *de J. B. & P. c.* 1. §. 14. negat, legem jus necis habere in omnes cives ex quovis delicto, ſed demum ex tam gravi, ut mortem mereatur: hinc *in notis* redarguit leges, quæ venantes rusticos morte puniunt; & acerbius ad *Matth.* V. *vſ.* 40. Quamvis enim, ſi ad ſolum animum & contemtum legiſlatoris reſpicias, omnia peccata paria ſint: Draco etiam non minorem iis, qui braſſicam & poma abſtuliſſent, quam ſacrilegis, pœnam dictaverit; attamen ſana ratio vetat, quod ſcutica dignum eſt, horribili flagello ſectari, Cicero *pro Mur. c.* 29 & Horat. I. *Sat.* 3. *vſ.* 115. (3) Generaliter ſufficit, reprimendam eſſe peccandi libidinem, & fugiendam ab altera parte nimiam acerbitatem, ubi quies civitatis non valde turbatur; ab altera vero nimiam lenitatem, quia mali deteriores fiant impunitate, & creſcentibus delictis, exaſperandæ ſunt pœnæ. (4) Habenda eſt ratio perſonarum & majore pœna dignus eſt dux, quam miles gregarius; vir prudens & vitam auſteram profeſſus, quam ſtupidus & rudis, Juven. VIII. *vſ.* 140. Hinc Atejus Capito referente Tacito III. *Ann.* 70. inſignior infamia fuit, quod juris humani & divini ſciens egregium publicum dehoneſtaſſet, & Hieron. in *Ezech.* II. *Grandis dignitas ſacerdotum, ſed major ruina, ſi peccant.* (5) Nulli gentium mitiores, quam Romanis, placuiſſe pœnas Livius gloriatur I. 28. & tamen leges eorum flammas,

Digitized by Google

inde redundat, & denique ex pravitate intentionis, quæ ex variis indiciis colligitur; puta, ſi facile potuit reſiſtere cauſis, quibus quis ad peccandum fuit impulſus; aut ſi, præter communem rationem, peculiaris quædam acceſſit, quæ a peccando debebat abſterrere; aut ubi circumſtantiæ ſingulares factum aggravant; aut ſi animum quis habuerit idoneum ad reſiſtendum peccatorum illecebris. Sed & conſiderari ſolet, primus quis, an aliorum exemplo ſeductus, ſemel, an ſæpius, & poſt conſumtas fruſtra admonitiones quis peccaverit.

J. N. & G. *l.* VIII. *c.* 3. §. 18–22.

(*x*) Quod tamen POENÆ GENUS (*y*) & QUANTUM XVII. Unde definiendum.

mas, cruces, culleos, beſtias aliaque atrocia minantur; quia multis graſſantibus, exemplo erat opus, & acerbitas ulciſcendi bene vivendi fuit diſciplina. (6) Aliquando pœnarum atrocium inventa in ipſos auctores recidiſſe Perilli exemplo Valer. Max. IV. *c.* 2. 9. docet. OTTO.

(*t*) *Gravitas*]. Quantitas delicti duplex eſt, moralis & civilis: moralis ex principiorum actionis humanæ cum ea connexione pendet, an intellectu prælucente & decernente voluntate vel magis vel minus peccatum fuerit, ex declaratione voluntatis imperantis, prout delinquenti vel clarius innotuit. vel ſeverius injuncta eſt, ex ſubjecti charactere, capacitate, munere, adjunctis, ex circumſtantiis loci & temporis æſtimanda. Quantitas vero civilis, quæ moralitatem criminis prærequirit, ſuperaddit aliud momentum: pendet nempe ab effectu in tranquillitatem reipublicæ exinde redundante. Hinc accidit, ut delictum, quod morali æſtimatione leve dicendum, civili quantitate ingens crimen eſſe judicetur, prout ſtatus & quies reipublicæ ab eo læſa eſſe intelligitur. TREUER.

(*v*) *Gravitas autem delictorum*]. Pœnæ nomine imponitur malum, quod (1) ad finem pœnarum producendum aptum, ac (2) delicto conveniens eſſe debet, quæ poſterior æſtimatio ſatis lubrica, ac in vita civili valde corrupta eſt. Interim ad proportionem illam inveniendam obſervanda eſt delictorum *indoles*, vid. *d. c.* 3. § 13. & *quantitas*, quæ ex *circumſtantiis* oriri dicitur §. 16. *b.* add. *d.* §. 19. 20. 21. 22. ſed accurate loquendo illa exiſtit a *diverſo voluntatis influxu*, ac a *legum*, quæ violantur, *diverſitate*, quæ duo fundamenta circumſtantiæ vulgo laudatæ innuunt, vid. *l. I. c.* 2. §. 15. lit. (z). *n.* 4. TITIUS.

§. XVII. Delictis inæqualibus eadem regulariter pœna ſine vitio imponi non poteſt; quia pœna delicto non proportionata ſcopum non conſequitur. Hanc ob rem quædam gentes per eadem membra plectere ſolebant,

Digitized by Google

pœnæ, genus & quantitas? TUM præciſe ſingulis peccatis ſit infligendum, penes ſummum Imperium civile eſt definire, quod heic unice utilitatem Reipublicæ præ oculis habere debet. Unde fieri poteſt & ſolet (z), ut eadem pœna imponatur duobus delictis inæqualibus. Nam quæ æqualitas judicibus circa reos obſervanda

per quæ quis crimen commiſiſſet. vid. Cujac. VII. *Obſ.* 13. P. Faber III. *Sem. c.* 19. & Forner. III. *Sel c.* 28. (2) Attamen ſi homicidium pœna pecuniaria in medio ævo. & hodie gladio, ſed furtum laqueo punitur, etſi gladio perire honeſtius ſit, & bonam mortem vocet Lactantius *de Mort. perſec. c.* 22. laqueum autem informe lethum, *c.* 30 ibique Cuperus *in notis.* Unde Leibnit. in *not. ad tom. I. Script. rer. Brunſvic. pag.* 79. queritur, nihil magis incongruum eſſe, quam caballi furtum capite puniri, at viri nobiliſſimi cædem pecunia lui. Sed ubi opes in armentis ſitæ, *quid ſalvum eſſet, ſi furari liceret!* quærit Juſtinus II. *cap.* 2. (3) Diſparitatis ratio igitur partim conſiſtit in delicti unius præ altero frequentia; partim quod occaſio delinquendi pœnam vel auget, vel minuit; partim in defectu majoris pœnæ, partim in opinione vulgi, mortem, ſi non ſit naturalis, ſed βιαθάνατος & violenta, pœnam graviſſimam eſſe. At vita longa ac miſera damnatorum ad remos, in ergaſtula, vel ad opus publicum, longe eſt gravior, & Romani ad mortem damnatos virgis prius fere ad necem verberarunt; quia dolor & mora mortis plus pœnæ habet, quam mors ipſa, Seneca *lib.* VI. *Quæſt. Nat c* 32. *Mors naturæ lex eſt: mors tributum officiumque mortalium.* & Junior *Conſol. ad Marc c.* 16 *Mors nec bonum, nec malum eſt.* Idem *Epiſt.* 69 imperitiſſimi verbum vocat: *Bella res eſt, mori ſua morte.* vid. Victor. XII. *Var* 8. (4) Magiſtratus obſervet illud Marciani, in *l.* 11. *D. de Pœnis: Perſpiciendum eſt judicanti, ne quid aut durius aut remiſſius conſtituatur, quam cauſa depoſcit: nec enim aut ſeveritatis aut clementiæ gloria affectanda eſt, ſed perpenſo judicio, prout quæque res expoſtulat, ſtatuendum eſt. Plane in levioribus cauſis proniores ad lenitatem judices eſſe debent, in gravioribus pœnis ſeveritatem legum cum aliquo temperamento benignitatis ſubſequi.* Otto.

(*x*) XVII. & XVIII. Quantitas pœnæ infligendæ determinanda eſt (1) ratione quantitatis delicti & moralis & civilis: malum paſſionis enim malo actionis æquiparandum eſt: (2) ratione paſſionis, pertinaciæ vel mollitiei ceterorumque adjunctorum delinquentis: gravior enim interdum pœna lenis eſſe poteſt ratione ſubjecti patientis, & vici verſa: id enim, quod grave eſt voluptuoſo, ne moleſtum quidem eſt ambitioſo &c. (3) ratione ſpectaculi & exempli, prout illud vividius & cum majori horrore & averſatione ſecundum diſpoſitionem ſtatus reipublicæ & civium imprimendum eſt. Communiter vero in pœnæ quantitate error committi videtur, ubi mors graviſſima pœna eſſe ſtatuitur, fortiusque reliquos emendare creditur: quum tamen vita miſera & per longas moleſtias tracta multo gravius ſit malum paſſionis, inferis etiam deſtinatum, & diutius in ſenſus ceterorum incurrat. Peſſima hinc delicta vulgo puniuntur morte, quæ memoriam alicujus notat: minora adficiuntur damnationis pœna ad labores graviſſimos, vel turpiſſima ejectione e republica, quæ homines ad bene

da præcipitur, illa intelligenda eſt de reis, qui idem ſpecie delictum commiſerunt, hactenus, ut quod in uno vindicatur delictum, alteri citra graviſſimam cauſam, condonari non debeat. Etſi autem, quantum (*a*) fieri poteſt, homo in hominem lenior eſſe debeat: interdum tamen pœnas exaſperari, ſalus civitas & ſecuritas civium jubet: puta, ſi contra gliſcentia vitia aſperiore medicina opus ſit, aut ubi delictum aliquod Reipublicæ ſit pernicioſiſſimum. Id autem omnino obſervandum circa magnitudinem pœnarum, ut illæ tantæ ſint, quantæ ſufficiant (*b*) ad reprimendam libidinem mortalium, qua feruntur in peccatum, in quod pœnæ conſtituuntur. Tum etiam, ne exigantur (*c*) graviores pœnæ, quam legibus

ne agendum ineptos delicta vero atrociora redit, eademque magis amovet. quam punit. Treuer.

(*y*) *Quod tamen pœnæ genus*]. Poſtea etiam pœnæ ſeu mali imponendi ***quantitas*** recte eſt definienda, quam definitionem juxta utilitatem publicam fieri debere, Auctor innuit ***b.*** add ***d. c.*** 3. §. 23. 24. ſed hæc ultima norma eſt, proxime igitur in pœna determinanda debet conſiderari (1) Delictorum quantitas, (2) Delinquendi conſuetudo ac facilitas, ac (3) Delinquentis perſona. Juxta legem Moſaicam particularem, vel talionem definitio pœnæ præciſe non eſt facienda, ***d. c.*** 3. §. 26. 27. Titius.

(*z*) *Unde fieri poteſt & ſolet*]. Specialis quæſtio eſt, an eadem pœna duobus delictis inæqualibus queat imponi. Auctor ita cenſet, ejus tamen ratio non adeo concludit, ſed potius id, de quo quæritur, ſupponit, hinc regulariter, quæſtio neganda videtur, aliquando tamen affirmari poterit, (1) ob ***defectum majoris pœnæ***, ſic multa delicta inæqualia morte coërcentur, (2) ob ***lubricam delictorum & pœnarum æſtimationem.*** Plane aliquando delicta non tantum in ſe, ſed etiam regulariter, quoad quantitatem, ſunt quidem diverſa, quæ tamen pro ratione temporis aliarumque circumſtantiarum æqualia nonnunquam cenſeri poſſunt; hæc igitur, ſi eadem pœna coërceantur, id ad quæſtionem non pertinet. Idem.

(*a*) ***Etſi autem, quantum***]. Juxta fundamenta antea allata, & pœna recte definienda, & nonnunquam exaſperanda vel lenienda eſt, qua in re, uti propter lubricam horum æſtimationem facile impingi poteſt, ut nimia accuratio heic exigi nequeat, ita negari tamen non poſſe videtur, quin crudelitas & vitioſa προσωποληψία ſæpius genuinæ normæ limites conſulto tranſiliat. Idem.

(*b*) *Quantæ ſufficiant*]. Hunc in finem, ubi atrox aliquod delictum eſt ejusmodi, ut difficulter quis ejus convinci poſſit; ne ſpes impunitatis ad peccandum alliciat, evadendi facilitatem, pœnæ convicto infligendæ gravitate, æquum eſt penſare. Carmich.

(*c*) ***Tum etiam, ne exigantur***], Hæc

bus definitæ ſunt; niſi atrociores circumſtantiæ factum aggravent.

J. N. & G. *l.* VIII. *c.* 3. §. 23, 24.

XVIII. In hoc attendenda perſona peccantis. Quia tamen eadem pœna (*d*) non omnes æque afficit, adeoque apud omnes non parem effectum producit circa reprimendam peccandi libidinem; inde

Hæc minus appoſite dicta ſunt, pertinent enim ad Magiſtratus inferiores, qui pœnas, legibus conſtitutas, ſimpliciter ad delicta evenientia applicari debent, hic vero eſt quæſtio de pœnis, a Summo Imperante in uſum Reipublicæ legitime conſtituendis. Titius.

§. XVIII. Romæ impuberes, pubertati proximi, Prætoris arbitratu, verberabantur tergoribus anguillarum, Plin. XVIII. 3. & in omnibus judiciis pœnalibus ætati, pariter ac imprudentiæ, ſuccurrebatur. Ulpianus ait, impuberes ſervos terreri tantum ſolitos, & habena vel virgula cædi, *l.* 1. §. 33. *D. de Scto. Silan.* Exempla tamen impuberum pœna capitali propter enormem malitiam, quæ ætatem ſupplebat, affectorum habet Struvius *Obſerv. crim.* 19. *n.* 2. & Brunnem. *Cent.* IV. *Deciſ.* 2. (2) Opificii quoque & virium habenda eſt ratio; quia pictori manus magis eſt neceſſaria, quam cantori; & homo robuſtus ſine diſpendio vitæ plures ictus excipere poteſt, quam teneræ ſtaturæ & dubiæ valetudinis homuncio. (3) Dignitatis præterea & qualitatum diſcrimen habetur in *l.* 45. *D. de injur. l.* 1. *D. de abig. l.* 1. §. 5. *D. ad L. Corn de fic. l.* 12. *D. de incend. ruin.* Grot. vero II. *c.* 20. §. 33. culpat, in legibus Romanis ſæpe id non fieri ἄνευ προσωποληψίας, a quo vitio longiſſime abſit lex Moſis. In pœnis certe capitalibus omnibus vita æque cara eſt; at in damnis famæ, pecuniæ & civitatis nimia æqualitate nihil foret inæqualius. Ideoque Prætor æſtimatoriam introduxit, quum L. Veratius pro delectamento haberet, os hominis liberi manus ſuæ palma verberare 25. aſſibus ſolutis Gell. XX. 1. vid. Lectius *ad l.* 20. *D. de Pœn. t. I. Theſ. p. II. p.* 113. Otto.

(*d*) *Quia tamen eadem pœna*]. In determinanda pœna, ad perſonam delinquentis etiam eſſe reſpiciendum, jam ſupra §. 17. lit. (*y*) *n.* 3. diximus, & hic recte inculcatur. Eſt tamen, ut alibi, ita hic etiam caute incedendum, quædam perſonarum diſcrimina ſat evidenter diverſum doloris ſenſum operantur, adeoque merito diverſam pœnam exigunt, modica mulcta inopi ſat gravis eſt, quæ tamen in divite ne minimum quidem dolorem excitaret. Homo robuſtus gravem corporis coërcitionem ſine ſalutis diſpendio ſuſtinet, ſed ætatis teneræ vel dubiæ valetudinis homuncionem illa conſumeret. Ad obſervandam igitur æqualitatem opus eſt inæquali pœnæ determinatione, nam hæc demum, quoad dolorem excitandum, æqualis eſt. Sed an v. gr. ejectio ex civitate magis urat honoratum, quam plebejum, id non adeo liquet; hinc ad introducendam pœnæ inæqualitatem perſonæ hactenus non recte habetur ratio, quando autem ſola dignitas minuendæ pœnæ ſufficere exiſtimatur, in humiles vero impune ſævitur, eam non juſtam eſſe pœnæ æſtimationem, ſed corruptiſſimam προσωποληψίαν,

ad

inde, tam in generali pœnarum deſignatione, quam earundem ad ſingulos adplicatione, reſpicienda eſt PERSONA IPSIUS DELINQUENTIS, & in eadem illæ qualitates (*e*), quæ ſenſum pœnæ augere vel minuere poſſunt; puta, ætas, ſexus, ſtatus, opes, vires & ſimilia.

J. N. & G. *l.* VIII. *c.* 3. §. 25.

Porro uti ob alienum delictum (*f*) in foro humano, pœna proprie dicta nemo poteſt affici: ita ſi XIX. Ob delictum alienum nemo puniendus:

ad prava inſtituta, evertendæ humanæ amicitiæ introducta, ſuſtinenda pertinentem, cordati facile intelligunt, add. *d. c.* 3. §. 25. Titius.

(*e*) ***Et in eadem illæ qualitates***]. Pœna ſc. corporali imbecilliores magis afficiuntur quam robuſtiores; mulcta pecuniaria magis premuntur inopes quam locupletiores; pœna denique quæ exiſtimationem tangit, magis uruntur Nobiles quam Plebeji. Carmich.

§. XIX. Univerſitas non delinquit, niſi Optimates, vel Magiſtratus cum plebis Tribunis iverint in conſilium, vel populi primores maleficium ratihabuerint, vel lucrum in rem collegii fuerint converſum. Tunc vero ſontes ab inſontibus, puta pueris & feminis, ſunt ſeparandi, & inter illos decimatio ſorte inſtituenda, ut timor ad omnes, pœna ad paucos perveniat. Aliquando ſufficit, ſolos auctores puniviſſe; uti unde orta eſt culpa, ibi pœna conſiſtat Grotius III. *c.* 11. §. 5. Sæpe municipiis adimuntur privilegia, *l.* 37. *D. de reb. auct. jud.* vel infamia inuritur, *l.* 9. *C Th. de indulg. crim.* aliquando etiam aratro inducto urbs deleta fuit. *l.* 21. *D. quib. mod. uſusfr.* quam P. Faber I. *Sem.* 8. 9. antiquis, & Moronacius *ad d. l.* 21. Pictavii & Tarvenſinæ recentioribus exemplis illuſtrarunt. Otto.

(*f*) ***Porro uti ob alienum delictum***]. Delinquentem tantum eſſe puniendum, non alios, licet iis cum delinquente arcta intercedat conjunctio, ex regulis ſocialitatis facile liquet. Pœna tamen pecuniaria in alios nonnunquam ob conſenſum transmittitur, quemadmodum etiam non eſt infrequens, ut quis occaſione alieni delicti damnum ſentiat, ſed eſt vel damnum fortuitum, vel voluntarium, adeoque non inique accidit, quod exemplo innocentium Univerſitatis delinquentis membrorum, §. 12. liberorum & fidejuſſoris, §. 20. declaratur, add. *d. c.* 3. §. 28 *ſeqq.*

2. Modus imponendi pœnam in his ſummatim conſiſtit. (1) Hoc agat Imperans eique ſubordinatus Judex, quo delinquentem in ſuam redigat poteſtatem, quod carcere, cuſtodibus, ac aliquando ſalvo conducto, obtineri poteſt. (2) Poſtea de eruenda delicti veritate ſollicitus eſſe debet; hinc omnia legitima probandi media adhibenda ſunt, ad quæ etiam tortura, recte inſtituta, referri poteſt. Quod ſi de delicti veritate conſtet, tum (3) Pœna conveniens dictanda, ac legitime ſepoſitis pravis reſpectibus executioni danda eſt. Reo tamen, quoties

ſi ab universitate aliqua (*g*) delictum sit admissum (*h*), eo non tenebitur, qui in id non conſenſerit (*i*). Atque inde iſti diſſentienti nihil poterit eripi, quod nomine & beneficio univerſitatis non obtinebat. Etſi ex occaſione punitæ univerſitatis & innocentes incommodum ſentire ſoleant.

ties æquitas poſtulat, defenſio indulgeri debet.

3. Sic igitur delinquens ad pœnam certo modo obligatur, hanc igitur obligationem ſi expleat, *juſtus* dici poteſt, ſed eſt juſtitia non valde ſplendida, & juſtior eſt, qui illum exercendæ juſtitiæ caſum evitat. Porro Imperans & Judex quoque ad pœnas legitime imponendas obligantur, quam obligationem ſi impleant, ſenſu ſatis ſplendido *juſti* ſunt. An vero, in imponenda pœna, Commutativa, Diſtributiva, vel neſcio quo elogio mactanda Juſtitia obſervetur, ea inepta ac Grotio & Pufendorfio (vid. *d. c.* 3. §. 5.) indigna quæſtio eſt. Quod ſi autem illam obligationem negligant, tum ſunt injuſti; cujus injuſtitiæ ſpecies ſolent eſſe *nimia levitas*, hacque frequentiores, *crudelitas*, *avaritia*, & προσωποληψία. Titius.

(*g*) *Ab univerſitate aliqua*]. De pœnis Univerſitatum, difficilis & perplexa eſt tractatio. Quamvis enim ab una parte ſatis expeditum ſit, quod ait Auctor, ob delictum publicum non poſſe diſſentienti privatam pœnam imponi, atque adeo nec quidquam eripi, quod nomine & beneficio Univerſitatis non tenebat; haud tamen ab altera parte æque conſtat, quo jure ipſa Civitas, qua talis, (nam & Civitates in hac doctrina ſub *Univerſitatum* nomine continentur) poſſit omnino pœnæ eſſe obnoxia. Quippe cum *meritum*, aut *demeritum* fatento *Grotio* & poſt eum Auctore noſtro ſit ex eorum genere, quæ de univerſitate dicuntur, non primo & per ſe, ſed per derivationem a ſingulis, plane quemadmodum *doctam* aut *fortem* dicimus univerſitatem, quæ plurimos habet tales; cumque hanc ipſam ob cauſam fatente etiam utroque extinctis iis, quibus conſentientibus & cooperantibus publicum delictum fuit patratum, ipſum quoque delictum, atque adeo pœnæ debitum, extinguatur; his conſonum videtur, ut pœnam proprie ſic dictam non ab ipſa univerſitate ſed a ſingulis delinquentibus dicamus deberi. Accedit, quod præcipuus pœnarum inter homines exigendarum finis, *Terror* ſc. *exempli*, hic locum non habeat; cum malefici, metu malorum ſibi ipſis, non univerſitati, cujus ſunt membra, infligendorum, a delictis deterreri ſoleant. Sufſecerit igitur ut plurimum, ubi publicum delictum eſt patratum, puniri ſingulos nocentes, ab ipſa vero Civitate damnum ſarciri, & læſo caveri in poſterum; Univerſitatis jure cæteroquin innocentibus integro relicto. Nec tamen diffiteor, ubi Civitas aliqua, non uni aut alteri, ſed omnibus promiſcue nocendi, ſaltem quibus nullo peculiari fœdere conjuncta eſſet, voluntatem prodidit, quaſi ſceleris cauſa fuiſſet conſociata; poſſe talem Civitatem, ſi nocentes ab innocentibus ſeparari nequeant, ob communem Humani Generis ſecuritatem, recte diſſociari.

Quod vero ſubordinatæ Univerſitates, ob delicta communi conſilio admiſſa, vel officia omiſſa, certis privilegiis, vel quandoque ipſo *Univerſitatis* jure, privari ſoleant, id indolem videtur habere

Pœ-

leant. Exſpirant quoque delicta univerſitatum, quando nemo amplius ſupereſt eorum, queis conſentientibus & cooperantibus illud delictum fuit patratum (*k*).

J. N. & G. *l.* VIII. *c.* 3. §. 28—30. 33.

Id

Pœnæ conventionalis; cum ſub ea lege, expreſſa vel tacita, a ſummo Imperante conſtitutæ ſupponantur. CARMICH.

(*b*) *Delictum ſit admiſſum*] Peccat univerſitas, ſi convocatio & forma quædam univerſitatis vel communione conſilii, vel incitamenti in ipſo delicto fuerit obſervata: ſi enim pars aliqua ſine conſilii communicatione & præcedente convocatione in leges delinquat; univerſitas non poteſt dici obligari ex delicto; ſed membra ejusdem particulari auſu motuque ſuo peccaſſe cenſenda ſunt. vid. BESOLDUM *op. polit. l. I c.* 12. *n.* 68. Idem dicendum, ſi major pars deliquerit ceteris vel contradicentibus vel ignorantibus: pœna enim manet auctores ſuos. Si capita univerſitatis deliquerint invitis reliquis univerſitatis membris; pœna ad illa ipſa pertinebit: ſi vero primores deliquerint facto ſecundum pacta conventa univerſitatis inſtituto; tota ſocietas culpam ſuſtinet. Pro adminiſtratorum delictis pœnam ſubire univerſitas non debet, niſi eorum facta approbaverit vel ratihabuerit. Si vero univerſitas delictum committat, veramque omnes ſuſtineant culpam; pœna rigoroſe omnibus infligi poteſt ſecundum regulas juſti: quod tamen a præceptis decori & prudentiæ temperatur. Conf. GUNDLINGII *diſſ. de univerſitate delinquente ejusque pœnis. Halæ* 1724. TREUER.

(*i*) *Id non conſenſerit*]. Tenetur tamen ſæpe innocentiſſimus quoque, propter difficultatem modi puniendi multitudinem, ubi vel aleæ teſſerarumque jactui committitur vita multitudinis, vel decimatione militari ad pœnam rapiuntur innocentes: qui modi ita caute inſtituendi, ne juſtitiam & prudentiam lædere queant. Hinc BOECLERUS monet *not. ad Tacit. annal. l. I. c.* 9. *p.* 171. *Si de innocentia alicujus plane conſtet; ſi compertus eſt repugnaſſe ceterorum ſceleri, & illud, quantum in ſe erat, prohibuiſſe; non ſolet utique plecti, ſed abſolvi: at vero ſi diſtinctio criminis, non dicam ſubtilis ac difficilis, ſed plane impoſſibilis eſt; tum videt judex culpam, quæ puniri; videt juſtitiam, quæ vindicari poſtulat; videt etiam in adplicatione pœnæ & vindictæ ad perſonas non omnia ad liquidum perduci poſſe; videt denique ex his, ſatius eſſe pœnam aliquid ex iniquo trahere, quam juſtitiam iniqua indulgentia prorſus negligi, præſertim ſi utilitas publica magnis exemplis juvari poteſt aut deſiderat. Tum valet Caſſianum iſtud: Mixtura iniquitatis in minimis, quæ vitari non potuit, rependitur utilitate publica.* Conf. BODINUM *de rep. l III c.* 7. *n.* 338. ARNISÆUM *de republ. l. III. ſect.* 4. *n.* 2. IDEM.

(*k*) *Delictum fuit patratum*]. In delictis enim non datur ſucceſſio; ſed culpa & pœna ſequitur ſuos auctores, qui bene ſecernendi ſunt a reliqua turba innocente. Mortuis delicti auctoribus ceſſat ſubjectum reatus; nemini ulterius aliquid imputari poteſt: injuſtum igitur foret aliquem pœna adficere. IDEM.

§. XX.

XX. Etſi id occaſionem incommodi innocenti præbere poſſit.

Id tamen frequenter contingit, ut ALIENUM DELICTUM OCCASIONEM PRÆBEAT, ex qua in alios incommodum proveniat (*l*), aut bonum antea ſperatum intercipiatur (*m*) Sicuti bonis parentum ob delictum confiſcatis ad paupertatem rediguntur etiam innocentes liberi. Et reo aufugiente fidejuſſor exſolvere mulctam cogitur, non ex delicto, ſed quia in talem eventum ultro ſeſe obligavit.

J. N. & G. *l.* VIII. *c.* 3. §. 31. 33.

§. XX. Apte Cl. Barbeyracus *h.* §. jungit parti §. præcedentis, (2) ſed Auctor malum illud, quod ex contactu perſonæ delinquentis in alios ſæpe redundat, incommodum recte vocat: nam ubi demeritum non eſt, ibi pœna eſſe non debet, *Ezech.* XVIII. *vſ.* 20. *Deut.* XXIV. *vſ.* 16. *l.* 22. *C. de Pœn.* (3) Effectum autem pœnæ alios ſentire, aliquando non eſt injuſtum: v. c. amiſſio bruti, quocum Sodomia commiſſa eſt, *Levit.* XX. *vſ.* 15. quodque liberis reorum perduellionis, quæ ſunt civilia & nondum quæſita adimuntur, ut amor eorum parentes amiciores faciat Reipublicæ, *l.* 5. *C. ad L. Jul. Majeſt.* Grotius II. *c.* 21. §. 13. 15. (4) Quod autem de fidejuſſore hic adfertur, non ſatis aptum eſt; quia is non ex delicto, ſed ex ſponſione ſua convenitur, nec punitur, ſed obligationi, ſponte ſuſceptæ, ſatisfacere debet. v. Grot. II. *c.* 21. §. 11. OTTO.

(*l*) *Incommodum proveniat*]. Non vero pœna: alienum enim delictum in nos redundare nequit, niſi aliquo modo in noſtra fuerit poteſtate, & a nobis dependerit. Incommoda ergo illa oriuntur occaſione delicti, non vero cauſſa delicti, naturamque pœnæ hac ratione non induunt. Meretur hic legi GROTIUS *l. II. c.* 21. cum ſuis commentatoribus & BECMANN. *medit. polit. c.* 15. *n.* 11. *ſqq.* TREUER.

(*m*) *Intercipiatur*]. Sive ad quod perfectum jus, aut nondum quæſitum, aut alia ratione amiſſum, fuerat; ſive in cujus jacturam eo caſu ſuſtinendam quis conſenſerat. At ex nulla harum cauſarum defendi poteſt crudelis Conſtitutio *Arcadii* & *Honorii*, *Cod. l.* 9. *tit.* 8. *l.* 5. § 1. Cæterum *h.* §. recte iungit *Barbeyracius* cum priore parte præcedentis, in ultimum locum remiſſis, quæ illic ſubiiciuntur de delictis & pœnis Univerſitatum. CARMICH.

C A-

Caput XIV.

De Exiſtimatione, & de Jure Summorum circa eam Imperantium.

Summaria.

I. *Exiſtimatio quid.*
II. *Duplex in duplici ſtatu.*
III. 1. *Simplex α. in libertate naturali*
IV. *Eaque vel integra,*
V. *Vel diminuta,*
VI. *Vel exſtincta:*
VII. *β In civitate,*
VIII. *Ubi deficit, vel ex mero ſtatu,*
IX. *Vel ex delicto.*
X. *Naturalis non ſubeſt arbitrio Imperantis.*
XI. 2. *Intenſiva, itemque honor.*
XII. *Varia hic conſideranda.*
XIII. *Fundamentum exiſtimationis intenſivæ.*
XIV. *Jus imperfectum & perfectum ad honorem.*
XV. *Jus ad præcedentiam inter Principes.*
XVI. *Gradus dignitatis civilis deſignandi à Summo Imperante.*

Existimatio in genere (*n*) eſt valor perſonarum (*o*) in vita communi, ſecundum quem aptæ I. Exiſtimatio in genere quid.

§. I. Hæc materia in jure privato ad *tit. D. de his qui not. inf.* tractatur; ſed quia Imperans jus habet circa exiſtimationem civium; hinc ea inter partes Summi Imperii hic refertur, ut conſtaret, quid Imperanti in eam liceat. (2) Quemadmodum valor rerum ex comparatione & idea relativa alicujus præſtantiæ exſurgens *Pretium* dicitur, ita valor perſonarum *Exiſtimatio* audit, quæ homines, natura æquales, morali æſtimatione & civili facit inæquales. Alias Opi-

aptæ ſunt aliis perſonis exæquari aut comparari, eisque vel antehaberi, vel poſtponi (*p*).

J. N. & G. *l.* VIII. *c.* 4. §. I.

II. Duplex in duplici ſtatu.

(*q*) Dividitur illa (*r*) in SIMPLICEM & INTENSIVAM.

Opinio bona, illibata & integra vocatur; quia ex hominum opinione provenit. *l.* 7. *D. quemadm. teſt. ap. l.* 13. *C. ex quib. cauſ. inf. l.* 7. §. 6. *C. de Curat. fur.* Senec. *Epiſt.* 102. *Claritas iſta bonorum virorum ſecunda opinio eſt*, & *Epiſt.* 113. *Nec dubitaveris, bonam vitam quam bonam opinionem, malle.* (3) Quod ſi ea opinio a pluribus agnoſcitur, *Famam* & *Celebritatem* vocamus. Si & ſigna agnitionis accedunt per verba, *Laudem*; per facta, *Honorem* dicimus: & denique *Gloriam*, ſi agnitio late ſpargitur. vid. Differt. Auctoris *de Exiſtimatione*, Freherus *de Fama & Infamia*, & Thomaſii *Diſſ. de Exiſtimatione, fama & infamia.* OTTO.

(*n*) *Exiſtimatio in genere*]. Inter partes Imperii Civilis eſt etiam jus determinandi ſubditorum exiſtimationem, qua occaſione Auctor in genere de hac materia ſibi differendum eſſe exiſtimavit, vid. *l.* VIII. *c.* 4. §. 8 ſed locus illi rei non ſatis aptus eſt. Quoad rem ipſam, certum quidem eſt, quod homines, quoad phyſicam corporis quantitatem, ſint ſæpe diſſimillimi, quemadmodum vice verſa hactenus æquales cenſeri poſſunt, quod omnes anima & corpore conſtent. Sed de his iam non eſt quæſtio, ſolent inſuper in hominibus *aptitudo agendi*, nec non *ipſæ actiones*, ut & *imperium*, *pacta* ac *legum diſpoſitiones*, eo ſine factæ, conſiderari, ac inde diverſus eorum valor repeti, de quo hic agitur. TITIUS.

(*o*) *Eſt valor perſonarum*]. Exiſtimatio ſine dubio jus eſt, ſed quia homines certo modo *quantos* efficit, ideo ab effectu & objecto *quantitas moralis*, vel *valor*, audit perinde ac pretium, quod hominum intuitu utique etiam jus eſt, add. *d. l.* VIII. *c.* 4. §. 1. IDEM.

(*p*) *Poſtponi*]. In omni exiſtimatione diſtinguendus valor hominis in ſe ipſo ſpectati tamquam fundamentum exiſtimationis & ipſa exiſtimatio ſive adgnitio illius valoris: qui adgnoſci ſolet vel ab homine ipſo, qui ſe æſtimat; vel a paucis, & dicitur exiſtimatio ſtricte ſic dicta; vel a pluribus, & dicitur fama. Hanc exiſtimationem ſequi ſolet externus honor ſive ſignificatio adgnitionis. Sic multis ineſt certa præſtantia; ſed vel ipſi eam non adgnoſcunt ob nimiam diffidentiam: quale exemplum vid. in CHARMIDE ex *Socratis memorabilibus* a XENOPHONTE *deſcriptis l. VI. c.* 7. vel ab aliis quoque temnitur. Quibusdam nullus ineſt valor, quos tamen bona fama gaudere videmus. Exiſtimatio itaque cum pretio rerum ita convenit, ut itidem ſit idea relativa; quæ in mente hominum producitur ex comparatione alicujus præſtantiæ & perfectionum. Ad quam materiam conferantur PUFENDORF. *diſſ. de exiſtimatione* THOMASII *diſſ. de exiſtimatione, fama & infamia extra rempublicam* 1709. *Halæ hab.* TREUER.

§. II. Exiſtimatio *Simplex* naturalis eſt, & cuivis, non malo & ſceleris puro, competit: ſive is pauper, ſive dives ſit. Nulla ergo hic inæqualitas inter opificem & miniſtrum Principis, militem ere-garium & ducem: nam ſanctitas morum non dictat ordinibus. Plinius V. *Epiſt.* 3. *Intenſiva* vero eſt

ad-

VAM. Utraque conſideratur, vel inter eos, qui IN NATURALI LIBERTATE, vel qui in STATU CIVILI invicem degunt.

dict. §. I.

EXISTIMATIO SIMPLEX (s) INTER EOS, QUI IN NA- III. Simplex in libertate

adventitia, & publicis Senatorum vel Conſulum annexa muneribus, hominum ordines quosdam inæquales conſtituit. (2) Prior conſiſtit in præſumtione bonitatis; ut vero altera obtineatur, animo exculto & bene meritis opus eſt. (3) Illa ab Imperante nec dari, nec propter meritum inæquale adimi poteſt; ſed ad jura cuiusvis hominis naturalia pertinet. Hæc vero pro fundamento habet honorem, lege vel pacto alicui tributum. (4) Priori opponitur *infamia*; quæ eſt exiſtimationis, indeque pendentium jurium, privatio ob violatam turpibus factis morum honeſtatem inducta. OTTO.

(q) §. II. III. IV. Exiſtimatio ſecundum principia juſti in ſtatu naturali id tantum æſtimat & reſpicit in homine, quod ab eodem ad pacem externam confertur. Simplex ergo exiſtimatio in ſtatu naturali in eo conſiſtit, ut aliquis habeatur pro tali, qui nondum per malitioſum facinus ſciens volensque dolo malo pacem noſtram externam violavit. Perinde eſt, an habeat animum lædendi, nec ne? modo eumdem perverſitate actionum non manifeſtaverit, ſed quovis modo intra cancellos interni deſiderii continuerit. In ſtatu ergo naturali exiſtimatio ſimplex eſt, haberi non quidem pro bono, ſed pro non-malo, qui pacem externam nondum turbavit: qui enim ita ſe gerit, jus exinde ſibi adquiſivit ſe aliis hominibus æquiparandi & iisdem gaudendi juribus, quæ cuivis homini bonæ & ſimplicis exiſtimationis competunt, de quo nihil mali novimus. TREUER.

(r) *Dividitur illa*]. Diviſio hæc ex fundamentis ad §. *præc.* lit. (n) laudatis reſultat, nam uti hæc gradibus diſcernuntur, ita exiſtimationem quoque per gradus eſſe diſtinguendam, inde conſequitur. Quando autem Auctor ait, quod exiſtimatio poſſit vel intuitu ſtatus Naturalis, vel Civilis, expendi, tum hoc eſt intelligendum, vel de ſtatu naturali, qui inter diverſas Respublicas, aut diverſarum civitatum ſubditos occurrit, vel quatenus ille etiam in civitatibus adhuc ſupereſſe cenſetur, dum homines abſtrahendo a conditione Civili conſideramus, nam alio ſenſu inter homines ſtatus Naturalis non exiſtit. TITIUS.

§. III. Perperam Hobbeſius, omnes in ſtatu naturali viventes præſumit malos: nam quia probitas hominum *Externa* in omiſſione delictorum conſiſtit, merito ea etiam in Regibus præſumitur, donec contrarium per facta probetur. *Interna* autem hominis bonitas in quovis homine, natura corrupto, deſideratur. (2) Neſcio vero, cur Auctor de exiſtimatione ſimplici Summorum Imperantium inter ſe, qui jus naturæ non violarunt, & magis ſunt extra virtutes, quam in virtutibus, tam prolixe diſſerat; quum æqualis in æqualem cum effectu juris nullum habeat judicium, & regulæ prudentiæ ſatis moneant, quod caute ſit agendum cum illis, qui fidem fœderum & pacis, vel ſemel, nulla ſatisfactione læſis oblata, violarunt. (3) Is vero populus, cujus exiſtimatio per habitum peccandi eſt conſumta, pro hoſte haberi poteſt; quia quilibet vicinus facile præſumere debet,

Digitized by Google

te naturali in quo ſita? NATURALI LIBERTATE VIVUNT (*t*), in hoc potiſſimum conſiſtit, ut quis talem ſe ferat, & pro tali habeatur, quocum agi queat, tanquam cum viro bono, & qui cum aliis ad præſcriptum legis naturalis vivere ſit paratus.

J. N. & G. *l.* VIII. *c.* 4. §. 2.

IV. Manet integra, quamdiu abſtinetur a criminibus. Atque iſthæc INTEGRA (*v*) tamdiu habetur, quoad quis nondum per malitioſum aut enorme facinus ſciens volensque, dolo malo, legem naturæ adverſus alios violavit. Inde & naturaliter quilibet pro bono viro habetur, donec contrarium probetur.

J. N. & G. *l.* VIII. *c.* 4. §. 3.

V. Diminuitur facinoribus. (*x*) Eadem exiſtimatio (*y*) DIMINUITUR (*z*) per

illum eodem animo contra ſe fore, quo ſeſe geſſit contra alios. v.c. Algerienſes, Tripolitani & Tunitani, ſceleris cauſa ſociati. OTTO.

(*s*) *Exiſtimatio ſimplex*]. Hæc eſt *valor ex proba humanitate*, ſeu *legum obſervantia, ad communem mortalium modum facta, ortus*. eam conſequitur *bona fama*, add. *d. c.* 4. §. 2. TITIUS.

(*t*) *In naturali libertate vivunt*]. Confer. *Obſ.* in *Lib. I. Cap.* 9. §. 1. ubi *Exiſtimationem ſimplicem*, quatenus ea in Statu Naturali ſe exſerit, inter *Jura* cujusque Hominis *Naturalia* recenſuimus. CARMICH.

§. IV. (*v*) *Atque iſthæc integra*]. Juxta hanc exiſtimationem homines, qui leges obſervant, ſunt *æquales*, eademque tamdiu durat, quamdiu leges non enormiter violantur, cumque communis hominum probitas fere in omiſſione delictorum conſiſtat, hinc illa merito tamdiu præſumitur, donec horum ſuſceptio, quæ facti eſt, probetur, add. *d. c.* 4. §. 3. Aliquando ex indiciis parum idoneis delicta præſumuntur, aut etiam per mendacium ab hominibus malefeririatis aſſeruntur, inde oritur *ſiniſtra opinio*, cui ſoli tamen homines cordati nihil tribuere ſolent. *Simplici* iſti *exiſtimationi* reſpondet in aliis *obligatio perfecta*, qua eam agnoſcere ac per injuriam violare non debent. TITIUS.

(*x*) §. V. & VI. Exiſtimatio ſimplex amittitur non quovis vitio, ſed quavis injuria, quæ aliorum pacem externam turbat eosque lædit. Is ergo, qui impie, intemperanter, immodeſte vivit citra aliorum læſionem, vituperandus omnino eſt: at vero exiſtimationem ſimplicem in ſtatu naturali non amittit: hinc leno apud TERENTIUM *adelph. act.* 2. *ſc.* 1. *Leno ſum, fateor, pernicies communis adoleſcentium, perjurus, peſtis: tamen tibi a me nulla orta injuria.* Ceterum de gradibus infamiæ ſimplicis conf. THOMASIUM l.c. TREUER.

(*y*) *Eadem exiſtimatio*]. Quia proba humanitas exiſtimationis ſimpli-

per facinora enormia contra legem naturalem malitioſe patrata; quæ efficiunt, ut majore circumſpectione opus ſit, ſi quis cum tali agere velit. Ea tamen macula elui poteſt, præſtita ultro damni dati reparatione, & edito ſeriæ pœnitentiæ documento.

J. N. & G. *l.* VIII. *c.* 4. §. 4.

VI. Exſtinguitur ſcelerato vitæ genere.

CONSUMIT eamdem penitus vitæ genus & inſtitutum directe ſpectans ad aliis promiſcue nocendum, & rem ex manifeſtis aliorum injuriis faciendam. Cujus farinæ homines, quamdiu reſipiſcere nolunt, tanquam communes hoſtes poſſunt tractari ab omnibus, quos ipſorum malitia ullo modo poteſt tangere. Reparare tamen hi exiſtimationem poſſunt, ubi præſtita refuſione damni, aut obtenta condonatione, honeſtum vitæ genus, vitioſo ejurato ſubierint.

J. N. & G. *l.* VIII. *c.* 4. §. 5.

VII. Simplex in civitate quæ?

EXISTIMATIO SIMPLEX (*a*) INTRA CIVITATES DECEN-

plicis cauſa eſt, hinc neceſſario conſequitur, quod illa ceſſante, hæc quoque deficiat, qui defectus nomine *infamiæ naturalis*, vel *facti*, recte exprimitur; de cætero mera privatio eſt, ac emendato vitæ genere, evaneſcit, non ſecus ac redeunte ſole tenebræ diſſipantur, add. *d. c.* 4. § 4. 5. TITIUS.

(2) *Diminuitur*]. Hujus exiſtimationis defectus eſt *Infamiæ Naturalis*, ſive *Facti*, quæ vulgo dicitur. CARMICH.

§. VII. Exiſtimatio ſimplex in Civitate iisdem innititur fundamentis, quibus in ſtatu naturali; niſi quod ſimul ad leges civiles reſpiciendum ſit; qui enim contra has nihil commiſit, nec ſtatum iis improbatum elegit, integræ exiſtimationis eſſe cenſetur. (2) Sicut ergo probra quædam natura turpia ſunt, quædam civiliter & quaſi more civitatis *l.* 42. *D de V. S.* ita Cl. Thomaſius *d. Diſſ.* exiſtimationem Moralem & Politicam diſtinxit, aliamque in Monarchiis, aliam in Democratiis reperiri, exemplis probavit. Cl. etiam Beyerus *Thom. Exerc.* VII. *n.* 1. exiſtimationem naturalem cum valore monetæ interno, civilem cum externo, qui variat in ſingulis civitatibus, comparavit. (3) Quantum hac in parte inſtituta gentium diſcrepent, vel unus Nepos *in Præfat.* & in *Epaminond. c.* 2. monſtravit. Calliſtratus idcirco in *l.* 5. §. 1. *D. de Extr. cogn.* exiſti-

mati

gentium (*b*) eſt, qua quis juxta leges & mores civitatis pro vitioſo ejusdem membro non fuit declaratus, & aliquo *civium* numero eſſe intelligitur.

J. N. & G. *l.* viii. *c.* 4. §. 6.

VIII. Ea deficit, vel ex mero ſtatu.

Iſthæc in civitate (*c*) deficit, vel ex mero ſta-

mationem recte definit, quod ſit *dignitatis illæſæ ſtatus, legibus & moribus comprobatus.* Otto.

(*a*) *Exiſtimatio ſimplex*]. Adhuc in civitate exiſtimatio ſimplex ex proba humanitate oriri dicenda eſt, nam conditio civilis ad eam non requiritur, ſed illa ad intenſivam quid conferre poteſt. Titius.

(*b*) *Intra civitates degentium*]. Exiſtimatio ſimplex in civitate ſecundum principia juſti in eo conſiſtit, ut aliquis ſit non malus civis; nec leges moresque civiles deſtinato conſilio & enormi facto violaverit. Quum autem leges moresque civiles infinite varient; exinde clarum eſt, exiſtimationem illam civilem multis modis variare, ita ut, qui non malus civis in hac republica dicendus eſt, in altera ſæpe contemtiſſime habeatur ob diverſitatem ſtatus & legum civilium. Treuer.

§. VIII. Servi loco exiſtimationis pretium habebant, uti de rebus diximus, & Romæ brutis æquiparabantur: per ſe autem minime erant turpes, ſed magis commiſeratione digni. (2) Liberi autem homines, in hoc §. viles magis quam infames deſcribuntur, ut tamen vilitas ſuos habeat gradus: nam lenones & meretrices communis ſunt pernicies adoleſcentum, & gravi macula, nec tamen per ſe juris infamia, laborant, ſi in civitate tolerantur: vid. Terent. *Adelph. II. ſc* 1. Pollux *Onomaſt.* VI. *c.* 31. (3) Levis notæ macula laborant ſpurii, inceſtuoſi, & adulterini, ob infelicem nativitatem. vid. *Deuter.* XXIII. *vſ.* 2. *l.* 27. *C. de Inoffic. teſt.* & Theoph. Schol. ad §. 1. *J. Eodem.* (4) Ob ſordidum vitæ genus averſamur carnificem; qui Romæ extra portam habitabat; Athenis accola aggeris erat; apud Rhodios urbem intrare non audebat: licet enim juſtitiæ eſſet miniſter, nec faceret quicquam inhoneſti & vetiti, horror tamen vulgo ſic injiciendus erat, ut metus & odium ſuppliciorum augeretur. vid. Salmaſ. *de Uſur. c.* 18. & Rupertus *ad Pompon. l.* 2. §. 30. *D. de O. J.* Otto.

(*c*) *Iſthæc in civitate*]. Amiſſio exiſtimationis ſimplicis in civitate evidentius ſic repræſentari poſſe videtur: Amittitur illa vel ita, ut aliquis *ne quidem pro homine habeatur*, id quod accidit mancipiis, quæ loco exiſtimationis pretium habent, ac brutis comparantur, certo tamen modo: De cætero illa privatio nullam involvit turpitudinem, ſed commiſerationem potius ejusmodi homines merentur, imo ablationem illam regulis ſocialitatis non convenire, *c.* 4. §. 6. h. l. (*e*). *n.* 3. 4. exiſtimavimus: Vel ut *honeſtiorum hominum numero quis non cenſeatur*, id vero accidit, vel *ob ſordidum vitæ genus*, *aut infelicem nativitatem*, ut in ſpuriis, excoriatoribus ſimilibusque perſonis, qui defectus non male *levis notæ macula* dicitur, vel ob *delictum*, quod vel *toleratur*, ut delinquentes peculiarem quaſi ſtatum efficiant, ceu in quibusdam civitatibus circa lenones & meretrices contingit, vel *non to-*

le-

STATU, vel EX DELICTO (*d*). Prius contingit DUPLICI modo; vel ut ſtatus ille in ſe naturaliter nihil turpe habeat (*e*); vel ut cum vitio, aut ſaltem ejus opinione ſit conjunctus. Illud contingit in quibusdam civitatibus, ubi ſervi nullo numero ſunt. Hoc circa lenones, meretrices, & ſimiles obtinet; qui quamdiu publice tolerantur in civitate, communi quidem defenſione fruuntur honeſtorum tamen hominum conſortio excludendi. Quod idem contingit quibusdam circa fœda aut vilia licet naturaliter non vitioſa occupatis (*f*).

dict. §. 6.

Ex delicto autem (*g*) eadem plane deficit, quan- IX. Vel ex delicto, por

leratur, ubi in ſpecie ob delictum exiſtimatio amitti dicitur. TITIUS.

(*d*) *Ex delicto*]. Infamia ſimplex in civitate pendet a morum legumque civitatis violatione: quorum quum ingens ſit diverſitas; infamia, ut jamjam monui, diverſimode in rebuspublicis determinatur. Carnificis officium apud veteres Germanos a ſacerdotibus, apud Romanos a conſulibus, apud Ruſſos ab imperatoribus exercebatur: & nunc quoque pro diverſitate morum hinc & inde infamia vel minore, vel majore, vel nulla notari ſolet. De fœneratoribus & uſuris, liberis ſpuriis &c. idem obſervare licet: nec non de pœnis cum infamia conjunctis, quæ pro civitatum moribus mirum in modum differunt. TREUER.

(*e*) *Nihil turpe habeat*]. Ut propter ſtatum qui nihil habet moralis turpitudinis, Exiſtimatio ſimplex in civitate cuiquam deficere cenſeatur, inhumanum eſt, & a ratione alienum. CARMICH.

(*f*) *Occupatis*]. Viles in republica homines, in quorum ſtatu nihil vitioſi occurrit, non carent exiſtimatione ſimplici: tantum enim abeſt, ut ſint vitioſa civitatis membra, ut potius neceſſarii ſint, iisque ſuperſedere nequeat reſpublica. Manent cives non mali, licet viliſſima tractent; & jus habent poſtulandi ea omnia, quæ civi non malo in republica competunt & promiſſa ſunt. Fœdum quoque quid ſit, in civitate a determinatione civili pendet, non ab opinione vulgi: & in rebuspublicis hic multa reperitur diverſitas. ROMULUS artes omnes ſellularias interdixit Romanis, eos bellicoſos redditurus. DIONYSIUS *Halicarn. L.* II. & IX. De Ceylanenſibus vid. BEHRS *itin. p.* 86. *Wiewol ein Bauer viel hoeher bey ihnen, als ein Silber- und Gold-Arbeiter, geachtet wird. Sonſten findet ſich auch auf oftbelobter Inſul Ceilon ein überaus veraechtliches Volck, mit welchem auch zu reden faſt iedweder Scheu traeget; ſeynd die, ſo zu naſchen pflegen. Hingegen ſind Scharf-Richter bey ihnen in ſo hohen Aeſtim, daſs ſie ſich zu den fürnehmſten, ja ſelbſt zum Koenig nachern und mit ihm reden dürfen.* TREUER.

§. IX. Ex delictis, quæ non to-

notam infamiæ. quando quis juxta leges civiles ob certum delictum Infamia notatur (*h*); idque ut vel morte ſimul plectatur, & ſic memoria ejus notetur, vel ut civitate expellatur; vel ut in civitate retineatur, tanquam infame & putridum membrum.

J. N. & G. *l.* viii. *c.* 4. §. 7.

X. Naturalis honeſtas, Id autem manifeſtum eſt (*i*), exiſtimationem ſim-

lerantur, vera ſequitur infamia, eaque aliquando privat exiſtimatione mera, & *facti*, ſive naturalis infamia vocatur; quia multa virorum gravium, & bonorum judicio in Republica relinquenda ſunt *l.* 22. *D. l.* 13. *C. Ex quib. cauſ. inf. l.* 27. *C. de Inoff. teſt. l.* 2. *C de Dignit.* eoque quædam notæ Cenſorum pertinebant, Cicero *pro Cluentio c.* 42. 43. vid Freher. *de Exiſtimat.* III. *c.* 1. 22. *ſeqq.* & Hilliger. *ad Donell.* XVIII. *c.* 6. (2) Alia autem eſt macula *juris* poſitiva, quæ vel ipſo jure in delictis manifeſtis, vel prævia ſententia, in occultis & dubiis inuritur, nec vitæ emendatione elui poteſt. Atque in hac exiſtimationis pœna infligenda Romani fuerunt faciliores, quam populi hodierni; uti ex actione injuriarum, depoſiti, tutelæ &c. liquet. vid. Huber. *Eunom. ad l.* 1. *D. de His qui not.* Otto.

(*g*) *Ex delicto autem*]. Amiſſio exiſtimationis, quæ vel ob delictum, vel ſtatum ex delicto ortum accidit, *infamia* dicitur §. 9. *h.* De cætero vel notat *meram exiſtimationis privationem*, quæ emendato vitæ genere ceſſet vel *maculam poſitivam*, quæ vitæ emendatione elui nequeat. Illa vulgo dicitur *Infamia facti*, hæc *juris*, quæ uſitatum quidem, ſed abſurdum puniendi genus eſt, quatenus vivos afficit, cum delinquentes non emendet, ſed ad bene agendum ineptos efficiat, add. *d. c.* 4. §. 6. 7. Titius.

(*h*) *Infamia notatur*]. Hæc dicitur *Infamia Juris.* Carmich.

§. X. Delictum contra leges naturales & civiles commiſſum unice operatur infamiæ ſtigma, quod nulli ſine gravi cauſa ab Imperante inuri poteſt, quia tanta poteſtas ei non eſt conceſſa; nec fieri poteſt, ut ſine ſcelere aliquis ſceleſtus evadat. *Quanta dementia eſt vereri, ne infameris ab infamibus?* ait Seneca *Epiſt.* 92. (2) Externa autem integræ famæ emolumenta aliquando iis, qui non peccarunt, ut liberis reorum majeſtatis, ob Reipublicæ utilitatem negantur; aliquando etiam inſonti, per errorem aut tyrannidem virgis cæſo, vel in exilium acto, adimuntur, ut tamen ictus fuſtium infamiam non importet, ſed cauſa, propter quam id pati meruit, & probata innocentia ceſſet effectus. vid. *l.* 22. *D. de His qui not.* (3) Qui ad duellum provocatus non prodit; vel in ludo perditum non ſolvit; aut injuria laceſſitus gladio ſe non defendit; quique injuſte quæſtioni ſubjectus, haud eſt infamis. Otto.

(*i*) *Id autem manifeſtum eſt*]. Ad veram igitur infamiam requiritur delictum, hinc ſequitur, (1) Infamem non fieri, qui injuriam inultam relinquit *d. c.* 4. §. 8. (2) Imperantem pro lubitu exiſtimationem ſimplicem ſubdito auferre non poſſe, non tantum quod illa poteſtas ei non ſit conceſſa,

cen

ſimplicem, ſeu NATURALEM HONESTATEM, NON POSSE ALICUI ERIPI EX MERO ARBITRIO ſummorum Imperantium. Cum id nullo modo ad utilitatem civitatis facere, adeoque in ipſos nullo modo collatum intelligi poſſit. Sicuti nec vera infamia (*k*) videtur contrahi poſſe, dum quis jus civitatis per modum nudi miniſtri exſequitur (*l*).

arbitrio Imperantis non ſubeſt.

J. N. & G. *l.* VIII. *c.* 4. §. 8, 9.

EXISTIMATIO INTENSIVA eſt (*m*), ſecundum quam

XI. Exiſtimatio intenſiva.

ceu Auctor *h.* præcipit, add. *d. c.* 4. §. 9. ſed & quod ei concedi non poſſit, nam, ſine ſcelere ſceleſtum eſſe contradictionem involvit, per tyrannidem tamen inſons emolumentis externis exiſtimationis ſimplicis privari poteſt. TITIUS.

(*k*) *Sicuti nec vera infamia*]. Sic etiam docetur *d. c.* 4. §. 10. ſed verius eſt, quod miniſter turpe Imperantis mandatum exſequens omnino apud cordatas gentes Infamiæ notam incurrat. Auctoris ſententia videtur ex falſa hypotheſi, quaſi executio plane ad executorem non pertineat, dependere, quam rejeci ad *c.* 12. §. 9 lit. (*z*). & lit. (*c*). IDEM.

(*l*) *Exſequitur*]. Vide quæ notavimus ſupra ad *cap.* 12. §. *ult.* CARMICH.

Quum homines non ſint inſtrumenta malitiæ mortua ſenſuque deſtituta, ſed ratione polleant ad ponderanda negotia ſibi exſequenda; omnino in miniſtros malitiæ nota infamiæ redundabit, ſi ea ad oculum pateat, & ſcienter ac volenter ſuſcipiatur. Conf. quæ ad *cap.* 12. §. 9 dicta ſunt. TREUER.

§ XI. Exiſtimatio *intenſiva* intendit & auget exiſtimationem ſimplicem; & eſt valor perſonarum propter præſtantiam vel dignitatem competens, vi cujus unus alteri præferri debet. (2) Titius eam diſtinguit in *abſolutam*, quæ abſtrahendo à ſtatu naturali vel civili in virtutis agnitione conſiſtat: & *hypotheticam*, ſeu civilem, ex pacto vel lege, quæ reſpiciat ſtatum naturalem vel civilem, & externos in vita civili effectus producat. Sed vid. Cl. Carmichaël. *h.* §. (3) Nemo præter Quakeros, dubitaverit, honores inæquales à Rectoribus civitatum inſtitui poſſe & debere, eosque a contemtu vindicari poſſe: licet homines vere virtuoſi de honore ſibi exhibendo non valde ſint ſoliciti, cum ille ultro virtutem, velut umbra corpus, comitetur. Plin. IX. *Epiſt.* 5 *Diſcrimina ordinum dignitatumque ſi confuſa, turbata, permiſta ſint, nihil eſt ipſa æqualitate inæqualius.* OTTO.

(*m*) *Exiſtimatio intenſiva eſt*]. Hæc definitio, *d. c.* 4. §. 11. etiam relata, definitum non ſatis explicat; nam exiſtimatio intenſiva non ſemper facit homines inæquales, nec ejusmodi fundamenta præſupponit, quæ ad exhibendum honorem alios permovere propria virtute poſſint aut debeant. Ego arbitror, duplicem exiſtimationem intenſivam eſſe aſſerendam, *abſolutam*, quæ inter homi-

Digitized by Google

ſiva, itemque honor. quam perſonæ, alias, quoad exiſtimationem ſimplicem, æquales, ſibi invicem præferuntur, prout uni præ altero inſunt, queis aliorum animi ad exhibendum honorem permoveri ſolent (*n*). Eſt autem HONOR (*o*) proprie ſignificatio judicii noſtri de alterius præſtantia.

J. N. & G. *l.* VIII. *c.* 4. §. 11.

Hæc

mines ſine ſocietatis Civilis conſideratione obtinet, & *hypotheticam*, quæ ſocietates Civiles conſequitur, adeoque ex hypotheſi illarum introductarum locum invenit. De utraque deſtincte agendum erit; illa eſt *valor ex præſtantia, legibus attemperata, ſeu ſublimiori virtutis exercitio, ortus.* TITIUS.

Intenſiva dicitur, quia intendit valorem ſimplicem, quo mediante aliquis ceteris æqualis eſſe iisdemque juribus frui intelligitur: per hanc autem reliquis hominibus redditur quodammodo inæqualis, dum jus habet ſe iis præferendi. TREUER.

(*n*) *Permoveri ſolent*]. Sollicite hic inculcat *Titius*, duplicem diſtingui debere Exiſtimationem intenſivam; aliam ſc. eſſe *Abſolutam*, ſive *Ethicam*, quæ conſiſtit in vera præſtantia legibus vel attemperata vel attemperanda, quæque ſincerum honoris affectum vendicat; aliam eſſe *Hypotheticam*, ſeu *Civilem*, quæ ex pacto vel lege orta, externos tantum in vita civili effectus producit. Hæc quidem duo eſſe diverſa, nec pari ſemper paſſu procedere, nemo ignorat: nec tamen civilis exiſtimationis abuſus, eouſque cum originario ejus uſu & ſcopo eſt confundendus, ut eam cum vera præſtantia nihil commune habere quisquam putare debeat. Nobis ita videtur habendum. Naturale eſt, ut præ cæteris pluris habeantur, & majoribus inſigniantur honoribus, qui ad humanæ Societatis commoda & ornamenta promovenda plus cenſentur conferre: de hac vero prærogativa applicanda, & externis Honoris inſignibus juxta eam diſpenſandis, ſi ex ipſa re judicium eſſet ferendum, fieri vix poſſet, quin Homines inter ſe diſſentirent; atque ex iſto diſſenſu graviora mala, Hominumque Societatem magis perturbatura, pullularent, quam ex omni ejusmodi prælatione prorſus neglecta: iſtis itaque vitandis eſt moribus introductum, ſæpe etiam inter Concives legibus, inter extraneos pactis firmatum, ut ea res, quatenus ad externos quosdam in vita humana effectus pertinet, per externa & in ſenſus incurrentia criteria definiatur: qua ratione factam diſcretionem non ad amuſſim cum rei veritate congruere nemo mirabitur, qui rerum humanarum indolem non penitus ignorat: quod vero adeo in immenſum a vero abeat, inſigni mortalium pravitati & corruptelæ eſt tribuendum; cujus tamen hac in parte effectus oportet tolerari, quatenus citra graviora incommoda corrigi non poſſunt. CARMICH.

(*o*) *Eſt autem honor*]. Honor vel accipitur pro ipſa *exiſtimatione*, quo ſenſu eſt in honorato, vel pro *exiſtimationis agnitione*, tum exiſtit in honorante. De cætero in eodem explicando non conſentiunt: vid. *ſupr. l.* 1. *c.* 4. §. 6. Hobbeſ. *de Civ. c.* 15. §. 9. Breviter dici poteſt, *honorem* eſſe *utriusque exiſtimationis intenſivæ*,

ab-

Hæc exiſtimatio (*p*) intenſiva conſiderari poteſt, vel INTER EOS, QUI IN NATURALI VIVUNT LIBERTATE, vel INTER CIVES EJUSDEM REIPUBLICÆ. Deinde expendenda ſunt (*q*) ejusdem FUNDAMENTA, & quidem prout producunt, vel APTITUDINEM duntaxat ad honorem, ab aliis exſpectandum, vel JUS STRICTE DICTUM, quo idem ab aliis tanquam debitus poſtulari queat. XII. Varia ad ejus intelligentiam notanda.

dict. §. II.

FUNDAMENTA INTENSIVÆ (*r*) EXISTIMATIONIS in genere cenſentur omnia illa, quæ inſignem perfectionem & præſtantiam habent, aut eandem judicantur arguere, & quidem talem, cujus effectus cum fine legis naturalis aut civitatum congruit. Uti XIII. Fundamenta intenſivæ exiſtimationis quæ?

abſolutæ & hypothetica agnitionem. Definitio Auctoris ad exiſtimationem abſolutam referenda eſt, nam in genere honor alterius præſtantiam non præſupponit: add. *l.* VIII. *c.* 4. §. 11. 13. Quod ſi honor late ſpargatur, nomen *gloriæ* aſſumit. TITIUS.

§. XII. (*p*) *Hæc exiſtimatio*]. Tota ſequens doctrina juxta diſtinctionem exiſtimationis, modo datam, nobis interpolanda videtur. Quæ igitur hic Auctor docet, ea ſic mutanda eſſe cenſeo: Primo conſideranda eſt exiſtimatio *abſoluta*, quæ a ſtatu Naturali & Civili abſtrahitur, in utroque tamen occurrere poteſt: Deinde *hypothetica*, idque vel ratione ſtatus *Naturalis*, vel *Civilis*. IDEM.

(*q*) *Deinde expendenda ſunt*]. Non recte fundamenta ratione unius exiſtimationis conjungun tur, cum experientia doceat, ſine illis, conjunctim ſumtis, ſæpe hanc adeſſe, hinc potius dicendum, quod alia ſint fundamenta exiſtimationis *abſolutæ*, alia *hypotheticæ*, quæ adeo diſtincte conſiderari mereantur. IDEM.

§. XIII. Præſtantia illa non omnis eodem loco eſt habenda: alia enim *vera* eſt, alia *falſa*, alia *indifferens*. Veræ exempla locat Auctor in exercitio virtutum moralium & dotibus ingenii; ſi ad bonum finem, id eſt, ad juvandam ſocietatem generis humani & Rempublicam adhibeantur. (2) *Falſa* cernitur in ſtrenuis potatoribus, ſaccularis &c. qui inter ſuos tantum laudem habent. (3) *Indifferens* in bonis corporis & fortunæ, v. c. in pulchritudine, juventute, ſenecta viridi, nobilitate, vel divitiis conſiſtit, quæ malorum æque ac bonorum inſtrumenta eſſe poſſunt. OTTO.

(*r*) *Fundamenta intenſivæ*]. Hæc doctrina tantum ad exiſtimationem abſolutam pertinet: Hujus ſcilicet fundamentum in genere eſt *animi vel corporis præſtantia, legibus vel attemperata, vel attemperanda.* Sola præſtantia in ſe ſpectata indifferens eſt, ſi malo fine adhibeatur, non laudem, ſed vituperium meretur, add. *d. c.* 4. §. 12. TITIUS.

Digitized by Google

Uti ſunt perſpicacia mentis (*s*), & capacitas varias ſcientias & artes addiſcendi, acre judicium in rebus gerendis, animus firmus & per externa inconcuſſus, illecebriſque ac terroribus ſuperior, eloquentia, forma & dexteritas corporis, bona fortunæ (*t*), & in primis res egregie geſtæ.

J. N. & G. *l.* VIII. *c.* 4. §. 12.

XIV. Jus imperfectum

Hæc tamen omnia (*v*) non producunt, NISI JUS

(*s*) *Perſpicacia mentis*]. Non eodem loco ſunt habendæ omnes, quæ hic recenſentur qualitates: aliæ ſc. per ſe ſunt laudis materia; ut *Virtutes morales*, earumque exercitium: aliæ Hominem commendant, quatenus aut non citra laudabilem induſtriam acquiruntur, aut certe eum, cui inſunt, ad bene agendum reddunt aptiorem; quo pertinent *Dotes intellectuales*: aliæ denique non aliam Homini dignationem tribuunt, quam quod Humanæ Societatis commoda efficacius promovendi media vel occaſiones ſuppeditent; quo in genere ponimus *Corporis & Fortunæ Bona*. Atque ex his patet, quæ qualitates ad ſincerum honoris affectum apud cordatos excitandum maxime valeant: in externis vero ejus indiciis diſpenſandis, eorum quæ in ſenſus incurrunt, & præcipue bonorum fortunæ, major fere ratio ſolet haberi; neque hoc vi pactorum duntaxat ac legum, ex quibus ad iſta indicia jus perfectum naſcitur, ut *ſeq.* §. dicitur, ſed & prævalentium morum, quibus ſæpe fundatur jus qualecunque imperfectum, quod citra ruſticitatis notam negligi vix poteſt, ſive inter Concives, ſive inter eos, qui in libertate invicem naturali degunt. CARMICH.

(*t*) *Bona fortunæ*]. Hic bene diſtinguendum inter veram ſolidamque exiſtimationem intenſivam, & inter falſam & adparentem. Bona animi & corporis, quorum hic fit mentio, tantum abeſt, ut per ſe intendant exiſtimationem, ut potius infamiæ fundamenta fieri poſſint, ſi in malum finem adplicentur: ſunt enim in ſe indifferentia, & eorum rectus uſus juſtaque adplicatio, i. e. virtus demum exiſtimationem adauget. In ſtatu naturali itaque intenditur fama, quando virtutibus, quas jure imperfecto debemus, bonitatem animi declaramus, &, quum hactenus pro non malis habiti fuerimus, nunc pro re vera & ipſo actu bonis habemur. Quando itaque aliorum commoda vel indirecte, vel directe promovemus, humanitatis officia generalia præſtamus, cum noſtro etiam incommodo alteri inſervimus, immo in ejus gratiam graviſſimas moleſtias, vitæ quoque pericula non detrectamus; videre licet, quomodo variis gradibus exiſtimationi augmenta addi poſſint. TREUER.

§. XIV. Ex dotibus animi vel corporis moralis exiſtimatio & aptitudo intenditur, quia quicquid excellit, naturaliter juſtam habet venerationem: non tamen illæ pariunt jus ad perfectum honorem; quia alii eadem vel majora fundamenta urgere poſſunt, & recte facti merces eſt, feciſſe. Omnis etiam agnitio exiſtimationis voluntaria eſſe debet, nec cogi poteſt. Denique virtutis omnis præmium in ipſa eſt, eaque, non indiga laudis divitiiſque ſuis contenta, ſtudet humilitati, uti Claudianus de

Digitized by Google

JUS IMPERFECTUM, ſeu aptitudinem ad habendum ab aliis honorem & venerationem. Unde ſi quis eundem aliis, etiam bene meritis, denegaverit, non injuriam facit, ſed duntaxat ob inhumanitatem & velut incivilitatem male audit (*x*). Sed JUS PERFECTUM (*y*) ad habendum ab altero honorem, aut ejus

& perfectum ad honorem.

de Conſul. Mallii Theodori pr. cecinit. (2) Jus vero perfectum oritur nunc ex *imperio*, quod quis in ſubditos, cives aut milites exercet; nunc ex *pacto* familiæ, ut Senior in domo Anhaltina: nunc ex *lege*, quæ Magiſtratibus majoribus, Collegiis & eorum membris prærogativam largitur. v. Jac. Gothofred. *de Jure præced.* OTTO.

(*v*) *Hæc tamen omnia*]. Ex fundamentis antea laudatis oritur quidem exiſtimatio intenſiva, ſed nulla præ aliis prærogativa aut præcedentia, quod tamen *h.* doceri videtur. Nam (1) alii ſimilia fundamenta opponere, atque ita æqualitatem urgere poſſunt, vid. *d. c.* 4. §. 14. (2) Ea, quibus aliis præſtamus, ſæpe a noſtra voluntate non dependent, aut ſi inde dependeant alii quoque ea efficere poſſunt, (3) vera virtus, quæ hujus exiſtimationis unicum eſt fundamentum, infirmitatis humanæ ſemper eſt memor, humilitati ſtudet, nec ob lubricam ejusmodi præſtantiam extolli cupit.

2. Nihil amplius igitur hæc exiſtimatio tribuit, quam jus ad *ſimplicem ejus agnitionem*, quæ honoris & gloriæ nomine recte etiam venit, ceu ſupra §. 11. lit. (*o*). innui. Sive autem illud jus perfectum, ſive imperfectum dicere velis, hactenus nihil refert, nam natura objecti coactionem aliquam excludit, ac omnis illa exiſtimationis noſtræ agnitio debet eſſe voluntaria, ac ex ſincero affectu proficiſci, nam exiſtimatio ex vera oritur virtute, quod hic ſupponimus, ergo non alium quoque quam verum honorem deſiderat, hujus autem fundamentum cum ſit affectus internus, quem dirigere non eſt penes alios; hinc liquet, coactionem aliaque ejus generis media eliciendo honori non recte adhiberi.

3. Ex quibus etiam patet, homines vere virtuoſos de honore vel gloria conſequenda, ſeorſim & ſpecialiter non debere eſſe ſollicitos. Recte agendum eſt; ſi gloria ſequatur, bene eſt, ſi non, defectum illum æquo animo ferre oportet. Quod igitur *ingenia maxime vivida & erecta amore gloriæ duci* a nonnullis exiſtimentur, (vid. *Op. Maj. l. II. c* 4. §. 9) id eatenus admittendum videtur, quatenus iis multum ſtultitiæ & ſuperbiæ humanæ adhærere ſolet. Qui igitur laude propria, emendicatisque vel coëmtis ſuffragiis, aut captata aura populari, ad gloriàm contendunt, illi vel ſolido gloriandi fundamento deſtituuntur, vel in modo ambiendi aliquid humani patiuntur. TITIUS.

(*x*) *Male audit*]. Idcirco nemo cogi poteſt; nemo bello peti, ut officia humanitatis præſtet, honoremque virtuti debitum ſignificet: nam (1) honor alterius ex amore virtutis & perfectionis profluit, ad quem nemo cogi poteſt: (2) virtus ipſa id non poſcere videtur: honoris enim non eſt cupida, ſed modeſta: (3) virtutibus iis, quæ nonnullis inſunt, æqualitas naturalis hominum iure perfecto non tollitur: (4) multi quoque dantur, qui in ipſis illis virtutibus æqualitatem urgere poſſunt. Vid. TIT. *ad h. l.* THOMAS. *diſſ. cit.* §. 62. TREUER.

(*y*) *Sed jus perfectum*]. Hæc

cum

ejus inſignia provenit, vel ex imperio, quod quis in iſtum obtinet; vel ex pacto cum eodem ea ſuper re inito; vel ex lege per communem dominum lata autem approbata.

J. N. & G. *l.* VIII. *c.* 4. §. 13, 14.

XV. Jus ad precedentiam inter Principes unde?

Inter Principes autem (z) & integros populos pro eminentia & Præcedentia ſolet allegari potiſſimum antiquitas regni & familiæ; amplitudo &

cum præcedentibus non recte conjunguntur, nova potius nunc incipit tractatio. Hactenus ſcilicet de exiſtimatione *abſoluta*, quam etiam *virtutis*, vel *ethicam* non male dixeris, actum eſt, nunc de *hypothetica*, quæ etiam *Civilis* vel *Politica* dici poteſt, videndum. Nimirum ex hypotheſi ſocietatum Civilium introductarum neceſſario aliqua inæqualitas inter homines fuit introducenda, hinc exorta eſt memorata exiſtimatio, quæ nihil aliud eſt, quam *valor ex Imperio conventione ſpeciali aut legis diſpoſitione ortus, juxta quem homines in converſatione Civili, quoad actus externos, æquales aut inæquales habentur.*

2. Debebat quidem exiſtimatio illa per media indicata juxta exiſtimationem virtutis, quantum fieri poteſt, id eſt, probis & bene meritis vel mereri aptis (non optimis & maxime meritis, hoc enim factu eſt impoſſibile) tribui, ſed id adeo non obſervatur, ut ſæpe peſſimi, ac cordatorum judicio infames homines ſumma gaudeant dignitate, hinc nimis ſimplex fuerit, ſi quis fundamenta, §. 13. laudata quoad exiſtimationem Politicam, ad quam tamen Auctor vel unice, vel principaliter reſpexit, ſemper adeſſe exiſtimare velit. Titius.

§. XV. Omnes in ſtatu naturali ſunt æquales, niſi pactum expresſum vel tacitum uni præ altero ſuffragetur. Hinc Reges ſe invicem *fratres* appellarunt olim, & nunc appellant, licet non ſint conſanguinei I. *Reg.* XX. *vſ.* 31. Ammian. Marcellin. XVII. *c.* 5. ibique Valeſius *in notis*, ut & Mabillon II. *de re dipl. c.* 2. *n.* 15. (2) Male Hobbeſius in *Leviath. c.* 20. potentiam nocendi perfectum venditat fundamentum præcedentiæ, cui etiam Furſtenerius *Suprematum*, & Lynckerus *Potentatum* ſuperſtruxere. Sane in praxi multum momenti habet multitudo legionum, quæ etiam ſuadet, ut honos potenti exhibeatur: minime vero eſt juſta cauſa honorem poſtulandi; quia potentia terrorem injicit, terror odium generat, & ab aliis ſæpe idem, ab aliis major, a Diabolo maximus injici poteſt: affectibus vero internis aliorum Principum movendis non eſt idoneus. (3) Quid de antiquitate regni vel familiæ, de ſplendore titulorum & modo regnum habendi dicendum ſit, Auctor *Op. maj.* VIII. *c.* 4. §. 15. Jac. Gothofr. *de Jure præced.* & Zwantzig in *Theatr. præced.* excuſſerunt. Otto.

(z) *Inter Principes autem*]. Inter Principes liberasque gentes exiſtimatio Politica a conventione, vel expreſſa vel tacita, dependet. Ab hac ſi abieris, cætera omnia inania ſunt, magnamque gentium, a quibus illa allegantur, non retorquentur, ſuperbiam & corruptionem arguunt §. 15. *h.* add,

& opulentia ditionum, & potentia; qualitas poteſtatis, qua quis imperium in ſuo regno obtinet, & ſplendor tituli. Quæ tamen omnia per ſe non pariunt jus perfectum ad præcedentiam adverſus alios Reges populosve, niſi pacto aut conceſſione (*a*) horum iſtud quæſitum fuerit.

J. N. & G. *l.* VIII. *c.* 4. §. 15–22.

XVI. Gradus dignitatis civilis deſi-

INTER CIVES autem (*b*) GRADUS DIGNITATIS DESIGNARE SUMMI IMPERANTIS eſt (*c*); qui tamen heic

add. *d. c.* 4. §. 15. 16. 17. 18. 19. 20. 21. 22. TITIUS.

(*a*) *Aut conceſſione*]. Sive conceſſio ea fuerit tacita, ſive expreſſa. vid. ZENTGRAV. *de orig. jur. gent. art.* 3. §. 10. *p.* 159, *ſeqq.* CÆSARINUS FURSTENERIUS ſive LEIBNIZIUS ὁ πάνυ *de jure ſuprematus*, principum dignitatem, ſuprematum & jura ex ſola amplitudine territorii & potentiæ, quando exercitus educi & non niſi bello coërceri poſſunt, æſtimat; ſed id magis ex communi uſu & praxi rerumpublicarum, quam ex juris doctrina deduxiſſe videtur. Id quoque hic notandum, non eſſe in regum & potentiſſimorum principum poteſtate, ut tamen vulgo credi ſolet, aliquo pacto pro lubitu concedere principi cuidam honores atque prærogativas, & alteri pari jure utenti negare: licet enim princeps aliquis non jus habeat perfectum honores petendi; nullo tamen quoque jure tenetur inæqualitatem publicam pati: id, quod pluribus FURSTENERIUS *l. c. c.* 34. *p.* 155. evincit. Momenta, quæ ad prærogativam principum adduci ſolent, expendit uberius STIEVEN *Europaeiſches Hof-Ceremoniel Lipſ.* 1715. 8. *ed. p. V.* Conf. JAYSII *diſſ. ſub præſidio celeb.* COCCEJI *hab. A.* 1700. recuſam de præcedentia. Exempla fuſa exhibet ZWANTZIG *theat. præced.* 1709. *Lipſ.* *2da vic. ed. in fol.* TREUER.

§. XVI. In civitate Imperantis exiſtimatio eſt tanta, quantam Reſpublica ei dedit, vel ipſe, pro abſoluto, quod habet, imperio, ut paterfamilias domeſticis ſuis præſcripſit. (2) Subditorum autem dignitas a lege, pacto, & voluntate Imperantis pendet, qui quidem bene meritis tantum & probis exiſtimationem intendere debebat, ſed quidam inſignia virtutis aliquando ſine virtute conſequuntur. Fato Metelli Romæ fiunt Conſules. OTTO.

(*b*) *Inter cives autem*]. Id civitatibus exiſtimatio oritur ab *Imperio*, vel pactitio vel naturali, vid. *d. c.* 4. §. 15. 23. ut & quoad ſubditos *Lege Civili*, dum Imperans, vel dato munere vel ſeorſim, dignitatem, vel perſonalem vel transmiſſibilem, ſubditis tribuit, quod late Auctor perſequitur *d. c.* 4. §. 23. *ſeqq.* Denique etiam a *pacto*, nam ſubditos inter ſe de exiſtimatione, quatenus eſt privati arbitrii, paciſci poſſe indubium eſt. TITIUS.

(*c*) *Imperantis eſt*]. Exiſtimatio intentiva in civitate plerumque a voluntate & paſſionibus imperantium dependet, & ſæpe exinde promanat, quando ea peregimus, quæ imperantibus grata fuerunt & accepta. Multum quoque hic confert conſuetudo in civitate

gnardi a ſummo Imperante.

heic recte cujusque præſtantiam, & ad conferenda in Rempublicam merita aptitudinem reſpicit. Quem autem iſte (*d*) civi dignitatis gradum aſſignaverit, eum

recepta: quæ quum itidem falſis communiter principiis innitatur, & rationi parum conveniat; colligere licet, exiſtimationis intenſivæ fundamentum in republica non omnino quidem, ſed maximam partem eſſe opinionem hominum. Verum tamen ejus fundamentum in eo poſitum eſt, quando quis de republica bene meretur: dignus ergo, qui ceteris præferatur. Treuer.

(*d*) *Quem autem iſte*]. Acquiſitæ dignitati reſpondet *honor*, quem alii ſignis, inter gentes receptis, (vid. *d. c.* 4. §. 13.) exhibere tenentur, hinc dignitas ab aliorum contemtu recte vindicatur, ac exhibitio honoris, modo faſtus abſit, urgetur. Id in primis obſervandum, exiſtimationi Politicæ non reſpondere honorem ſincerum, ex ſerio amoris & venerationis affectu profectum (qualem circa ethicam exegimus, ſupra § 14. lit. (*v*).) cum enim ipſa exiſtimatio virtute & meritis præciſe non nitatur, hinc ſatis eſt, ſi illa honore externo, coacto, frigido & tantum non mortuo excipiatur, quamobrem etiam de hujus generis honore litigari poteſt, id quod in primis certamina gentium, quibus ſæpe de inani titulo vel ceremonia, & cujus præſtatio irriſionis magis, quam honoris rationem habet, acriter contenditur, oſtendunt.

2. Quod ſi de exiſtimatione Politica judicium ferendum ſit, tum ex dictis quidem ſatis conſtat, quod a ſocietatibus humanis illa penitus abeſſe non poſſit, circa eam tamen majores partes habere ſtultitiam & malitiam, quam probitatem & prudentiam, non minus certum videtur. Debebat illa hominibus *probis & cordatis* per *legitima media* tribui, ac obtenta ad *utilitatem proximi* adhiberi. Sed quid notius eſt, quam quod illa ſine ulla meritorum aut probitatis conſideratione, hominibus ineptis & improbis, imo ſcelerum manifeſtis reis tribuatur? Diſpenſatio dignitatis provido conſilio haud peragitur, ſed per largitiones ac impoſturas honores obtinentur. Denique, quod graviſſimum eſt, acquiſita dignitas non ad utilitatem proximi adhibetur, ſed tota fere in vanitatem & ſtultitiam effunditur, jam enim ſuperbia in immenſum ſe inflat, ac in titulis, ceremoniis aliisque ejus generis inanibus commentis introducendis, nullum ſervat modum, adeo ut ineptiarum illarum dudum aliqua exſtiterit diſciplina; jam dignitas non alio fine introducta cenſetur, quam ut otio, luxui, gulæ & libidini ſervire, quicquid moderatum probumque eſt, velut indecens, averſari, ferociæ indulgere, alios proterve ac impune inſultare, propriæque libidini obnoxios habere, ac horum omnium vanitatem & improbitatem, compendiario acquiſitæ dignitatis titulo, deinde tegere queas, ut concludendum videatur, exiſtimationem Politicam eſſe maximam partem injuſtæ tyrannidis fœtum, ac graviter vulneratæ, imo oppreſſæ, ſocialitatis argumentum.

3. Quid ergo homini probo & prudenti in iſta corruptione faciendum? Videtur ipſum neceſſitas excuſare, ſi aliquando dignitatem, ſine non adeo bono introductam, etiam mediis regulariter non probandis ambiat, quatenus ſcilicet ſtationem ſuam alias vix tueri, ac animi dotes explicare ei licet. Dignitate vero obtenta prudenter & juſte utetur, procul omni vanitate, faſtu & malitia, imo ex perſona aliorum etiam ea, quæ levitatem vanitatemque redolent, tueri poterit & debebit, cum ei iſta mutare integrum non ſit.

Digitized by Google

eum recte hic contra concives ſuos tuetur, nec minus eodem ipſe adquieſcere debet (*e*).

J. N. & G. *l.* viii. *c.* 4. §. 23—32.

ſit. Sed quis heic accurate ſervabit modum, ac malitia & ſtultitia triumphantibus, ab iſta labe ſibi penitus cavebit. Titius.

(*e*) *Adquieſcere debet*]. Rariſſime tamen adquieſcunt, partim quia nemo dignitati ſuæ & exiſtimationi de ſe ipſo aliquid derogari patitur; partim quia nemo jure ſuo, quod alias obtinuit, cedere vult; partim quia plurium ſæpe intereſt, quibus præjudicare nolumus; partim quia variis adfectibus & privatis vel amicitiis, vel inimicitiis in illa determinatione præcedentiæ locus relinquitur, & imperantium genius vel inclinatio ſingularis, vel ſuperſtitio hic utramque facit paginam, ita ut modo quæſtoribus, modo militibus, modo ſacerdotibus, modo eruditis prærogativa ſoleat concedi. Illud itaque negotium pertinet ad vitia civium, quibus civitas impar. vid. Rechenberg *p. I. diſſ.* 6. *p* 145. & *p. II. diſſ.* 3. *p.* 59. Principes ergo huic malo medelam adlaturi uſi ſunt partim *alternationis* medio, partim ſortis remedio, partim honorum diviſione, partim injunctione abſentiæ: ſed malum gravius eſſe ſolet omni remedio. Treuer.

Caput XV.

De Poteſtate ſummi Imperii in Bona Civitate contenta.

Summaria.

I. *Jus Imperantis* 1. *in bona civium triplex:*
II. (α) *Leges ferendi de eorum uſu,*
III. (β) *Tributa eis imponendi,*
IV. (γ) *Dominium eminens.*
V. 2. *In Fiſcum & ærarium.*
VI. 3. *In Rempublicam alienandam.*

Add. Grot. *de* J. B. & P. *l.* I. *c.* I. §. 6. *l.* II. *c.* 14. §. 7. *l.* III. *c.* I. §. 15. *c.* 19. §. 7.

I. Jus Imperantis in bona civium triplex.

Quemadmodum ubi Bona (*f*) abs Summis Imperantibus in cives profecta ſunt, in iſtorum arbitrio eſt (*g*), quid hi in ea juris obtineant: ita in ea bona (*h*), quæ cives propria ſibi

§. I. Jus in bona civium oritur ex Dominio, vel ex Imperio. Dominium bonorum, quæ a ſubditis poſſidentur, regulariter non eſt Reipublicæ; niſi victor agros in ſubditos, vi ſubactos, vel in novos colonos reſervata ſibi proprietate more Romanorum in provinciis diſtribuerit; vel ſubditi agros ſuos Imperanti obtulerint, uti Ægyptii tempore famis, *Geneſ.* XLVII. *vſ.* 13 *ſeqq.* vel in herilibus Rebuspublicis Aſiaticis & Africanis, in regno Magni Mogolis, Siamenſi, & Imperio Habeſſiniorum; uti Auctor *Op. maj.* VIII, *c.* 5. §. 1. ibique Hertius, multis teſtimoniis firmarunt. (2) In civilibus autem Rebuspublicis rarius eſt, quod Hobbeſius *de Cive c.* VI. §. 15. nimis large Monarchiis tribuit, ut bona ſubjectorum peculii profectitii naturam referant: quia dominia privata ſegregum familiarum antiquiora ſunt civitate, neque coeuntes juri ſuo renunciaſſe eſt veriſimile. Dominium ergo rerum ad ſingulos, poteſtas & imperium ad Principes pertinet, ut Seneca ait VII. *de Beneſ. c.* 4. (3) Ita quoque accipi debet, quod Theophilus in §. 7. *Inſt. de Jure nat.* ſcripſit: Principem, non modo

ſibi induſtria, aut alio modo modo plene quæſiverunt, TRIPLEX potiſſimum Jus, ex indole civitatum

do fortunarum noſtrarum, ſed etiam corporum noſtrorum dominum eſſe; quaſi diceret, ſi Principi ex unione virium jus competit in civium vitam, ſi id urgeat neceſſitas, quanto magis in eorum bona. Ambroſius *Epiſt.* 14. *Imperatorem jure ſuo uti, quod in poteſtate ejus eſſent omnia.* Iſocrates ad Nicoclem: *Bona omnia urbem inhabitantium ad Reges pertinent bene imperantes.* (4) Ne quidem in magna illa gentium migratione, ubi multitudo quædam, ſub auſpiciis ducis ſui magnos terrarum tractus occupavit, dici poteſt, dominium agrorum mox diſtributorum Regis manſiſſe: neque Saxones a Francis ſubacti proprietatem rerum ſuarum, niſi ſub conditione defectionis, Regi permiſerunt. Annal. Fuld. *A.* 737. (5) Pleraque autem in ſingulos non diviſa, communiter Reipublicæ ceſſiſſe credendum eſt, cujus caput vaſallos ſuos fideles iterum de iis inveſtit. vid. ſupra *ad cap.* 12. §. 6. OTTO.

(*f*) *Quemadmodum ubi bona*]. Poteſtas Imperantis vel reſpicit *bona ſubditorum*, vel *ipſius civitatis*. Prior vel ex *dominio*, vel *Imperio* reſultat. Nimirum ſi civitas omnium & ſingularum rerum dominium originarie habeat, eoque jure ſe non penitus abdicet, utut bona inter ſubditos diſtribuat, aut ſi ſubditi res ſuas, in quibus plenam habent proprietatem, civitati & Imperanti ultro offerant, ab iisque certo modo eas iterum recipiant, tum manifeſtum eſt, quod jus civitati & Imperanti in bonis ſubditorum competens ex dominio fluat. Quicquid igitur juris vel illis, vel his adſcribendum ſit, id omne ex conceſſionis modo judicandum; nam poterit civitas dominium illibatum ſibi retinere, ac in ſubditos nihil, niſi precariam poſſeſſionem, cum jure percipiendi alimenta transferre, vel etiam dominium partiri, ac ſubditis utile concedere, vid. *l.* VIII. *c.* 5. §. 1.

2. De cætero tale civitatis dominium regulariter negandum eſt, finis enim Rerumpublicarum id non exigit, imo parum utilitatis illud habet, vid. *d. c.* 5. §. 1. *in in fin.* hinc temere conſtitutum cenſeri non poteſt. Specialius hoc ita probari poteſt: cum incerta ſint civitatum initia, hoc tamen probabile videtur, dominia privata Imperio Civili eſſe antiquiora, quod ſi adeo eos, qui civitatem conſtituerunt, dominio rerum ſuarum jam inſtructos ſupponas, nulla apparet ratio, quare illud in civitatem & Imperantem eos transtuliſſe, exiſtimare debeamus, ſi vero ponamus caſum rariorem, quo multitudo certum terræ tractum occupaverit, adeoque dominium prius penes civitatem, quam ſingulos, fuerit, veriſimile tamen eſt, bona in hos ita eſſe deſcripta, ut a civitate amplius dependere, quoad dominium rerum poſſeſſarum, illi non debeant. Ex quo illud etiam conſequitur, proprietatem penes privatos eſſe illibatam, licet quis per vim Imperium acquirat, nam ad hoc acquiſitio merito reſtringitur. Juxta hæc igitur non opus eſt, ut de caſibus, quibus dominium penes ſubditos ſit, valde ſimus ſolliciti, vid. *d. c.* 5. §. 2. cum hoc potius tamdiu præſumendum ſit, donec probetur contrarium, id quod non niſi in ignavæ indolis nationibus, & quæ dominatum facile pati queant, accidere arbitrer. TITIUS.

(*g*) *In iſtorum arbitrio eſt*]. In prima ſc. conceſſione: poſtquam enim conceſſerunt, non ideo precarium cenſeri debet jus Subditorum, quod ab Imperantibus initio ſit derivatum. Nec tamen ex eo, quod in ſolo ab univerſitate

 ali-

tum reſultans, & ad harum finem neceſſarium, ſummis Imperantibus competit (*i*).

J. N. & G. *l.* VIII. *c.* 5. §. 1—3.

II. *a.* Leges ferendi circa eorum uſum; Primum jus (*k*) in eo conſiſtit, ut civibus iſti poſſunt Leges præscribere circa uſum eorundem

aliqua junctim occupato, prædia Summi Imperantis diplomate concedi ſoleant, ſtatim inferendum eſt, univerſam Regionem fuiſſe olim in dominio ipſius Principis: quippe naturale eſt, ut in tali caſu Princeps, potius tanquam caput Civitatis de publicis rebus, quam tanquam Dominus de ſuis, præſumatur ab initio diſpoſuiſſe. Carmich.

(*h*) *Ita in ea bona*]. Regulariter igitur Imperantis jus in bona privatorum tantum ex *Imperio Civili* debet repeti, cujus tres partes a diverſo fine non male afferuntur. De cætero ejus vis merito, quoad omnes, qui in Republica reperiuntur, tamdiu aſſeritur, donec reſtrictio ac nonnullorum exemtio doceatur. Titius.

(*i*) *Competit*]. Principi jus competit in bona: (1) quia perſonæ & vita civium ejus voluntati ſunt ſubjectæ: multo magis bona perſonarum: (2) quia neceſſitatibus reipublicæ alias ſuccurri, & ſalus civium obtineri non poſſet: (3) quia cives commoda & bona illa ſibi maxime compararunt per ipſam civitatem, & quatenus in civitate vivunt: quare æquum eſt, ut rurſus bona illa ſubſint voluntati imperantis ad utilitatem reipublicæ. Non enim jus prorſus abſolutum & illimitatum eſt; ſed ordinarie princeps tantum habet juris in bona civium, quantum ex iis ſufficit ad ſecuritatem publicam cum internam, tum externam tuendam. Neque enim imperium civile ſtatim involvit jus proprietatis in civium bona: neque pacto reipublicæ cives dominio privato renunciarunt. Opus eſt expreſſa conventione, qualis in deſpoticis imperiis ſubeſſe debet, ut intelligamus, cives bona ſua omnia in imperantem transtuliſſe. Treuer.

§. II. Imperium civile uſum bonorum moderatur, dum modos acquirendi, conſervandi, vel amittendi dominii, & diſponendi licentiam inter vivos vel mortis cauſa circumſcribit: commercia dirigit, inſtituit nundinas, pretia rerum, pondera & menſuras definit; modum ponit poſſeſſioni agrorum, aut legibus ſumtuariis ſubditos ad frugalitatem & parſimoniam vocat; cujus rei exempla in jure prodigorum, aleatorum & foro cedentium in jure Romano occurrunt: eoque lex Fuſia Canini de manumiſſionibus, Falcidia de legatis, & Cincia de donis & muneribus pertinent: intereſt enim Reipublicæ, ne quis re ſua male utatur. §. 2. *Inſt. de his qui ſunt ſui.* Otto.

(*k*) *Primum jus*]. Primo Imperium Civile *uſum bonorum privatorum moderatur*, ex quo varia fluunt. (1) Aliquando *legibus ſumtuariis ſubditos ad parſimoniam, frugalitatem & laborem revocat*, ſed ut plurimum illarum legum eſt exigua vis, dum exempla contraria luxum ſuſtinent, ac ex hoc lucrum capitur: (2) *Res corrumpi vetat*; intereſt enim Reipublicæ, ne quis re ſua male utatur: (3) *Subditis occaſionem lucrandi ſuppeditat*, inſtitutis commerciis, vel artibus mechanicis: (4) *Modum administrandi res ſuas iis præſcribit*, dum

dem ad utilitatem civitatis adtemperandum (*l*); aut circa modum qualitatemque poſſeſſionum; uti & rationem transferendorum in alios bonorum (*m*), & quæ ſunt ejus generis alia.

dict. §. 3.

III. *β.* Decernendi de eis vectigalia & tributa.

Alterum jus (*n*) in hoc conſiſtit, ut poſſit particulam aliquam de ipſorum bonis Tributi aut Vecti-

dum rationem acquirendi, conſervandi & alienandi bona determinat: (5) *Bona Reipublicæ ſubtrahi prohibet*, ex quo capite noxia commercia, divitias civitatis ad exteros transferentia, ut & ſuperſtitioſas donationes impedit: (6) *Abuſus inveteratos tollit*, unde fluit ſeculariſatio bonorum, a clero callide civitati ſubtractorum, & ſi quæ alia ejus generis adhuc ſunt, add. *l.* VIII. *c.* 5. §. 3. Titius.

Jus illud ſpecialius per ſex membra deduxit Titius *ad h. l.* Treuer.

(*l*) *Adtemperandum*]. Huc pertinent *Leges Sumptuariæ*; de quibus vide Auctoris *Diſſertationem* inter *ſelectas* eo titulo inſignitam; quæ elegans eſt commentatio in epiſtolam *Tiberii* ad Senatum, relatam a *Tacito Annalium lib. III. capp.* 53. 54. Huc etiam ſpectant Leges, quæ res corrumpi vetant; quæque artibus mechanicis, & Reipublicæ utilibus commerciis fovendis, & noxiis coercendis conſulunt. Carmich.

(*m*) *Bonorum*]. Hujus generis ſunt Leges, quæ *Contractibus*, *Teſtamentis*, &c. moderantur. Idem.

§. III. Tributa a ſubditis, vi imperii & virium unitarum, rerum, quas habemus, vel perſonarum nomine, tributim conferenda ſunt, ut miles adverſus hoſtium incurſus alatur. Vectigalia vero & a civibus, & a transeuntibus pro rebus invehendis vel evehendis, vel fungibilibus emtis, ob ſecuritatem viarum, commoditatem fluminum, & libertatem commerciorum exiguntur. Cicero III. *Ep.* 8. *Optime meritis militibus promiſſa ſolvantur, quod ſine tributo fieri poſſe non arbitror.* Quintilian. *Decl.* 341. neceſſaria eſſe civitati vectigalia, ita demonſtrat; *quia exercitus ſtipendium accipiunt, bella quotidie geruntur adverſus barbaras & bellicoſiſſimas gentes, defendimus ripas & flumina & litora: huc adjice & illud, templa exſtruuntur; multum impendiorum ſacra ducunt, aliquid & ſpectacula.* Similiter Theoph. *ad* §. 40 *Inſt. de rer. div.* tributa ideo indici ait a Principe, *quod is magnos alendis exercitibus ſumtus faceret.* Auguſtinus denique contra Fauſtum: *Ad hoc enim tributa præſtantur, ut propter bella neceſſario militi ſtipendia præbeantur.* (2) Vi imperii quoque bona caduca patrimonio publico addicuntur, alia ab indignis fiſco vindicantur, vel de bonis emigrantium portio aliqua detrahitur; tum quia illa caſtro eximuntur, cui jus erat quæſitum; tum etiam in grati animi ſignificationem, quod bona in illa civitate acquiſita fuerunt. De caducis hereditatibus & legatis Romæ primum ad heredes ſuos, deinde ad ærarium & poſtremo in fiſcum delatis vid. Cel. Heinecc. *ad L. Jul. & Papiam lib.* 3. (3) Varia etiam diſcrimina inter Tributa & Vectigalia Petitus II. *Var. lect.* 1. Lipſ. *de Magnit. Rom.* II. 2. Perrenon.

Digitized by Google

VECTIGALIS nomine decerpere (*o*). Cum enim civium vita & fortunæ per civitatem ſint defendendæ, oportet, ut hi conferant, unde ſumtus, ad eum finem neceſſarii, tolerentur. Sic ut valde impudens ſit, qui defenſione quidem & commoditate civitatis frui vult, & tamen nihil operæ aut rei ad eandem ſervandam conferre. Etſi heic merito prudentes ſeſe Rectores ad querulum vulgi ingenium (*p*) adtemperent, & ut quam minimo cum ſenſu iſta corrogari queant, laborent; in primis æqualitatem obſervando: & modica potius, ac varia, quam grandia ac uniformia exigendo.

J. N. & G. *l.* VIII. *c.* 5. §. 4–6.

Ter-

II. 30. Bulengerus *libro ſing.* qui Beſoldo *de Ærario* adjectus eſt, & Ampl. Bynkershoek II. *qu. jur. publ.* 22. excuſſerunt. OTTO.

(*n*) *Alterum jus*]. Poſtea Imperium Civile ex *bonis ſubditorum perpetuorum, vel temporariorum patrimonium publicum colligere poteſt*, quod non tantum ſit per tributa & vectigalia, ut Auctor *h.* docet, ſed & alia media, nempe ſi in pœnam bona confiſcentur, ut caduca patrimonio publico ſubjiciantur, vel de emigrantium bonis aliqua portio detrahatur, quamvis illa omnia tributi generalius accepti nomine comprehendi queant. De cætero Imperans in exigendis oneribus publicis prudenter & juſte verſari, ac exacta ad civitatis utilitatem adhibere debet, ſi ſecus faciat illosque limites tranſiliat, tum non legitimum Imperium exercet, ſed animi libidini indulget, ac ſubditos bonis ſpoliat, add. *d. c.* 5. §. 4. 5. 6. TITIUS.

(*o*) *Vectigalis nomine decerpere*]. Huc etiam non abs re *Titius* refert jus ob crimina *damnatorum bona confiſcandi, caduca percipiendi, &c.* CARMICH.

(*p*) *Vulgi ingenium*]. Menſura tributorum ſunt neceſſitates reipublicæ; non avaritia, non luxuria imperantium. Circa tributa itaque videndum, (1) an cauſſa non tantum tributi exigendi juſta ſit; quæ ſolet eſſe neceſſitas quædam reipublicæ, ſed etiam, an juſta ſit proportio inter neceſſitatis & tributi quantitatem, & longe major ſumma extorqueatur, quam ad rempublicam ſublevandam requiritur: (2) an non tantum determinatio tributi & ejus quantitas juſta ſit; verum etiam, an exactio ſit juſta ſive modus colligendi, qui ſæpe iniquiſſimus eſt; (3) an tributum non tantum juſte imponatur & exigatur; ſed an quoque utiliter & prudenter id fieri poſſit. Interim ſi civis anſam dubitandi habeat de juſtitia & neceſſitate tributi; non tamen ius accipit reſiſtendi & denegandi tributum. Neceſſitas publica non ſemper ad oculum patet, neque civi manifeſtanda eſt: ſuccurritur eidem aptius, ſi nonnumquam diſſimuletur & alio coloretur prætextu. Vid. JÆGERI *obſ. ad Grot. p.* 527. FORSTNER. *not. ad tacit. l.* IV. *annal. p.* 639.

Digitized by Google

Tertium jus (*q*) eſt DOMINIUM EMINENS (*r*), quod in eo conſiſtit, ut urgente Reipublicæ neceſſitate, bona ſubditi cujuspiam, quibus præſens tempus maxime opus habet, ad uſus publicos arripi & adplicari queant; licet iſta longe ſuperent ratam partem, quam is ad ſumtus Reipublicæ conferre tenebatur. Ob quam tamen rationem iſti civi, quod excedit, de publico, aut ex collatione

IV. 3. Caſu neceſſitatis ad uſus publicos applicandi, ſive Dominium eminens.

p. 639. ubi egregie de hac materia diſſerit: BARCLAII *Argenidem l.* IV. *c.* 10. TREUER.

§. IV. Dominium illud eminens re ipſa agnoſcunt Leyſerus, Feldenus & Zieglerus, ſed vocabulum, tanquam nimis ambitioſum, damnant; quaſi id Principi facultatem graſſandi in bona ſubditorum permittat. Sed nobis perinde eſt, cum illis *imperium* appelles, an *dominium eminens*, cum Grotio, qui hujus appellationis eſt auctor, quia eminet ſuper dominia privatorum l. *de J. B. & P. c.* 1. §. 6. II. *c.* 14. §. 7. & III. *c.* 20. §. 7. (2) Fundamentum ejus non eſt Vicariatus Dei, aut jus Regium Samuelis, ſed quod Reſpublica unam perſonam & commune quaſi patrimonium refert, quapropter omnes viribus communibus vel ſingularibus utilitatem publicam promovere debent. (3) Dividi illud poteſt in *Ordinarium* & *Extraordinarium*: illius exempla jam *ad* §. 2. & 3. in legibus, tributis, pace, bello &c. vidimus. *Extraordinarium* autem, tempore neceſſitatis, quæ legem non habent, in ſubditos eorumque bona obtinet, v. gr. ſi urbes muniendæ, vel defendendæ, aggeres ſtruendi, vel foſſæ ducendæ ſint, licebit agros, eam in rem neceſſarios, hortos & domos poſſeſſoribus adimere & deſtruere, ſed intra tres cancellos ſequentes, (α) ut adſit neceſſitas publica, vel utilitas civitatis evidens & par neceſſitati. (β) Ceſſante neceſſitate imperium iſtud ceſſet; & (γ) damnum uni civium illatum a ceteris reſarciatur. vid. *l.* 14. §. 1. *D. quemadm. ſerv. l.* 9. *C. de oper. public.* Tacit. l. *Ann.* 75. (4) Minime vero is ſenſus eſt, quaſi Principi liceat absque cauſa, ut Achabus Nabothum, ſpoliare; vel res ſubditorum amœnitatis publicæ, aut voluptatis propriæ cauſa invadere; vel cum alterius detrimento quicquam alteri largiri; id quod leges etiam Romanæ vetant, *l.* 2. §. 10. & 16. *D. Ne quid in loc. publ. l. pen. & ult. D. de nat. reſt. l.* 3. *C. de reſc. vend. l.* 3. *C. unde vi.* Suet. *Aug. c.* 56. (5) Scripta eriſtica huc pertinentia Cl. Buddeus in *Hiſt. jur. nat.* §. 53. recenſuit. v. Bœcleri & Craſii *Diſſ. de dom. emin.* Gribnerus *Princ. Juriſpr. nat. l.* II. 4. Rad. Foro. V. *Rer. quot.* 26. & III. Bynkershoek II. *Quæſt. jur. publ.* 15. OTTO.

(*q*) *Tertium jus eſt*]. Tandem Imperio Civili jus eſt *ob utilitatem Reipublicæ omnia bona, vel eximiam eorum partem ſubditis auferendi*, add. *d. c.* 5. §. 7. de cujus juſtitia uti poſitis requiſitis dubitandum non eſt, ita ea ſcrupuloſe obſervari in tanto Imperii Civilis abuſu quis credat? TITIUS.

(*r*) *Dominium eminens*]. Nata eſt ſuperiori ſeculo de dominio eminente controverſia inter HORNIUM & LYSERUM Wittebergenſes, quorum ille defendit, hic impugnavit dominium eminens: ſed magis de nomine, quam de re diſceptarunt. Eorum ſcripta una cum aliis recenſuit BUDDEUS *ſel.*

 J.

Digitized by Google

ne cæterorum civium, quantum ejus fieri poteſt, refundi debet (*s*).

J. N. & G. *l.* VIII. *c.* 5. §. 7.

V. 2. Jus Principis in fiſcum atque ærarium.

Præter hæc tria jura (*t*) in multis civitatibus dantur peculiaria Bona publica, quæ patrimonium Reipublicæ aut regni ſolent appellari. Quod ali-

J. N. & G. in hiſtoria J. N. §. 53. *p.* 79. *ſq.* Conferri meretur hic de dominio eminente diſſ. Boecleri, quæ eſt *in t. I. diſſ. ejus n.* 28. *p.* 825. Treuer.

(*s*) *Refundi debet*]. Quin & eandem reſtitutionem deberi putaverim, ubi aliquis Civis ob controverſiam publicam inſigne aliquod damnum citra ſuam culpam ab hoſte eſt perpeſſus, non ex cauſa commercii aliave ſimili: quæ enim ejusmodi damna mercatoribus contingunt, majore pretio pro ſimilibus mercibus exigi ſolito ut plurimum penſantur. Carmich.

Puto hoc eſſe æquitatis officium, non juſtitiæ. Quando respublica in ſummis anguſtiis verſatur; jure perfecto tenetur civis non tantum vita ſua, ſed & bonis ſubire pericula ad eam tuendam: quid, quod dominii eminentis vox id innuit: quo princeps bonis civium eo caſu uti poteſt, ac ſuis, quæ abiicere, perdere, alienare licet pro lubitu. Vid. ſupra *not. ad l. I. c.* 5. §. 29. Treuer.

§. V. Alia ſunt bona Principis (1) *Patrimonialia*, in quibus is exemplo privatorum dominium vel aliud jus in re habet. (2) *Domanialia*, quorum proprietas eſt populi, uſusfructus Principis: qualia apud Gallos docente Choppino multis privilegiis lege regni ſunt munita, quæ ad bona Principum Cameralia, aut ad Menſalia Epiſcoporum haud tuto ſemper applicari poſſunt: Lyncker. *Reſp.* 2. & 80. & Leyſer. *Meditat. ad D. Spec.* 50. *n.* 7. 8. 9. Generali autem omnium regnorum & quaſi gentium jure obtinuit, ne domanium ſine conſenſu Ordinum alienari poſſit, ut Cujacius inquit in *cap.* 33. *X. de Jurej.* & Sande III. *tit.* 4. *def.* 1. aliique a Chriſt. Friſio *in Jure doman.* collecti præjudiciis firmarunt. (3) *Fiſcalia*, quæ pleno jure Principi ad tuendam dignitatem & aulam ſplendide ſuſtentandam ſunt conceſſa: eoque pertinent ἀδέσποτα; quæcunque enim in territorio reperiuntur, nec actu a privatis ſunt occupata, univerſæ civitati relicta cenſentur. (4) Ærarii dominium directum & utile apud populum; imperium apud Principem eſt. Plinius *Paneg. c.* 36. *At fortaſſe non eadem ſeveritate fiſcum, qua ærarium cohibes: immo tanto majore, quanto plus tibi licere de tuo, quam de publico credis. Dicitur alteri atque etiam procuratori tuo: in jus veni, ambula ad tribunal.* (5) De fiſco memorabilis eſt *l.* 10. *D. de Jur. fiſc.* Victor. *Epit.* 42. de Trajano: *Exactiones improbas deteſtans, fiſcum lienem vocavit, quod eo creſcente artus reliqui tabeſcant.* Laudatiſſima etiam vox Pertinacis eſt apud Capitolin. *ej. vita c.* 7. *Sanctius eſt, inopem Rempublicam obtinere, quam ad divitiarum cumulum per diſcrimina atque dedecoris veſtigia pervenire.* Otto.

(*t*) *Præter hæc tria jura*]. Circa bona publica civitati non tantum competit *Imperium*, cujus vi varia circa illa disponit, ſed & *dominium proprium ſic dictum.* De cætero

alicubi iterum (*v*) diſtinguitur in Patrimonium principatus, & Reipublicæ (*x*), ſeu in Fiſcum, & Ærarium. Quorum prius deſtinatum eſt ad ſuſtentationem Regis, ejusque familiæ: poſterius ad publicas utilitates regni. Circa prius Rex habet uſumfructum, & de fructibus, inde provenientibus, pro ſuo arbitrio diſponere poteſt. Circa poſterius autem adminiſtratoris munus obit, idemque uſibus, quibus deſtinatum eſt, adplicare debet. Neutrum, niſi conſenſu populi, alienare poteſt.

J. N. & G. *l.* viii. *c.* 5. §. 8.

Multo minus (*y*) autem, qui regnum non habet VI. 3. In Rempublicam

tero omnes res, quæ in civitatis diſtrictu reperiuntur, & dominum privatum non habent, nec conſtanti conſuetudine pro rebus nullius habentur, originarie ad civitatem pertinere cenſendæ ſunt, de quo in hypotheſi non nihil explicatius egi in *Specim. Jur. Publ. l. III. c.* 3. quæ ad theſin facile referri poſſunt. Titius.

(*v*) *Quod alicubi iterum*]. Bonorum publicorum dominium in privatos aliquando devenire patitur civitas, idque vel ſimpliciter, vel reſervato aliquo emolumento. Quædam veró in ſuo ſtatu perdurant, quorum uſus uti in genere ad civitatis utilitatem eo modo, quem rei cujusvis indoles admittit, referri debet, ita eum nonnunquam leges fundamentales ſpecialius determinant, quod Auctor *b.* indicat, ac Imperantis circa bona illa poteſtatem recte declarat, add. *d. c.* 5. §. 8. 11. Ab aliis autem bonis differunt *res Principis patrimoniales*, in quibus ad exemplum privatorum dominium vel alia jura idem habet. Idem.

(*x*) *Republicæ*]. Hæc diſtinctio recte applicatur, non tantum rebus corporalibus, quarum Dominium eſt publicum, ſed & juribus iſtis, de quibus agebatur §. 3. & *Obſerv.* ibidem. Confer *Grotium lib. II. cap.* 6. §. 11. *& ſeqq.* Carmich.

Hæc duo differunt a bonis patrimonialibus principis, in quæ ſine ullo reſpectu ad rempublicam jus habet ad exemplum privati. Patrimonium vero principatus debetur principi ſecundum jus naturæ: quum enim cives eum elegerint in imperantem; civium quoque erit illi ſubminiſtrare ea, quæ ad ejus characterem, familiam & dignitatem honeſte & digne ſuſtinendam pertinent. Vid. Arnisæum *de jur. maj. l. III. c.* 1. §. 2. Conf. de cetero Boecler. *comment. Plin. c.* 9. §. 7. *fol.* 794. Conring. *de ærario conſtituendo*, Seckendorf *Fürſten-Staat. p. III. c.* 1. 2. 3. Treuer.

§. VI. Regulariter cives ita nomen civitati dediſſe cenſendi ſunt, ut libera ſit facultas emigrandi, *& de ſua cuique civitate ſtatuendi*, *l.* 12. §. 9. *D. de capt. & poſtl.*

totam, vel ex parte alienandam.

bet in patrimonio, totum regnum, aut ejus partem ALIENARE poteſt, niſi accedat conſenſus populi, & poſteriore caſu, etiam peculiariter conſenſus partis alienandæ (z). Sicuti nec vice verſa membrum aliquod a civitate invita ſeſe abrum-

modo (1) non diſcedant gregatim magnis catervis, nec (2) Civitatis interſit, ſi v. gr. fiducia multitudinis bellum eſt ſuſceptum, vel magnum æs alienum contractum: quia ne quidem ſocietati mercatoriæ intempeſtive renunciare licet. (3) Leges non prohibeant, uti olim apud Argivos auctore Ovidio II. *Met. vſ.* 38. *Probibent diſcedere leges, pœnaque mors poſita eſt patriam mutare volenti.* & hodie apud Ruſſos, Thuan. XXI. Narrat etiam Camdenus *Annal. pag.* 47. ſecundum antiquas Angliæ leges, nemini ſubditorum regno exire licere, niſi Magnati aut Mercatori, idque ex juſta cauſa, & ſpeciali venia petita. Belgis vero & Hiſpanis patriam ſine ullis vinculi reliquiis derelinquere licet. vid. Grot. *App. Epiſt.* 670. ut & II. *de J. B. & P. c.* 5. §. 24. & Ill. Bynkershoek. I. *quæſt. jur. publ. c.* 22. & II. *c.* 25. *n.* 6. OTTO.

(*y*) *Multo minus*]. Hæc recte quidem dicuntur; add. *d. c.* 5. §. 9. 10. ſed præter ſcopum, nam hactenus de *Rebuspublicis* earumque *dominio* quæſtio fuit; hic autem ſermo inſtituitur de *jure imperandi perſonis*, eique reſpondente *ſubjectione*: de cætero verum eſt, quod ſicut ſubditi Imperio ſe ſubtrahere non debent, ita vice verſa Imperans proprio tantum conſenſu illud in alios regulariter transferre nequeat. vid. *c.* 9. §. 7. h. l. lit. (*f*). TITIUS.

Vide *Grotium d. cap.* §. 3. *& ſeqq.* At recte obſervat *Titius*, doctrinam hujus §. quamvis veram, præter ſcopum hic poni. CARMICH.

(*z*) *Alienandæ*]. Hic conſenſus in omni imperio requiritur, patrimoniale enim natura non datur, ſed demum patrimoniale fit, quando populus principi ea conditione imperium tradit, ut ipſi liceat illud, in quemcumque placuerit, transferre: quod, ut expreſſe indicetur, neceſſum eſt: extra hunc caſum patrimoniale imperium eſt non-ens. Non enim imperio tacite jam ineſt, quod ſubditi cives imperanti tradant proprietatem bonorum, imperium cum poteſtate alienandi, corpora in ſervitutem: quæ tria in omni imperio poteſtati imperantis tacite excipiuntur. Conſenſus itaque civium expreſſus ad poteſtatem alienandi conſtituendam ſumme neceſſarius. HOBBESIUS quidem omne imperium patrimoniale ſtatuit *de cive c.* 9. §. 10. ſed hoc exinde fieri intelligitur, quod poteſtatem imperantis deducat ex eo, quantum populus ipſi tribuere potuerit, ſed deducendum fuiſſet ex eo, quantum voluerit. Vid. inprimis HUBERUM *de jure civit. l. I ſect.* 2. *c.* 5. *n.* 30. *ſqq. & ſect.* 10. *c.* 5. *n.* 40. 41. *cum adnot.* THOMASII, & pereruditam diſſ. ERN. WILHELM BIELFELDT *de imperii alienat. Lugd. B.* 1710. *ed* TREUER.

(*a*) *Seſe abrumpere poteſt*]. Præſertim (1) ſi civitatis interſit, ut maneat, & vel lucrum, vel certa ſecuritatis ratio eidem ſubducatur; ſi forte multa debeat in civitate: ſi penuria civium prematur reſpublica: ſi commerciis, opificiis derogetur: ſi onera reip. ſuſtinenda ſint. (2) Si periculum aliquod inſtet reipublicæ, in quo ejus diminutio periculoſa, ut tempore belli, ſeditionis, peſtis. (3) Si unius civis exemplo ceteri quoque

rumpere poteſt (*a*), niſi per vim externorum hoſtium in eam ſit redactum conditionem, ut aliter nullo modo ſalvum eſſe queat.

J. N. & G. *l.* VIII. *c.* 5. §. 9–11.

que incitari poſſent ad abitum cum detrimento reip. meditandum. vid. GROTIUM *l. II. c.* 5. §. 24. GRONOV. *ad h. l.* & diſſ. ſub præſidio HILDEBRANDI. *Altdorfi* 1716. *hab. de intempeſtivo civium diſceſſu cohibendo.* TREUER.

Caput XVI.

De Bello & Pace.

Summaria.

I. *Bellum neceſſarium prudenter movendum*
II. *Ob cauſas juſtas, tam in bello defenſivo, quam offenſivo,*
III. *Tentata prius amica via.*
IV. *Cauſæ belli injuſtæ.*
V. *In bello dolus licitus,*
VI. *Itemque vis, quæ tamen moderanda.*
VII. *Bellum aliud ſolenne, aliud minus ſolenne.*
VIII. *Jus belli competit ſummo Imperanti*
IX. *Interdum ex privata injuria.*
X. *Repreſſaliæ.*
XI. *Bellum pro altero quando geri poſſit.*
XII. *Licentia in bello quanta.*
XIII. *Res bello captæ cui cedant.*
XIV. *Imperium bello quæſitum qui fiat legitimum.*
XV. *Bellum ſuſpenditur induciis,*
XVI. *Quæ vigent vel retento vel diſſoluto belli apparatu:*
XVII. *Finitur.*

Grot. de J. B. & P. *l.* I. *c.* 2. & 3. *l.* II. & *l.* III. *paſſim.*

Quan-

Digitized by Google

QUANQUAM id legi (*b*) naturali maxime ſit conveniens, ut homines pacem invicem agitent ultro ea præſtando, quæ debebant; imo pax ipſa (*c*) ſit ſtatus homini, quatenus a brutis diſtinguitur, peculiaris: aliquando tamen (*d*) ipſi

I. Bellum & juſtum & prudens eſſe debet.

§. I. Bellum eſt ſtatus præternaturalis, & felicitati ac paci humani generis inimicus, ad quam colendam Deus nos idoneos creavit; quicquid Hobbeſius contra philoſophetur, & homines, ut meros centauros, depingat. (2) *Permittitur* bellum, tanquam remedium contra malitiam extraordinarium; non vero *præcipitur*: quæque de jure defenſionis, & moderamine inculpatæ tutelæ ſupra diximus in ſtatu naturali obtinere, hic etiam ſunt obſervanda. (3) Eraſmus in *Milite Chriſtiano*, & ad adagium, *Dulce bellum inexpertis*, Chriſtianis arma interdicit; ſed, ut Grotius *in Prolog. de J. B. & P.* §. 29. arbitratur, eo conſilio, quo ſolemus in alteram partem flectere, quæ in unam exierunt. Bellum quidem belluinum eſt, at ubi pax haberi non poteſt, omnis ratio honeſta eſt expediendæ ſalutis. Hinc ipſe Deus bella geri juſſit, & niſi hanc permiſſionem aſſeramus, injuſtus invaſor impune quemvis aggredi, ſuasque res feliciter gerere poſſet. (4) Cicero bellum appellat certationem per vim. Grotius ſtatum per vim certantium, qua tales ſunt. Alb. Gentilis I. *de Jure belli c.* 2. juſtam publicorum armorum contentionem definivit. Ego deſcribere malim, quod ſit ſtatus Summarum poteſtatum de jure controverſo certantium per vim aut dolum. vid. Ill. Bynkersh. I. *Qu. jur. publ. c.* 1. OTTO.

(*b*) *Quamquam id Legi*]. Occaſione juris belli & pacis, quod ad partes Imperii Civilis etiam pertinet, generalis iterum de bello & pace inſtituitur tractatio, quanquam alio loco concinnius de hac re agi poterat. Pax eſt *ſtatus hominum, inter ſe neque litigantium, neque litigandi propoſitum habentium*, ſeu breviter, eſt *ſtatus mutuæ ſocialitatis.* Bellum autem latiori ſenſu eſt *ſtatus eorum, qui jurium cauſa actu vel propoſito litigant:* excluditur igitur certamen brutorum, & pugna exercitii vel quæſtus cauſa inſtituta. Frequentius tamen in bello concipiendo ad litigandi modum reſpicimus, ut ſtrictiori magisque uſitato ſenſu ſit *ſtatus inſignis hominum multitudinis per vim, vel apertam vel obliquam, propter jus controverſum, certantis aut omiſſa, etiam ex pacto ad tempus hoſtilitate propoſitum certandi retinentis.* Excluduntur itaque tum litigia verbalia, tum duella, add. Grot. *de J. B. & P. l. I. c.* 1. §. 2. Eſſe de cætero pacem ſtatum hominis naturalem, bellum vero præternaturalem & extraordinarium, quicquid contra ineptiat Hobbeſius, ex genuinis principiis facile liquet. TITIUS.

(*c*) *Imo pax ipſa*]. Sic etiam docetur *l.* VIII. *c.* 6. §. 2. ſed doctrina non ſatis liquida eſt, nam potius pax & bellum hominibus ſunt propria, cum ratione dirigantur; inter bruta autem, quicquid eius generis occurrit, a ſolo inſtinctu dependeat. IDEM.

(*d*) *Aliquando tamen*]. Ex intentione Dei abſoluta bellum ſemper inter homines ceſſare debet, ſed ex hypotheſi malitiæ humanæ, ſocialitatem ultro abrumpentis, illud licitum, imo aliquando neceſſarium eſt, nimiam tamen feſtinationem & ſocialitas & ſæpe prudentia diſſuadent, add. *d. c.* 6. §. 2. Grot. *de J. B. & P. l. II. c.* 24. Illud autem recte computantibus facile apparebit, a Monar-

ipſi quoque homini bellum (*e*) ſit licitum, & quandoque neceſſarium, quando nempe per alterius malitiam noſtra ſervare, aut jure noſtro potiri, citra vim adhibitam, nequimus. In quo ipſo tamen prudentia, & humanitas ſuadet, ut ne ad arma eamus, ubi ex injuriarum noſtrarum perſecutione

narchiis pleraque bella oriri. IDEM.

(*e*) *Homini bellum*]. Non eſt hic locus generalis de *Bello* doctrinæ proponendæ: ea petenda eſt ex *lib. I. c.* 5. Ubi licet Auctor de ſola *Defenſione* egerit, nos tamen ad §. 17. nonnulla ſubjecimus de violenta ſui juris *Proſecutione*, quam ibidem monuimus ad eundem locum pertinere: quæque illic de violenta ſeu defenſione, ſeu proſecutione, dicta ſunt, ex æquo locum habent, ſive inter ſingulos Homines, in ſtatu invicem naturali viventes, ſive inter Hominum multitudines, eaſque vel ſimplicis pacti obligatione, vel nexu Imperii, combinatas, certamen fiat: unde & ab omnibus iſtiuſmodi differentiis abstrahit genuina *Belli* notio, prout id in *Juris Naturalis* diſciplina conſideratur; quod idcirco *Grotio* definitur *lib. I. cap.* 1. §. 2. *Status per vim certantium, qua tales ſunt*; ſatis quidem apte, ſi addidiſſet *Jurium cauſa*, ut excludantur certamina exercitii vel quæſtus cauſa inſtituta. *Titio* quidem, licet iſtam differentiam includenti, aliam tamen ob cauſam nimis late bellum definitur, *Status eorum, qui Jurium cauſa, acta vel profeſſio litigant*; quaſi non tantum a litigantium numero, ſed & a *violento litigandi modo*, generalis Belli notio abstraheret; atque adeo lites etiam forenſes, quin & verbales contentiones extrajudiciales ſub Belli ambitu conſiderentur.

Cum interim Bellum natura ſua Civitatibus non ſit proprium; iſta ſola ad hoc caput proprie pertinent, quæ reſpiciunt aut Imperantis & Subditorum mutuas obligationes circa Bellum, aut obligationum eo pertinentium inter eos communicationem, aut denique privilegia Jure Gentium voluntario iis indulta, qui adhibitis debitis ſolennitatibus bella gerunt auctoritate Summorum Imperantium in Civitatibus, quæ apud vicinas Gentes pro talibus notæ ſunt atque agnitæ. CARMICH.

Quæ ſupra de jure ſe defendendi contra injuſtum invaſorem & de inculpata tutela dicta ſunt, ea quoque fundamenta juris belli eſſe debent. Nulla enim differentia juris inducitur, ſive bellum publicum ſit inter reſpublicas liberas; ſive privatum in ſtatu naturali inter duos homines liberos: non jura, non defenſionis libertas, ſed vocabula differunt. Quemadmodum ergo jus naturæ non præcipit, ſed permittit, ut nos cum cæde alterius defendamus, ſi nulla alia adminicula ſubſint: ita quoque in bello res ſeſe habet: quod a jure naturæ non præcipitur, ſed permittitur; adeoque jus belli non notat legem aut præceptum; ſed facultatem moralem belli gerendi: & ſic bellum licitum eſſe colligitur: alias injuſtus invaſor impune quemvis adgredi, remque ſuam feliciter gerere poſſet; quum nemo haberet jus ei reſiſtendi ejusque violentiam violenter abigendi. Bellum itaque non eſt medium pacis ſervandæ; ſed eſt remedium injuriæ repellendæ; & conſiſtit in defenſione ſui violenta contra injuriam intentatam. Plurima, quæ hic diſputan-

tione plus mali in nos noſtrosque (*f*), quam boni ſit redundaturum.

J. N. & G. *l.* VIII. *c.* 6. §. 1, 2.

II. Belli defenſivi & offenſivi juſtæ cauſæ.

JUSTÆ CAUSÆ, ob quas (*g*) bellum ſuſcipi poſſit, huc redeunt (*h*), ut nos & noſtra ſervemus ac tueamur contra injuſtam aliorum invaſionem, aut ut quæ nobis debita ab aliis exhibere renuuntur, aſſeramus, aut injuriæ jam illatæ reparationem & cautionem in poſterum obtineamus (*i*). Ob

tantur, an bellum ſit licitum, ex principiis honeſti & foro conſcientiæ deſumuntur, & magis evincunt, obligâtionem ad bellum a virtutis norma nullam eſſe, neque id præcipi jure naturæ; quam ut demonſtrent, bellum in foro juſtitiæ non eſſe licitum. TREUER.

(*f*) *Plus mali in nos noſtrosque*]. Vel etiam in Humanam Societatem, quamvis nos noſtrosque peculiariter non tangat. CARMICH.

§. II. Juſtum bellum dicitur, (1) intuitu gerentis, qui jus armorum habet, & excludit latrones. (2) Reſpectu modi, quo geritur, & dividi poteſt in defenſivum & offenſivum. (3) Ratione cauſæ. Hæc vero unica eſt defenſio adverſus injuriam, ſive per illam jus, nobis perfecte competens, negetur, ſive malum aliquod inferatur. Hoc ſenſu bellum offenſivum non datur; quia neminem jure naturali offendere licet. *Illa bella injuſta ſunt, quæ ſunt ſine cauſa ſuſcepta* ait Cicero III. *de Rep.* OTTO.

(*g*) *Juſtæ cauſæ, ob quas*] Bellum juſtum præſupponit injuſtam offenſionem, adeoque ſemper *defenſivum* eſt, quia tamen offenſio illa aliquando *violenta* eſt, aliquando *ſimplex*, hinc, bellum, quod illi opponitur in ſpecie *defenſivum*, quod huic, *offenſivum*, cum Auctore dicere licebit, add. *d. c.* 6. §. 3. TITIUS.

(*h*) *Huc redeunt*]. PAULUS LAYMANNUS *theol. moral. lib. II. tr.* 3. *c.* 12. *n.* 5. decem enumerat juſtas belli cauſſas: (1) contra ſubditos rebelles: (2) ut recuperetur provincia jure debita: (3) ad vindicandam gravem contumeliam: (4) contra eos, qui hoſti injuſto auxilium præbent: (5) qui pœnam hominum rempublicam lædentium impediunt: (6) qui fœdus violarunt: (7) qui jus gentium lædunt: (8) ad auxilium ferendum ſociis: (9) ad religionem conſervandam: (10) ad DEI juſſa immediate exſequenda. Sed omnes hæ cauſſæ præter ultimam, quæ rationi incognita eſt, tribus illis capitibus in auctore adlatis vel unico momento defenſionis ſui contra injurias poſſunt includi. Conf. ROEHRENSEE *diſſ. de cauſſa belli juſtifica Witteb.* 1700. VERNULÆI *inſtit. pol. L. IV. tit.* 4. *c.* 2. *ſqq.* NAUDÆUS *de ſtudio militari lib. II. p.* 560. *ſqq* TREUER.

(*i*) *In poſterum obtineamus*]. Hæc continentur ſub præcedente clauſula, *quæ nobis debita ab aliis exhiberi renuuntur, aſſeramus.* Omne ſc. Bellum juſtum ſupponit *Injuriam*; quæ vel fit (ut notavimus ſupra *Obſ. in lib. I. c.* 2. §. 15.) per

Ob priorem cauſam quod geritur, Bellum Defensivum: quod ob poſteriores, Offensivum dicitur (*k*).

J. N. & G. *l.* viii. *c.* 6. §. 3, 4.

III. Prius ſemper tentanda via amicitiæ.

Neque tamen confeſtim (*l*), ubi quis ſeſe læſum arbitratur, ad arma eſt decurrendum, in primis ubi adhuc dubii aliquid (*m*) circa jus aut factum occurrit: ſed tentandum, num amica via res poſſit componi (*n*); puta, colloquio inter partes

per injuſtam actionem, qua Jus aliquod naturale aut reale violatur; vel per actionis debitæ omiſſionem, qua juris alicujus perſonalis expletio detrectatur. Confer. *Grot. Lib. II. c.* 1. *ab init.* Carmich.

(*k*) *Offenſivum dicitur*]. Dicitur ita per uſum vocabulorum tyrannum: re ipſa bellum offenſivum ſecundum juris præcepta non datur: offendere enim neminem licet: nec injuſtus invaſor, cujus vim repello, offendi proprie dicendus eſt. De bello punitivo, quod Grotius finxit & recentiores nonnulli recoquunt, conſtabit ex not. præced. *cap.* 13. §. 4. Treuer.

§. III. Dubium in bellis ſuſcipiendis oriri ſolet, vel ex ignorantia facti, vel ex obſcura interpretatione juris ſtricti, vel ex illiquida proportione utilitatum, quas ex bello ſuſcepto vel intermiſſo ſperare liceat, uti Cl. Treuer bene obſervavit. (2) Atque his in caſibus non modo honeſtius ſed etiam tutius eſt, tres vias molliores ex Grotio II. *c.* 23. §. 7. *ſeqq.* allatas, amplecti; licet manifeſto læſus viam amicabilem ingredi non teneatur; quia ſub petito colloquio ſæpe inſidiæ latent, & via compromiſſi a potentioribus plerumque ſpernitur. (3) Non etiam convenit regulis prudentiæ conſilium Grotii *d. l.* §. 8. de univerſali tribunali conſtituendo, quod inter moraliter impoſſibilia eſt referendum. Simile fœdus Henricus IV. molitus eſſe dicitur in *Memoires du Duc de Sully t.* 11. *pag.* 413. ſed alii cum Victorio Siri de eo dubitarunt. Otto.

(*l*) *Neque tamen confeſtim*]. Socialitatem prohibere, ne ſtatim in bellum ruamus, ſatis certum eſt, add. *d. c* 6. §. 4. Uti tamen exinde ſolennium indictionum neceſſitas non ſequitur, ita, ſi adverſarii ambitio improbitaſque ſatis manifeſta ſit, non conſultum fuerit mollioribus remediis, alteri ludibrium ſaltem debituris, tempus fruſtra terere. Titius.

Vide *Grotium Lib. II. c.* 24. Carmich.

(*m*) *Dubii aliquid*]. Vide *Grotium Lib. II. c.* 23. Idem.

(*n*) *Poſſit componi*]. Is, qui manifeſto læſus eſt, eo ipſo jus habet vindicandi injuriam inlatam vi bellica: penes ipſum ergo eſt aut illud jus ſtatim proſequi, aut eidem ad tempus renuntiare. Stricto jure non obligatur ad tentandas vias amicas: honeſtiſſimum tamen eſſe nemo negabit, leniora adminicula prius adhibere, quam ad arma procedatur:

Nam pendere ſolet belli fortuna, diuque
Inter utrumque volat dubiis victoria pennis.

Quo-

Digitized by Google

tes inſtituto, provocatione ad arbitros facta, aut re ſorti commiſſa. Præcipue autem hæc via tentanda illi, qui petit, quippe cum poſſeſſionem cum aliquo titulo favor utique comitetur.

dict. §. 4.

IV. Injuſtæ belli cauſæ quæ & quales.

Injustæ porro bellorum causæ (*o*), vel aperte tales ſunt, vel colorem aliquem, licet dilutum, admittunt. Illæ ad duo potiſſimum capita referuntur, avaritiam & ambitionem, ſeu habendi, & dominandi libidinem. Hæ variæ ſunt; puta,

Quoniam autem ad officia humanitatis jure perfecto gentes non obligantur; pactis ſpecialibus opus eſt, quibus ſe invicem perfecte obligent ad amicas vias prius tentandas, quam bello injurias vindicent. Inluſtrat hoc *pacis Olivenſis art. XXXV.* §. 2. 3. *Si contingat unam partem ab altera, vel plures a pluribus, gravi aliqua injuria, citra tamen vim armorum, vexari; non licebit ideo læſo ad arma ſubito recurrere; ſed ante amicabilis componendarum hujusmodi controverſiarum ratio ineunda erit, videlicet, ut læſus, accepta injuria, ſi immediate cum lædente convenire nequeat; alios paciſcentes moneat, & commiſſio generalis omnium paciſcentium nomine inſtituatur ad læſi confinia, intra ſpatium quatuor menſium, in quo inter deputatos utrimque commiſſarios negotium diſcutiatur &, ſi poſſibile erit, intra quatuor ad ſummum alios menſes terminetur. Si vero lædentem refractarium ad æqua, quæ proponentur, media deprebenderint; tunc læſis licebit, facta tamen prius legitima belli denuntiatione, jus ſuum armis proſequi, & bellum, ut ſupra ſtatutum eſt, lædenti inferre.* Treuer.

§. IV. Diſtinguendum eſt (1) inter cauſas belli juſtificas, quibus belli juſtitiam in publicis manifeſtis peroramus, & ſuaſorias. (2) A cauſis ſeparandi ſunt colores, ſeu prætextus, quos vocat Suet. *Cæſ. c.* 30. (3) Alia ſunt belli principia, ſeu primi partium conflictus, etſi hæc ſæpe confundantur. vid. Grot. II. *c.* 1. §. 1. & *c.* 22. §. 1. Metum ſane ex potentia vicini tunc demum inter cauſas agnoſcimus, ſi mediis injuſtis potentia augeatur: alias a poſſe ad eſſe non valet conſequentia, & argumenta diſſentientium eo redeunt, licere opem ferre Principi a potentiore invaſo, quod extra controverſiam eſt poſitum. Idem de utilitate jure deſtituta, & conſilio novas quærendi ſedes eſto judicium. Otto.

(*o*) *Injuſtæ porro bellorum cauſæ*]. Injuſtas bellorum cauſas earumque colores recte ſatis Auctor explicat, niſi quod *denegatio eorum, quæ ex ſimplici aliqua virtute debentur*, aliquando juſta belli cauſa eſſe queat, add. *d. c.* 6. §. 5. præterea gentibus bellicoſis non deſunt prætextus plauſibiliores, quibus injuſtitia belli involvi poſſit. Ex his ergo liquet, quod bellum ratione *cauſæ* ſit vel *juſtum*, quod injuſtam offenſionem præſupponit, nec favore belli defenſivi excidit, licet vim inferat; vel *injuſtum*, quod ſine cauſa alios lædit, nec defenſive jure utitur, licet vim

ta, metus ex opibus & potentia vicini (*p*), utilitas jure deſtituta (*q*), amor ſedes meliores parandi, denegatio eorum, quæ ex ſimplici aliqua virtute debebantur, ſtoliditas poſſeſſoris, cupido extinguendi jus alterius legitime quæſitum, quod nobis paulo moleſtius videtur: & ſimilia.

J. N. & G. *l.* VIII. *c.* 6. §. 5.

V. Dolus absque perfidia in bello licitus.

Etſi autem MODUS AGENDI (*r*) IN BELLO maxime proprius ſit vis & terror: non minus tamen adver-

vim illatam repellat. Præterea bellum, ratione *modi gerendi*, juſtum vel injuſtum eſſe poteſt, quo ſenſu, raro omni ex parte bellum juſtum reperies. TITIUS.

Vide *Grotium lib. II. cap.* 22. CARMICH.

(*p*) *Potentia vicini*]. Metus ille non eſt juſta belli cauſſa, ſi abſolute ſpectetur: nam in ejusmodi metu, ſi vel maxime probabile ſit, nobis periculum imminere; cautio de non offendendo prius exigi poterit: quæ præſtatur obſidum datione, oppidorum caſtellorumque in cautionem traditione &c. quibus ita ſolet caveri genti, ut extra periculi aleam ponatur: vel parari poſſunt adminicula ſe defendendi ſine actuali belli illatione per fœdera, per limitum munimenta, caſtella firmata, copiarum adparatum. Vid. hac de materia peculiarem diſſert. STAALKOPFII *Gryphisw.* 1711. *hab.* quam oppoſuit celeb. GUNDLINGIO, qui eamdem defendit diſſ. *de ſtatu naturali Hobbeſii &c. & t. III otiorum c.* 5. ita tamen, ut ſupponat, metum illum moraliter certum eſſe. TREUER.

(*q*) *Utilitas jure deſtituta*]. Quorſum pertinet ea ratio, qua adfertur, aliter pacem internam reipubl. haud conſtare: uti ad FRANCISCUM I dixit olim CAROLUS V. *Nos populis cholericis imperitamus: ſi nos non bella aliis inferamus; ipſi noſtri ſubditi inferent nobis.* BESOLDUS *diſſ. de bello belliquе jure p.* 9. *ex* PIERRE MATHIEU *l. I. fol.* 66. Vel ELISABETHÆ Angliæ reginæ conſilium: *Son conſeil lui avoit inſpiré cette maxime, que pour vivre chéz elle en repos, il falloit troubler celui de ſes voiſins & entretenir leurs diviſions. Memoire de* MELVIL. *t. I. p.* 134. IDEM.

§. V. Hoſtis illimitatum nocendi habet propoſitum, & vincula ſocietatis abrumpit, ergo non modo vi aperta, ſed etiam dolo, & ſtrategematibus in ſermone adſerente, non vero in promittente, lædi poteſt, ut pax obtineatur. Virgil. II. *Æneid. vſ.* 390. *Dolus an virtus quis in hoſte requirat?* Plene hoc argumentum Grotius tractavit III. *c.* 1. §. 6. 17. & 18. Ampl. etiam Bynkershoekius I. *Qu. jur. publ.* 1. monuit, vulgo juſtitiam, de qua ſola nos quærimus, cum animi magnitudine peſſime confundi, quæ a mera voluntate proficiſcitur, nec ab invito exigi poteſt. Diſſentienti Ameſio, niſi fallor, ſatisfeci in *Diſſert. X. de Dolo bono c.* 2. §. 2 OTTO.

(*r*) *Etſi autem modus agendi*]. Poſita juſta belli cauſa dubitandum non eſt, quin quavis ratione hoſti nocere liceat: in ſpecie adeo id fieri poteſt per ſermonem, modo ſtatus belli revera adhuc

dus

verſus hoſtem fraude ac dolo uti licet (*s*), modo fides data non lædatur. Inde hoſtem licet decipere ſermone aſſertivo, ſeu per fictas narrationes (*t*); nequaquam autem per promiſſa aut pacta.

J. N. & G. *l.* viii. *c.* 6. §. 6.

VI. Vi in bello adhibendum modeſtamen.

Circa vim, quæ (*v*) in bello adhibetur adverſus hoſtem ejusque res (*x*), diſtinguendum eſt inter id, QUOD HOSTIS SINE INJURIA PATI POTEST, & QUOD IPSI SALVA HUMANITATE NOS INFERRE POSSUMUS (*y*). Qui enim hoſtem ſeſe mihi declara-

ra-

duret, quod ſi vero hoſtilitas expreſſo vel tacito pacto ſublata ſit, tum ſicut aliis actionibus, ita etiam ſermone hoſti damnum inferre nefas erit, add. *d. c.* 6. §. 6. *l.* VIII. *c.* 11. §. 5. Grot. *l.* III. *c.* 1. §. 18. quemadmodum etiam de hoſte, qua tali, falſa crimina ſpargere illicitum putatur: vid. *l.* IV. *c.* 1. §. 19. quod tamen non ſimpliciter admittendum. Titius.

(*s*) *Fraude ac dolo uti licet*]. Stratagematibus doloſis & aſtu omnino uti licet: quia hoſtis in ſe mihi indulget facultatem in infinitum: (2) dolus malus tum ſolum fit, quum fides hoſti data fallitur: (3) cum compendio, cumque ſalute totius exercitus pax externa commode reſtitui poteſt. vid Gassendum *de philoſ. Epicuri t. II. fol.* 126. *col.* 2. Xenophontis *Cyropædia l. I.* de la Mothe le Vayer. *t. II. lett.* 37. *p.* 538. Lipsii *polit. l. V. c.* 17. Machiavell. *l. III. diſp.* 40. Treuer.

(*t*) *Per fictas narrationes*]. Vide quæ contra adnotavimus ſupra *Obſ. in l. I. c.* 10. §. 9. Carmich.

§. VI. Late Grotius III. *a c.* 4. *ad c.* 8. explicavit, quid jus belli externum in hoſtem permittat vaſtando, eripiendo, & in ſervitutem redigendo: neque enim mala belli magis, quam vulnera ad menſuram infligi poſſunt: neque dux militem ita, ac judex lictorem, cohibere poteſt: ac ſufficit, præcepta humanitatis, & regulam de non lædendis aliis, inter hoſtes ceſſare: denique licita eſſe media omnia, quibus ad finem belli, id eſt, ad pacem venitur. Quod ſi autem hoſtis ſat fractus, temperamentis opus eſt; inter meros etiam gladios decorum bellicum, *la raiſon de guerre*, obſervari debet; de quibus rurſus Grotius III. *a c.* 11. *ad* 16. Otto.

(*v*) *Circa vim, quæ*]. Recte ait Auctor *h.* & *d. l.* VIII. *c.* 6. §. 7. quod læſio bellica in infinitum extendi queat, habet enim hoſtis illimitatum nocendi propoſitum, ac propter ejus reſiſtentiam bellator juſtus mala inferenda non perinde dirigere poteſt, ac judex mala pœnalia temperare poteſt & debet, vid. *c.* 13. §. 4. h. l. lit. (*v*). *n.* 6. Titius.

(*x*) *Ejusque res*]. Vide *Grotium l. III c.* 1. *ab init.* Carmich.

(*y*) *Inferre poſſumus*]. Ita non diſtinguit jus naturæ: hoc monitum principia honeſti admiſcet principiis juſti, ideoque abundat in hoc capite: quilibet enim intelligit, multas dari virtutes circa hoſtem, multa vitia: quæ tamen hic loci tractanda non ſunt; ſed ad decorum ſpectant. Treuer.

ravit (*z*), cum in hoc ipſo ſit profeſſio extrema mala mihi intentandi, eo ipſo quoque, quantum in ſe, mihi indulget facultatem adverſus ſe in infinitum. Humanitas tamen jubet (*a*), ut, quantum armorum impetus patitur, non plus mali hoſti inferamus, quam defenſio, aut juris noſtri vindicatio, & in poſterum ſecuritas requirit.

J. N. & G. *l.* viii. *c.* 6. §. 7.

VII. Bellum ſolenne, minus ſolenne.

Solet bellum dividi (*b*) in SOLENNE & MINUS SOLENNE (*c*). Ad illud requiritur, tum ut geratur auctore utrinque eo, qui ſummum habet impe-

(z) *Declaravit*]. Vid. *Lockium Tract. Poſt. de Imperio c. III.* §. 7. Carmich.

(a) *Humanitas tamen jubet*]. Quando autem vires injuſti adverſarii ita ſunt fractæ, ut bellator juſtus mala imponenda dirigere ſere poſſit, tum leges ſocialitatis proceſſum erga delinquentes obſervandum, hic quoque præcipiunt; hinc eatenus lædi poteſt, quatenus damnum reparandum, impenſæ repetendæ, cautio exigenda, aut etiam delinquentis malitia coërcenda & expellenda, add. *l. I. c.* 5. §. 13. litt. (*o*). (*p*). (*r*). Titius.

§. VII. Grotius III. *c.* 3. §. 6. *n.* 1. agnoſcit, jure naturæ indictionem belli, ut ſit legitimum, non eſſe neceſſariam; ſed jure gentium interpellationem & publicam denunciationem, per manifeſtum aut feciales declaratam, in mores tranſiiſſe: atque ita Gentilis, Huberus aliique. (2) Thomaſius autem *ad Huber. de Jur. Civit. III. ſect.* 4. *c.* 4. *n.* 27. ex regulis prudentiæ, decori & humanitatis repetit, quod moratiores populi bella, ut plurimum indicta, geſſerint; neque morem hunc Achæorum & Romanorum, quo bella ſæpe injuſta tegebant, alias gentes obligare, nec belli effectus ceſſare, ſi indictio fuerit omiſſa. vid. Serv. ad Virg. IX. *Æneid. vſ.* 53. Briſſon. *de Form. p.* 343. (3) Plane ſi conſtat, partem adverſam, quæ noſtra tenet, ea reſtituere nolle, fruſtra denunciatio requiritur: quia ejus non alius foret fructus, quam ut is bellum parandi ſpatium nanciſceretur. (4) Alioquin vero, uti nemo vir honeſtus civem non admonitum in jus rapit, ita Imperans male morati notam incurret, qui bellum offenſivum ſuſcipiat, ſine ſpatio deliberandi conceſſo, num adverſarius cedere, an contendere malit. vid. Boeclerus *de Manifeſtis & Clarigatione*, Ziegl. ad Grot. III. *c.* 3. & III. Bynkershoek. I. *Quæſt. Jur. publ. c.* 2. Otto.

(b) *Solet bellum dividi*]. Diviſio hæc eſt ex Jure Gentium, id eſt, ex nuda gentium conſuetudine, quæ bello juſtitiam neque conciliat, neque aufert, hinc exigui momenti cenſeri debet, add. *d. c.* 6. §. 9. Grot. *l. III. c.* 3. ſed ita agunt homines: quo magis actiones eorum corruptæ & improbæ eſſe ſolent, eo magis de externo colore & ſplendore ſunt ſolliciti. Titius.

(c) *Solenne & minus ſolenne*].

Hæc

perium, tum ut præceſſerit indictio (*d*). Minus ſolenne eſt, quod denunciatum non eſt, aut quod

Hæc diviſio magis ex conſuetudinibus gentium, quam jure naturæ deducenda, quod indictionem ad bellum non requirit, & in bello in hoſte tantum eam qualitatem reſpicit, quod ſit hoſtis; ſive ſit privatus, ſive ſummus imperans: cui nulla ſit injuria, ſi ejus vis ſine prævia denunciatione vi repellatur. vid. Thomas. *ad Huber. de J. C. l. III. ſect.* 4. *c.* 4. *n.* 27. Treuer.

(*d*) *Indictio*]. *Indictio* (ut recte *Grotius* monet *l. III. c.* 3. §. 7.) vel eſt *conditionata*, quæ cum rerum repetitione conjungitur, & bellum gerendum aliquo temporis intervallo præcedit; vel *pura*, quæ bellum jam nunc geri incipiens comitatur. Quo caſu alterutra jure naturali ſit neceſſaria, ex utriusque fine & ſcopo eſt colligendum. *Puræ Indictionis* finis eſt, ut declaretur, quodnam ſit illud jus, cujus tuendi vel exequendi cauſa bellum geritur: *Conditionatæ* vero, ut inſuper innoteſcat, non poſſe citra bellicam vim illud, quod ut jure noſtrum, vel nobis debitum, vendicamus, obtineri. Hinc ſequitur, 1. ut recte ſuſcipiatur defenſio adverſus injuſtam aggreſſionem, ſi vel nulla cauſæ declaratio præceſſerit, vel ea fuerit manifeſte injuſta, vel tempus ad reſpondendum non ſit datum, nullam a parte defendentis declarationem naturaliter requiri. Ubi vero Belli inferendi declarata fuit ſpecioſa cauſa, utpote conſtans factis, quæ ſi vera eſſent, nec eorum conſequentia per alia facta poſſet elidi, ad aggreſſionem juſtificandam ſufficerent; illic teneri putaverim Defendentem, primo quoque tempore vel iſta facta negare, vel alia evincere, quibus (licet iſta ſint vera) Aggreſſoris petitio elidatur. Quin & ſi nulla aggreſſionis cauſa declarata fuerit; tamen ſi defenſio ſit exequenda per actus offenſivos, non modo adverſus ipſum aggreſſorem, ſed adverſus ejus ſubditos, vis illatæ non participes, nec forte conſcios, (qui & ipſi quo nomine teneantur, dixi ſupra ad *c.* 10. §. 2.) in hujusmodi caſibus ſemper eſt tenendum, ſingulis, quibus directe vis infertur ejus inferendæ cauſam debere innoteſcere, ut & tempus concedi ad illud præſtandum, quod ab iis petitur; niſi ad pœnam vis inferatur, cui Cives innocentes ob delictum publicum non eſſe obnoxios ex dictis patet. Sequitur, 2. ubi ipſis nocentibus ad pœnam capitalem ab iis exigendam bellum infertur, illic non requiri Indictionem conditionatam; requiri tamen puram; nunquam enim cuiquam vis inferenda eſt non ſignificata cauſa, niſi ex ipſa re ea ſatis innoteſcat. Idem forte eſt dicendum de violenta occupatione ejus, qui manifeſtis indiciis vim nobis inferendam meditari ſe oſtendit; hic ſc. requiri Indictionem puram, quæ violentam occupationem comitetur; non conditionatam, quæ eam præcedat, ſi hæc rebus noſtris noxia eſſet futura. 3. Denique ſequitur, ubi ob aliam quamcunque cauſam bellum infertur, requiri Indictionem præviam, ſive conditionatam; ſaltem ut ante illatam vim alteri ſatis ſignificetur, quid ſit id, quod petitur; atque ex omiſſa ejusdem præſtatione innoteſcat ad juris iſthac in parte proſecutionem neceſſario vim adhiberi. Neque hic excipio caſum, quo quis rei ſuæ manum velit injicere; ſi forte eam injicere non poſſit citra noxam aliis, a quibus ſc. ea res cuſtoditur, illatam. Ubi vero expreſſa anteceſſit Indictio conditionata, illic omiſſa præſtatione requiſita, ſequi Indictionem puram non eſt neceſſe; quæ tamen omni-

quod in privatos geritur. Quo etiam pertinent bella civilia.

J. N. & G. *l.* viii. *c.* 6. §. 9, 15.

(*e*)

no videtur adhibenda, ubi implicita tantum præceſſit Indictio conditionata, in debiti ſc. exactione involuta.

Sed hæc, quæ diximus, pertinent ad actuum bellicorum juſtitiam, quatenus ea *Jure Naturali* definitur. Alia eſt ratio *Indictionis*, quatenus ea ad Belli *Solennitatem*, atque ad Belli ſolennis effectus, *Jure Gentium* in ſpecie ſic dicto definitos, requiritur: unde & hic locus videtur exigere, ut de *Jure Gentium*, quatenus a *Jure Naturali*, recte an ſecus, diſtinguitur, nonnulla breviter notemus.

Juris *Naturalis* atque *Gentium* appellationes promiſcue quandoque uſurpantur: ſæpius vero Jura, vel ex toto vel ex parte ſaltem, diverſa intelliguntur notare: ſed a variis varie explicatur iſta diſtinctio. Nonnulli, inter quos *Hobbius*, Jus *Gentium* volunt eſſe alterum membrum Juris *Naturalis*; hoc ſc. vel eſſe Naturale *Hominum*, vel Naturale *Civitatum*: quod poſterius appellari volunt (nec aliud ab hoc agnoſcunt) *Jus Gentium*. Plerisque vero Jus *Gentium* latius patet quam *Naturale*. Non moror eos, qui ad Jus Gentium iſta omnia referunt, quæ ab omnium, vel plerarumque, vel certe moratiorum Gentium, Inſtitutis civilibus, ſeu introducta, ſeu approbata inveniunt; cum illud ſolum jus Gentium ſit huius loci, quod ad *mutuam Gentium inter ſe Societatem* pertinet, ut loquitur *Grotius l. II. c.* 8. §. 1. Nec ab altera parte huc ſpectat *Ulpiani* Philoſophia, illud ſolum pro Jure Naturali agnoſcentis, *quod Natura docuit omnia Animalia*: Jus enim Naturale non ex animalium brutorum inſtinctu, ſed e rationis dictamine eſſe æſtimandum, omnes fere hodie conſentiunt. Rectius non pauci, tum *Naturalis* tum *Civilis* Juris interpretes, Juris *Naturalis*, Jurisque *Gentium* in ſpecie ſic dicti, diſtinctionem explicant, ſecundum duas iſtas *Juris Gentium* definitiones, quas proponit Imperator *Inſt. l. I. tit.* 2. §§. 1. & 2. Illud ſc. Jus Gentium, quod definitur *d.* §. 1. *Quod naturalis ratio inter omnes Homines conſtituit*, quodque interpretibus dicitur Jus Gentium *Primarium*, eſt ipſiſſimum Jus *Naturale*; quod vero definitur §. 2. quod ſc. *uſu exigente, & humanis neceſſitatibus Gentes humanæ ſibi conſtituerunt*, quodque iisdem interpretibus dicitur *Secundarium*, eſt ipſum Jus *Gentium* ſpecialius ita dictum, *Grotio Voluntarium*.

Hac vero in parte erraſſe mihi videntur celeberrimi quidam Juriſconſulti, (vide *Vinnium* ad *dd.* §§. & *Huberum de J. C. l. I. ſect.* 1. *c.* 5.) quod Jus Gentium *Primarium*, quod idem eſſe agnoſcunt cum *Naturali*, reſtringant ad ea, quæ *immediate* innoteſcunt, ſive intellectu, ut loquuntur, *noëtico* cognoſcuntur; ad *Secundarium* referentes, quæcunque intellectu *dianoëtico*, hoc eſt, non ſine Argumentationis beneficio, diſcernuntur; quaſi ex principiis neceſſariis, & immutabilem veritatem habentibus, quæ deducuntur concluſiones, Hominum arbitrio poſſent eſſe mutabiles. Imo contra eſt dicendum, Principiorum moralium, atque Concluſionum ex iis fluentium, æque neceſſariam, æque immutabilem, eſſe veritatem: haud inficior, concluſiones iſtas ſæpe certa hominum facta ſupponere; nec tamen eo minus neceſſario & immutabiliter verum eſt, illis factis ſuppoſitis, certa jura, & certas correſpondentes

ob-

(*e*) JUS BELLUM MOVENDI (*f*) in civitate, uti eſt penes eum, qui ſummum habet imperium; ita iſtud uſurpare, citra delegatam ab illo facultatem, ſupra menſuram magiſtratus eſt, etiam ubi hic con- VIII. Jus bellum movendi penes Imperantem eſt.

obligationes, locum habere: neque enim de iis tantum agit Naturale Jus, quæ citra voluntatem humanam exiſtunt; ſed de multis etiam, quæ voluntatis humanæ actum conſequuntur; ut recte *Grotius* monuit *l. I. c.* 1. §. 10. qui idcirco, quicquid rectæ rationis dictamine, ſeu immediato, ſeu mediato, ex ipſa rerum natura cognoſcitur eſſe a DEO præceptum aut vetitum, merito refert ad Jus *Naturale*; ad Jus autem *Gentium voluntarium* ea ſola, quæ ex Gentium omnium, aut multarum voluntate vim obligandi acceperunt.

De hoc quidem *voluntario Gentium Jure* haud parum diſputatur; idque tum de ejus *appellatione*, tum de *vi obligandi*. Et de *appellatione* quidem ſatis manifeſtum eſt. *Jus Gentium voluntarium*, cum a *Superiore* non proficiſcatur, proprie accepto *Juris* nomine inſigniri non poſſe. De ejus *Obligatione* difficilior eſt quæſtio, an non ſc. ea, quæ omnium aut certe plerarumque, aut moratiorum Gentium, invicem vicinarum, moribus ſunt introducta, vim ſaltem habeant *Pacti impliciti*, ſeu inter eos, quorum intereſt tacite initi, & a quo nefas ſit recedere. Nobis hic *media* ſententia videtur tenenda, eatenus ſc. ſingularum Civitatum Rectores ad iſtas conſuetudines obſervandas adſtringi, ut ab iis recedere non oporteat in fraudem aliarum Gentium, hoc eſt, aliis quoad ipſorum intereſt, non tempeſtive præmonitis: ulterius vero hanc obligationem non eſſe extendendam, ubi nulla ſpecialior, magisve expreſſa conventio interceſſit.

Quæ hocce voluntario Gentium jure, vel antiquitus fuerunt, vel hodie ſunt recepta, non eſt hujus loci ſingula recenſere. Præcipua nonnulla, utpote ad *Belli Jus* pertinentia, in primis vero ad effecta, quæ *Bello publico & ſolenni* plerisque Gentibus placuit tribuere, infra erit occaſio obiter notandi. Ad hæc autem effecta requiritur ut *h.* §. Auctor noſter monet; non tantum ut Bellum geratur, *Auctore utrinque eo, qui Summum habet Imperium*, ſed ut *publice Indictum*, ſeu denunciatum fuerit, ab altera ſaltem parte. Cum vero hæc *Indictio*, quatenus jure Gentium ad dictos fines requiritur, non alio collineet (ut vult *Grotius l III c.* 3. §. 11. ubi tamen vide, quæ annotavit *Barbeyracius*) quam *ut certo conſtet, non privato auſu, ſed voluntate utriusque Populi, aut Populi Capitum, geri Bellum*; huic conſonum eſt, non requiri (quod idem Vir ſummus monet §. 13. *ibid.*) ut Indictio Bellum ullo temporis intervallo antecedat: addo: nec forte, ut ſpeciales Belli cauſas exponat; licet cauſarum declaratio, in iſta Indictione, quæ ad Belli juſtitiam Juri Naturali definitam requiritur, præcipue ſit ſpectanda. CARMICH.

§. VIII. Ne incidamus in logomachiam, diſtinguenda ſunt ſequentia: (1) In ſtatu naturali quilibet ſeſe defendere poteſt. (2) In civili jus belli in ſummam poteſtatem eſt collatum, in quantum ſecuritas civitatis id poſtulat; cumque in finem jus arma parandi, militiam conſcribendi, jus ſequelæ, metatorum, præſidii & fortalitii ei eſt conceſſum. (3) Præſides & magiſtratus vim tantum arcere, non autem inferre poſſunt, licet juſtam cauſam habeant; niſi adverſus ſubiectos contumaces, vel ſi mandatum eorum eo ſeſe ex-

conjicit, ſummæ poteſtati, ſi conſuleretur, placiturum (*g*) heic, & nunc bellum geri. Etſi omnibus, qui alicui provinciæ aut loco munito, cum copiis militaribus præficiuntur, ex fine muneris ſui, id quoque injunctum intelligatur, ingruentem hoſtem quovis modo a locis ſibi commiſſis repellere: ut tamen non temere bellum in ditionem hoſtilem transferant.

J. N. & G. *l.* VIII. *c.* 6. §. 10, 11.

IX. Quæ privata inju- Cæterum ut qui (*h*) in naturali libertate vivit, ob

extendat; quod in longe diſſitis provinciis Gubernatoribus Hiſpanorum, Luſitanorum & Belgarum fieri poteſt. (4) Privati in caſu neceſſitatis, & ubi judicem exſpectare ſerum eſt, jus armorum habent adverſus latrones, piratas & injuſtos invaſores, quaſi reviviſcente ſtatu naturali: Grotius I. *c.* 3 §. 1. *& ſeqq.* Otto.

(*e*) §. VIII. Conf. quæ dicta ſunt ad cap. antec. VII. §. 5. Reſtringitur & circumſcribitur illud jus vel per pacta *fundamentalia*, vel per ſedera. Treuer.

(*f*) *Jus bellum movendi*] In Statu Naturali quivis ſe defendere poteſt, & eo ſenſu unicuique jus belli gerendi competit, vid. Grot *l.* *I.* *c.* 3. §. 1. 2. 3. Conſtitutis vero civitatibus, ad has earumque capita illud jus tranſlatum eſt; hinc Magiſtratui, qua tali, poteſtas illa non competit, niſi in quantum ei fuerit delegata. Multo minus privatis eadem tribui poteſt, niſi in caſu neceſſitatis, aut ubi per inteſtinas calamitates in illum ſtatum deducta eſt civitas, ut auxilium impertiri nequeat, vid. *d.* *c.* 6. §. 8 10. 11. Id autem facile liquet, Imperantibus jus belli non aliter competere, quam quatenus leges ſocialitatis ac ſtatuta, civitatibus propria, permittunt. quas reſtrictiones ſi Imperantes ambitioſi & turbulenti obſervarent, dubio procul pauciora inter homines forent bella. Titius.

(*g*) *Placiturum*]. Vide *Grotium lib. I. c.* 3. §. 5. Carmich.

§. IX. Quia libertas naturalis ſubjectis eſt integra, nec Imperans præſtare poteſt, ne delinquatur; hinc ob injurias ab uno vel paucis illatas bellum ei moveri non poteſt; niſi ex patientia vel receptu. Ad *patientiam* requiritur ſcientia delicti & facultas prohibendi, tumque ab obligatione patris vel domini ſervum peccare non vetantis, cum vetare poſſet, argumentum ducitur, ut fuſe Grotius II. *c.* 21. qui tamen perperam cum patre pœnam communicari ſcribit; quum ipſe, tanquam cauſa maleficii moralis, puniatur, *l.* 1. §. 1. *D. Si fam. furt. l.* 50. *D. de R. J.* (2) In *receptu* intereſt, an recipiam noxios illuſtres, ut hoſpites privatos, an vero tanquam hoſtes: ut priores dedendi ſint, opus eſt pacto; qui vero hoſtilia molientem recipit, delicti ſe facit participem. (3) *Facinoroſos* alioſum pœnæ declinandæ cauſa fugientes, non licet defendere, ne delicta maneant impunita, ſed puniendi ſunt, vel dedendi: ut vero dedantur. magis gratum eſſe ſolet Reipublicæ, in qua

Digitized by Google

ob injurias tantum, abs ſe patratas bello poteſt peti: ita in civitate ſæpe bello INVADITUR RECTOR CIVITATIS, aut TOTA CIVITAS (*i*), etſi iſti auctor injuriæ non fuerit. Sed, ut recte hoc fiat, neceſſum eſt, ut injuria iſta aliquo modo in illum tranſierit (*k*). Ac rectores quidem civitatum ex injuriis per antiquos cives, aut qui recens ad eos confugiunt, patratis participant, ſi PASSI fuerint eas patrari (*l*), aut ſi RECEPTUM præſtent. Ut patientia ſit culpabilis, requiritur, ut quis & ſciat delinqui, & poſſit prohibere. Sciri autem a rectore civitatis præſumitur, quæ a civibus aperte & frequenter fiunt. Facultas prohibendi ſemper præſumitur, niſi ejus defectus manifeſte probetur. Ut tamen, qui noxium (*m*), ad ſe confugientem, pœnæ

ria fundat juſtum bellum.

qua ſcelus eſt patratum, quo eodem in loco, ubi ſcandalum datum, exemplum ſtatuatur. Atque ita olim in vaſto Imperio Romano transmiſſio erat neceſſitatis, hodie vero eſt humanitatis, *l.* 22. *D. de Accuſ. Nov.* 134. *c.* 5. (4) Civis autem vel advena aperte *innocens*, hoſti poſtulanti non tradi, ſed deſeri poteſt, ut capite unius civis pax redimatur, *Job.* XVIII. *vſ.* 14. vid. Grot. II. *c.* 25. §. 3. OTTO.

(*h*) *Cæterum ut qui*]. Bellum geritur contra eos, qui nos lædunt, vel qui lædentibus antecedenter vel conſequenter accedunt, quod qua ratione fiat, hic ſatis exponitur, add. *d. c* 6. §. 12. Grot. *l. II. c.* 21. §. 2. Cæterum ut ob injurias privatas civitas aliqua bello ſit invadenda, id rarius contigerit; civitas enim imbellis bellum non expectabit, ſed ſatisfactionem offeret, contra potentem vero infelici ſucceſſu id ſuſcipietur, adeoque ejus omiſſionem prudentiæ dictamina facile perſuadebunt. TITIUS.

(*i*) *Aut tota civitas*]. Civitatem enim ex rectoris actionibus teneri manifeſtum eſt: quia omnes voluntates civium in eum delatæ ſunt; adeoque ſumma poteſtas ipſa civitas. TREUER.

(*k*) *In illum tranſierit*]. Id eſt, ut rector civitatis aut tota civitas injuriæ fuerit cauſſa moralis, ita, ut eidem recte injuria iſta imputari poſſit: cujus cauſſæ adfectiones ex lib. I. conſtant. IDEM.

(*l*) *Si paſſi fuerint eas patrari*]. Quod ſupra monuimus, ad omne Bellum offenſivum, dempto eo quod pœnæ capitalis infligendæ cauſa infertur, præviam regulariter, ſeu conditionatam Indictionem requiri, id præcipue eſt tenendum, ubi Rector Civitatis, ob injurias a Civibus patratas, utcunque ipſi imputabiles, invaditur: præſertim cum Belli, quod adverſus ipſum præteritæ injuriæ Auctorem rei perſequendæ gratia geritur, immediata cauſa, non tam ſit prius illata injuria, quam præſens voluntas in ea perſeverandi, hoc eſt, ejus penſationem non præſtandi; quæ voluntas ex ſpreta demum Indictione conditionata colligitur. CARMICH.

(*m*) *Ut tamen, qui noxium*]. Verius

pœnæ duntaxat declinandæ cauſa recipit & protegit, bello peti poſſit, id magis ex peculiari pacto (*n*) inter vicinos & ſocios, quam cummuni aliqua obligatione provenit; niſi iſte profugus apud nos hoſtilia in eam civitatem, quam deſeruit, machinetur.

J. N. & G. *l.* viii. *c.* 6. §. 12.

X. Repreſſaliæ, præjudia bellorum.

Sed & illud inter gentes (*o*) receptum, ut pro de-

rius eſt, quod civitas etiam ſine pacto prævio ad receptum dedendum obligetur, modo is verum delictum commiſerit, & videtur Auctor ex falſa hypotheſi, quaſi delinquens ad pœnam non obligetur, in oppoſitam ſententiam deveniſſe, ſed licet abſolute ad pœnam delinquens non teneatur, hactenus tamen omnino tenetur, ut quicquid Imperans juxta leges ſocialitatis in ipſum decreverit, ſine injuria ei queat imponi, ex quo jus perſequendi, eique reſpondens dedendi neceſſitas etiam reſultat, vid. Grot *l.* II. *c* 21. §. 4. add. *c.* 13. §. 4. h. l. (*t*). Titius

(*n*) *Ex peculiari pacto*]. Imo licet nullum pactum interceſſerit, haud tamen fas eſſe putaverim, adverſus pœnam eum protegere, qui communia Juris Naturalis præcepta manifeſte violaverit: de illis vero, qui ob ſimultates civiles, aut diverſum Sacrorum cultum, patria ſunt profugi, Auctoris ſententia, prout ab ipſo limitatur, tutius videtur admittenda. Confer *Grotii Lib. II Cap.* 21. §§. 2. —— 5. Carmich.

§. X. Repreſſaliæ a *reprimendo*, vel a *re & preſſa* dictæ, differunt a jure talionis, pignorationis & arreſto; quia ſunt executiones violentæ, auctoritate ſummi Imperantis, contra alterius civitatis civem, licet innocentem, ob denegatam juſtitiam ſuſceptæ. (2) Grotius III. *c.* 2. §. 1. eas ex jure gentium voluntario repetit: quia naturaliter ex facto alieno nemo tenetur, *tit. C. Ut null. ex vican. Ne fil. pro patre Nov.* 52. *c.* 1. *Nov.* 134. *c.* 4. (3) Ratio autem earum partim quærenda eſt in habitu civitatum, quæ unam quaſi perſonam eo uſque referunt, ut factum civitatis ſingulis, & factum ſingulorum civitati imputetur, ſi illa ſuo facto, vel non facto, injuriæ ſe participem reddiderit. Partim etiam neceſſitas & utilitas eas ſuaſit, poſtquam orbis in tot minutos dominos ſciſſus eſt, neque expedit propter injuriam, uni noſtrorum civium illatam, confeſtim bellum moliri, vid. Matth. *de Crim. lib.* XLVII. *tit. f. c.* 5. *n* 3. (4) Inter cives autem ejusdem Reipublicæ merito jus illud *marcæ* & *witbernamii*, ut vocant, ceſſat, quia aut principium aut ſpecies belli eſt, quod ſoli majeſtati ſuſcipere competit, *l.* 13. § *f D. de Inj l.* 173. §. *pen. D. de R. J. l.* 4. *C. de Exec. c. un. de Inj. in* 6. Diſſentienti Bodino l. *de Rep. c* 10. Ziegler. *de Jure maj.* l. *c* 34. §. 8. & Hert. in *Diſſ. de Diff. ſtat. nat. & civ. ſect.* 2. §. 7. ſatisfecere. (5) Singulæ Belgii fœderati provinciæ jus habent repreſſaliarum in cauſa propria; in communi vero omnium conſenſu opus eſt. vid. Ampliſſ. Bynkershoek. I. *Qu. Jur. publ. c.* 24. Otto.

(*o*)

Digitized by Google

debito civitatis proprio, aut quod juſtitiam requiſitam non adminiſtrando in ſe derivavit, ſingulorum civium bona teneantur hactenus, ut extranei, quibus debetur, iſtis apud ſe deprehenſis manus injicere queant (*p*): ita tamen ut civibus, quibus hoc modo ſua eripiuntur, refuſio ſit procuranda ab illis, qui debitum contraxerunt. Quales exſecutiones ſolent vocari REPRESSALIÆ (*q*), quæ frequenter ſunt bellorum præludia.

J. N. & G. *l.* VIII. *c.* 6. §. 13.

Bellum gerere poteſt (*r*) non ſolum QUILIBET PRO

XI. Pro altero bellum gerere qui poſſint.

(*o*) *Sed & illud inter gentes*]. Licitum quoque eſt, contra lædentes *Repreſſaliis* uti, quarum indolem ſatis exprimit Auctor *h.* add. *d. c.* 6. §. 13 & differunt illæ ab *arreſtis*, quæ ipſum debitorem ejusque bona afficiunt, ut & *talione*, qua incomodum, quo quis alterum affecit, vel afficere parat, in auctorem retunditur. De cætero non eſt, cur repreſſalias ex Jure Gentium voluntario: cum Grotio *l* III. *c.* 2. §. 2. repetamus, cum ob conſenſum ſubditorum, ex ipſa civitatis conſtitutione colligendum, naturaliter facultas exercendi eas competat, modo juſta cauſa a parte iis utentium ſubſit, id quod, cum cæteris capitibus jam tetigi in *Specim. Jur. Public. l.* III. *c.* 4. §. 65. *ſeqq.* TITIUS.

(*p*) *Manus injicere queant*]. Quo fundamento hoc Jus nitatur, & quomodo ſit circumſcribendum, dixi ſupra ad *cap.* 10 §. 2. unde facile colligitur, non recte id ad ſervitutem, ſeu publicam, ſeu privatam, innoxiis Civibus imponendam, poſſe extendi. Confer. *Grotii lib. III. cap.* 2. CARMICH.

(*q*) *Repreſſaliæ*]. Repreſſaliæ ſunt exſecutiones violentæ privatorum, auctoritate imperantium ſuſceptæ contra cives quoscumque alterius reipublicæ, quæ illis in cauſſa liquida juſtitiam denegavit, ſive ut PESCHWITZ *de repreſſaliis cap.* 1. *p.* 12. eas deſcribit: *Sunt detentio rei vel hominis innocentis illius provinciæ, in qua juſtitia adprehendenti denegata eſt, pro juris & debiti ſui liquidi & probati, ad quod aliter perveniri nequit, conſervatione, a magiſtratu ſuo permiſſa & uſu populorum adprobata.* Jus ergo repreſſaliarum ſpectat ad ſolam majeſtatem, & nititur fundamento juris belli, ex cujus regulis omnis earum violentia dijudicari debet. Vid. ZIEGL. *de jurib. majeſt. l.* I. *c.* 34 SIMON *ad Grot. l.* III. *c.* 2. § 4. ZENTGRAV. *de orig. J. G. p.* 275. *ſqq.* PESCHWITZ *l. c.* EINSIEDEL *de regalibus c.* 2. *n.* 48. TREUER.

§. XI. Imperans tueri debet cives pacto Civitatis ſocios ex fœdere; verum ex humanitatis & prudentiæ regulis agnatis, amicis & quibuslibet, vi injuſta oppreſſis, opem, quam implorant, ferre poteſt: nam ſicut feræ refugium habent petram, ſervi aras Deorum, ita homo hominis eſt ſervator, ut dixit Euripides. (2) Si vero amicis nil promiſſum eſt, non niſi imperfecte ad auxilia obli-

Digitized by Google

PRO SE, ſed & unus PRO ALTERO. Quod tamen ut recte fiat, requiritur in eo, pro quo bellum geritur, juſta cauſa; in auxiliatore autem probabilis ratio, cujus intuitu pro iſto in alium hoſtilia exercere queat. Inter eos autem, pro quibus non ſolum poſſumus, ſed & debemus arma ſumere, primo loco ſunt ſubditi noſtri, non univerſi ſolum, ſed & ſinguli; modo ex hocce civitas non evidenter majoribus malis ſit involvenda. Sequuntur ſocii, in quorum fœdere id comprehenſum eſt. Qui tamen non modo civibus noſtris cedunt, ubi ipſi eodem tempore auxilio opus habent; ſed & apud eosdem juſta belli cauſa, & aliqua prudentia in bello ſuſcipiendo præſupponitur. Hos excipiunt amici, etſi peculiariter id ipſis non ſit promiſſum (*s*). Denique ubi nulla alia ratio eſt, vel ſola communis

ligatur, & nexus aliquis intercedat oportet, ut alium qui ipſum non læſit, hoſtiliter habeat. vid. Grot. II. *de J. B. & P. c.* 25. §. 4. *ſeqq.* (3) Cicero I. *Off. c.* 7. *Præclare ſcriptum eſt à Platone, non nobis ſolum nati ſumus, ortusque noſtri partem patria vindicat, partem amici: atque, ut Stoicis placet, quæ in terris gignuntur, ad uſum hominum omnia creari; homines autem hominum cauſa eſſe generatos, ut ipſi inter ſe, alii aliis prodeſſe poſſent.* OTTO.

(*r*) *Bellum gerere poteſt*]. Bellum gerere poſſumus pro nobis & aliis, nempe ſubditis, ſociis, amicis aliisque innocentibus quibus ſcilicet vel ex pacto, vel ſimplici aut arctiori quadam humanitate ſumus obſtricti, ceu Auctor *h.* deducit, add. *d. c.* 6. §. 14. Recte etiam bellum pro ſubditis alienis a proprio Imperante iniqua tyrannide oppreſſis ſuſcipitur, quamvis ei, qui tale bellum eſt ſuſcepturus, probe antea circumſpiciendum ſit, quid domi agatur, ne gentibus ludibrium debeat, dum in aliis vindicare vult, cujus ipſe reus eſt. TITIUS.

(*s*) *Non ſit promiſſum*]. Amico, cui nihil promiſſum eſt peculiariter, nemo aliter obligatur, quam jure imperfecto: licitum itaque quidem eſt & honeſtiſſimum amico ſuccurrere: jure tamen ſtricte ſic dicto & perfecto non tenemur: nec injuriam facimus amico, cui auxilium non præſtamus. Amicitiæ forum in decoro quærendum. Ad pervidenda hæc juris naturæ placita obſervandum eſt, in quibus hominibus noſtro juri perfecto aliquid detrahatur, ſive inferatur injuria: in quocumque enim non lædimur; pro eo quoque non habemus jus violentæ defenſionis ſive belli. Non autem injuriam patimur, ſi lædatur quivis innocens, quivis amicus, quivis vicinus, ſine ullo alio vinculo perfecto nobis conjunctus: qui eos lædit, noſtro juri nondum quid derogat, nec in ſecuritatem noſtram impingit: non enim exinde ſequitur, certo nobis quoque injuriam imminere. TREUER.

(*t*)

nis cognatio ſufficere poteſt, ut injuſte oppreſſum, noſtra auxilia implorantem (*t*), quantum commode facere poſſumus, defenſum eamus.

J. N. & G *l.* VIII. *c.* 6. §. 14.

Licentia in bello (*v*) eo usque ſe extendit, ut quamvis quis cædes patrando aut res vaſtando atque eripiendo ultra quam humanitas admiſerit, ſit graſſatus: gentium tamen opinione (*x*) pro infami, XII. Licentia in bello quouſque pateat.

(*t*) *Noſtra auxilia implorantem*]. Vel etiam oblata accipientem: Hoſtis certe non eſt inquirere, quibus quis rationibus permotus, alterum, injuſte oppreſſum, defenſum aut vindicatum eat. Vide *Grotii lib. II. cap.* 25. Carmich.

§. XII. Primus belli ſolennis effectus eſt licentia, ſive impunitas externa omnibus modis hoſtem frangendi, ut ad pacem redeat; niſi jure gentium modi quidam viles habeantur; de quibus Zentgravius *de Armis in bello prohibitis*, & Coccejus *de Armis illicitis*, plenius quam Grotius III. *c.* 15. tractarunt. Et (1) quidem videndum erit, an pacta intervenerint, vel an hoſtis illis utatur. (2) Venenum, & uſus belluarum non magis illicita ſunt jure naturæ, quam cædes, per incendium vel famem patrata; ideoque Getæ & Parthi armis venenatis uſi fuerunt teſte Plinio XI. *c.* 53. & Lucano VIII. *vſ.* 304. Sed quia hoſtes ſimiliter veneno in nos uti poſſent; & nimia ſtrages fontibus venenatis ederetur; alii etiam clanculum ſub perſona hoſtis venena poſſent miſcere, & rurſus alii non hoſtes illis perire; ideo novum hic juris Gentium, a jure naturæ diſtincti, exemplum habemus, poſtquam Romani in primis venena abominati ſunt, auctore Gellio III. *cap.* 8. Tacito II. *Ann. c.* 88 Floro II. *c.* 20. hos vero gentes recentiores ſequutæ ſunt, apud Alb. Gent. *de Jure belli* II. *c.* 6. vid. Bynkershoek. I. *Qu. J. P. c.* 1. & Leyſerum *ad D. Spec.* 3. *n.* 1. (3) Uti ſtupra & adulteria, ita & immiſſio ſcortorum, lue venerea affectorum, iniqua eſt & indecora, quia invitat ad delinquendum. (4) Ut percuſſor hoſti immittatur, Grotius III. *c.* 4. §. 18. non quidem injuſtum, ſed vile vocat; minime vero hoſtis domeſticos ad perfidiam poſſe ſollicitari. Sane generoſius eſt, hoſtem armatum palam aggredi, quam victoriam furari; & jure Gentium hodierno illud improbatur; ne nimia pericula Regum & Ducum capitibus ab utraque parte imminerent. *Nobis non placet pretio, aut præmio, aut dolis pugnare*, Conſules Romani ad Pyrrhum ſcribunt apud Gellium III. *c.* 8. Otto.

(*v*) *Licentia in bello*]. Hanc in infinitum etiam Jure Naturali recte extendi, contra hoſtem reſiſtentem ac illimitatum nocendi propoſitum habentem jam diximus ſupra §. 6. (*v*). quod ſi autem vires injuſti hoſtis fractæ ſint, tum ei parci jubet humanitas, quemadmodum inſontibus vim fieri ſemper vetat, ſed Jus Gentium, id eſt, conſuetudo gentium belliceſarum ac ferocium, nullos lædendi limites etiam hoc reſpectu agnoſcit, add. *d. c.* 6. §. 16. Grot. *l.* III. *c.* 4. *ſeqq.* Titius.

(*x*) *Gentium tamen opinione*]. Hunc *primum* Effectum, Bello publico

ſami, & quem honeſti viri averſari debeant, non habeatur (*y*). Niſi quod cultiores gentes (*z*) modos quosdam nocendi hoſtibus viles habent; puta: veneno uti (*a*), aut alterius cives (*b*) militesque in dominorum cædem corrumpere.

J. N. & G. *l.* VIII. *c.* 6. §. 16–19.

(*c*)

blico & ſolenni Jure Gentium voluntario tributum, inculcat *Grotius lib.* III. *cap.* 4. §§. 2. 3 & *ſeqq.* Iſtam vero licentiam, ſive *Impunitatem externam*, intereſſet humani generis ita reſtringi; ut ſi maxime abſque ullo cauſæ diſcrimine arma gerere, ſine fine modoque in ipſos hoſtes cædibus, in univerſum hoſtilem Populum rapinis, incendiis, direptionibus, graſſari, ſub Belli ſolemnis umbone militantibus non noceret; *Infantium* ſaltem, aliorumque manifeſte *innocentium*, *voluntariæ cædes*, *violenta ſtupra & adulteria*, & ſi qua ſint ſimilia brutalis furoris & immanitatis prodigia apud moratiores, præſertim Chriſtianas Gentes, non eſſent impunita. Confer *Grotii d. cap.* 4. cum *cap.* 11. item *cap.* 5. cum *cap.* 12. ejusdem Libri. Carmich.

(*y*) *Non habeatur*]. Hoſti enim non infert injuriam, neque præcepta juris ulla ratione lædit, ſed jus ſuum rigoroſe proſequitur: inprimis vaſtatione earum rerum, quibus hoſtes ad reſiſtendum pertinaciores redderentur: infamis ergo non eſt ratione exiſtimationis ſimplicis in ſtatu naturali; licet infamis fieri poſſit per exiſtimationis intenſivæ læſionem propter enormem crudelitatem &c. Treuer.

(*z*) *Niſi quod cultiores gentes*]. Omiſſio certorum nocendi modorum non tam a cultura gentium, quam rationibus utilitatis, aut quod modi illi adhiberi omnino nequeant, dependere videtur, nam utut dentur arma venenata, attamen etiam fontes, paſcua & ſimilia venenari poſſe, id forte plus rumoris vulgaris, quam veritatis habet. Titius.

(*a*) *Veneno uti*]. Jure naturæ omnino licitum eſt: (1) æquale medium eſt venenum omnibus aliis adminiculis occidendi hoſtem ratione effectus. (2) Jus naturæ non determinat arma, quibus utendum ſit. (3) Non venenum, ſed perverſa adplicatio malum eſt morale. (4) Hoſtis e medio licite tollitur: perinde eſt, qua ratione id fiat: jure nullo teneor, ut ipſi concedam licentiam reſiſtendi. Contrarium defendit Albericus Gentilis. *lib. II. de jure belli c.* 7. Henricus Coccejus *diſſ. de armis illicitis Francof.* 1711. *hab.* quorum argumenta tamen refutat Schwartius *controverſ. juris nat. & gent. ſpecim. II.* 1711. *Altdorfi exh.* Verba Grotii id quoque dilucide exponunt *l. III. c.* 4. § 15. *Generoſius quidem eſt ita occidere, ut qui occiditur, ſui defendendi habeat copiam: ſed non debetur hoc cuiquam, qui mori meruit. At jus gentium, ſi non omnium, certe meliorum, jam olim eſt, ne hoſtem veneno interficere liceat: qui conſenſus ortus eſt reſpectu communis utilitatis: ne pericula in bellis, quæ crebra eſſe cœperant, nimium intenderentur. Et credibile eſt a regibus id profectum, quorum vita ab armis ante alios defenditur: a veneno minus, quam aliorum, tuta eſt; niſi defendatur juris aliqua religione & metu infamiæ.* Ad præcepta decori ſpectat Colberti judicium: *Le priſon & l'aſſaſſinat ſon deux choſes ſi baſſes & eloignées des ſentimens, que doit avoir*

(*c*) Res mobiles in bello (*d*) tunc demum captæ intelliguntur (*e*), quando perſecutionem hoſtilem

XIII. Res bello captæ quibus cedant.

voir un prince, qu'il n'y doit jamais recourir a moins, que de vouloir ſe deshonorer. Teſtament polit. de Colbert. *c.* 3. *fol.* 177. Treuer.

(*b*) *Aut alterius cives*]. Specialis quæſtio eſt, *an liceat hoſtem injuſtum immiſſis percuſſoribus conficere.* Grotius diſtinguit, *utrum percuſſores*, v. gr. milites noſtri, *hoſti peculiariter obſtricti non ſint*, an vero *peculiari fide ei teneantur*, ut ſunt ipſius domeſtici; illorum opera nos ſimpliciter uti poſſe, hos vero ſollicitare aut impellere illicitum *l. III. c.* 4. §. 18. miniſterium autem ſponte oblatum admittere non injuſtum eſſe exiſtimans. Auctor domeſticis etiam percuſſoribus uti vile quidem *h.* ſed non injuſtum eſſe putat *d. c.* 6. §. 18. rationes tamen ſententiæ contrariæ non ſatis elidit. Forte dicendum, percuſſorem domeſticum domino ſuo, intuitu hoſtis juſti, qui jus occidendi habet, quod hic ſupponitur, non obſtringi, adeoque eum hactenus nec perfidum eſſe, nec perfidiam in hoſtem derivari. Titius.

§. XIII. Alter belli ſolennis effectus eſt acquiſitio bellica, velut rei nullius, aut certe ejus, in quem omnia licent. Enimvero Reipublicæ, cujus auſpiciis & ſtipendiis bellum geritur, res mobiles pariter ac immobiles acquiruntur, ſine diſtinctione, an actu privato, an publico illæ captæ fuerint; quia miles numquam extra miniſterium eſt, vi mandati generalis & belli declarati. vid. Grot. III. *c.* 6. §. 12. & *Op. maj.* VIII. *c.* 6. §. 12. (2) Præda intuitu *tertii ſtatim* cedit victori occupanti; qui illam conſumere, perdere, in ærarium referre, vel militi ad acuendam fortitudinem, totam, per traditionem brevi manu velut incertæ perſonæ, largiri poteſt *l.* 5. §. 7. *D. de Adq. rer. dom.* (3) Reſpectu *hoſtis* autem, cujus res captæ ſunt, poſſeſſio magis, quam dominium, durante bello, capienti acquiritur: eodemque jure ipſi, non vero tertio neutrarum partium emtori, iterum eripi poſſunt, donec in pace illis fuerit renuntiatum, *l.* 12. *pr. l.* 19. *l.* 28. *D. de Captiv. & poſtl.* (4) Quod ad eosdem hoſtes inter ſe ſpectatos attinet non requiritur, ut res, quæ retineri & defendi poſſunt, in præſidia ſint deductæ: id enim ad jus poſtliminii Romanorum pertinet, quo cives & antiqui privati domini junctis manibus, hoſtem lubentius perſequerentur, ſecuri omnia ſe recuperaturos, quæ vel ipſi vel commilitones recepiſſent, antequam in præſidia, id eſt, in caſtra, portus, urbes & claſſes ſint deductæ, quia tunc ſpes omnis rei recuperandæ necdum ceſſat. vid. Tit. *Obſ. ad Laut.* 1431. *ſeqq.* Hodie ſpatium viginti quatuor horarum attendi ait Grot. *d. c.* 6. §. 3. Zoucheus *de Jur. Fec. p. II.* §. 8. *qu.* 1. & alii; ſed Ill. Bynkershoek. uſu illud obſervari nunquam animadvertere potuit, vid. ejus I. *Qu. jur. publ. c.* 4. (5) Poſtliminium in omnibus rebus captis & recuperatis, intuitu gentium belligerantium & ſubjectorum, naturali æquitate obtinere deberet; quia dominorum jura ſalva manent, nec per poſſeſſionem alterius extinguuntur. quum occupatio durante bello utrinque magis in facto, quam in jure conſiſtat. (6) Romani autem non in omnibus rebus hoſti quæſitis poſtliminio locum dederunt, ſed tantum in hominibus, rebus ſoli, navibus quæ in bello uſum habent, mulis & equis; reliquas vero ob dominii incertum militi ſuo recuperanti conceſſerunt in prædam *l.* 2. *ſeq. D. de Captiv. & poſtl.* Cicero in *Topic.* Hodie vero mobilia omnia, quæ pleno ju-

Digitized by Google

ſtilem effugerunt (*f*): immobiles autem quando ita à nobis detinentur, ut hoſtem inde arcendi ſit fa-

re hoſtjum ſunt facta ſine diſtinctione jure poſtliminii carent. Grot. III. *c.* 9. §. 15. Bynkershoek. I. *Obſ.* 20. III. *Obſ.* 6. & IV. 14. & *Quæſt. jur. publ.* I. 5. & 16. Otto.

(*e*) §. XIII. & XIV. De adquirendo dominio & imperio per vim bellicam nonnulli ſtatuunt, ipſa natura belli & victoriæ id obtineri: quam ſententiam quoque fovet vir eruditiſſimus Henr. Cocceius: Ita enim in diſſertatione *de jure victoriæ diverſo a jure belli* §. 23 ea exponitur: *Certum eſt, jure victoriæ adquiri pleniſſimum imperium in victos: etſi enim de eo imperio ſubactore principatu nulla forte lis aut controverſia initio belli inter partes fuerit; & victor aliunde jam damni, quod paſſus dicitur, reſtitutionem conſecutus fuerit; adeoque hoc imperium non videatur ad reparationem juris ipſius pertinere, aut in ejus partem venire: tamen pertinet ad juris recuperati aut qualiscumque extortæ ſatisfactionis tuitionem ac ſecuritatem:* (1) *non enim poſſeſſione ſua ſecurus foret victor; ni victus ſub ejus poteſtate ac imperio eſſet; ſed ſemper adhuc jure belli reſiſtere, & bello quæſitum iterum eripere poſſet:* (2) *quin fruſtra victor occupaſſet territorium, ſi ejus jure ac imperio ſtatim ipſi iterum cedendum eſſet:* (3) *& quum vincere hic ſit in poteſtatem redigere: ſequitur omnino, ſi jure vicit, quod juſta ſit ejus in victos poteſtas. Natura itaque victoriæ & finis belli concedunt victori omne in victos imperium.* Quibus argumentis regerendum eſſe puto: (1) concedendum omnino eſt, victorem ante conſenſum victorum declaratum nondum ſecurum plane eſſe de ſua poſſeſſione: quum jus devicti nondum penitus exſtinctum ſit; cui omnino licitum eſt, ſe in priſtinam libertatem reſtituere, & vi partum vi eripere: (2) victori non ſtatim cedendum eſt, nec is fruſtra obtinuiſſe territorium dici poterit: nactus enim eſt commodiſſimam occaſionem imperii territoriique adquirendi; ſi nempe victos ad conſenſum præſtandum adigat & diſponat: occaſio vero oportuna conſtituendi novum aliquod jus non cum jure ipſo miſcenda: (3) juſte vincere quidem eſt juſte in poteſtatem redigere: ſed omne, quod juſte fit, non ſtatim dominium aut imperium involvit; & juſta vi, juſto terrore aliquem in poteſtatem redigere, vique & terrore continere, nondum imperium infert; ſed ambo in ſtatu belli manent, & violentia adhuc viget. (4) Vincere eſt ſola violentia bellica eſſe ſuperiorem: nec ullus juris vel juſtitiæ effectus, a jure belli diſtinctus, victoriæ adtribui poteſt. Victoria ipſa in fortuna prælii conſiſtit: ſupponit jus, non conſtituit, niſi per accidens: & juri belli jam victoriæ actus includitur. Sola violentia, ſi juſta ſit, jus quidem involvit ad reparanda damna & vindicandam injuriam ſibi inlatam: ſed finis ille obtineri poteſt ſine conſtitutione imperii: nec jus ſe violenter defendendi neceſſario conjunctum eſt cum jure inferendi imperii. Victi itaque conſentire debent in jus victoris dirigendi ſuas actiones; ſive id fiat expreſſis pactis; quibus ſe ad obedientiam obligant; ſive tacite, ita ut patiantur ſe in ordinem reipublicæ redigi. Ex rebus hoſtium tantum naturaliter, etiam hoſte invito, vindicatur victori; quantum ſufficit ad ſatisfactionem pro injuria inlata: quæ non in infinitum extendi debet: alias victor juſtitia cauſſæ ſuæ excidit, ſi ultra, quam par eſt, ſatisfactionis modum urgeat. Si vero dominium bello adquiſitum firmiori talo inniti debeat; opus eſt, ut devictorum nitatur & roboretur conſenſu: quod pacis con-

facultas (*g*). Etſi ut prioris domini (*h*) jus ad eas res recuperandas (*i*) plane exſtinguatur, neceſ-ſum

compoſitione plerumque fieri ſolet. Adgnovit id rex Galliæ Ludovicus XIV. qui quum Angliæ rex Carolus II. *Dunquercam* ei vendituras iniquum nimis pretium poſceret; inter alias rationes, juſtiori pretio obtinendo veliſicantes, expoſuit: *que quand j'achete Dunquerque, j'achete une place, dont le vendeur ne peut point fournir d'autre titre de poſſeſſion, que la force des armes, de ſe pouvant pas dire, que l'Eſpagne, a qui elle appartenoit notoirement, l'ait jamais cedée par aucun traité, comme elle m'a cedé les conquêtes, que j'ai faites ſur elle par la paix de Pyrenées: ainſi je n'acquis, qu'un droit bien litigieux, qui me peut être tous les jours conteſté, & qu'il le ſera infailliblement, ſi jamais la monarchie d'Eſpagne ſe voit en état de pouvoir eſpérer, d'y rentrer: & quoique l'Angleterre doive me garantir, comme il eſt juſte, la poſſeſſion de la place, ou en tout cas l'argent, que je lui en donnerai, on ne laiſſe pas en ces ſortes de marcher douteux d'avoir égard a n'en payer pas le même prix, que ſi on faiſoit une acquiſition qui ne manquat d'aucun titre: Memoires du Comte* d'Estrades *t. I. p.* 313. Treuer.

(*d*) *Res mobiles in bello*]. Circa acquiſitionem bellicam hæc fere conſideranda: (1) *Quid acquiratur.* Juxta Jus Naturale, debitum: quod tamen non tantum ex jure principali, ſed & acceſſorio æſtimandum eſſe, facile liquet, hinc contra hoſtem reſiſtentem in infinitum occupatio bellica etiam naturaliter extendi poteſt, ſed viribus ejus fractis tantum ſaltem recte aufertur, quantum reparando damno & cautioni futuræ requiritur. Sed Jure Gentium, nec juſtitia belli attenditur, nec occupationis ulli ſunt limites, vid. *d. c.* 6. §. 20. de quo etiam dixi in *Obſervat. ad Lauterbach. Obſ.* 1433. 1436. (2) *Quæ res acquirantur.* Mobiles & immobiles, ut & incorporales, ſeu jura ut vulgo cenſent, quod tamen varie temperat Auctor *d. c.* 6. §. 22. Sed ſollicitudo illa videtur eſſe ſupervacanea, cum hoc unice ſpectandum ſit, an hoſtis etiam objectum juris, v. gr. rem debitam in ſua habeat poteſtate, nec ne, nam uti illo caſu nulla juris ratione, rem detentam ſibi auferri patietur, ita hoc ex prætenſa quadam juris occupatione, illam ei ultro concedere, nimis ſimplex fuerit, juxta quæ adeo occupatio rerum incorporalium plane non occurrit, add. *Obſerv. ad Lauterb. Obſ.* 1438. (3) *Quo modo fiat acquiſitio.* Per actualem occupationem, nam omnis acquiſitio bellica, in primis quæ ex bello injuſto oritur, mera vi nititur, adeoque nihil acquiſitum cenſeri debet, niſi quod hoſtis in ſua habet poteſtate; neque quoad ipſos hoſtes, inter ſe ſpectatos, ad acquiſitionem requirendum eſt, ut res occupata per aliquod tempus apud hoſtem ſit, aut ut bellum gerentes, juſtæ gentis claſſe cenſeantur, quanquam illa attendi ſolent, quando de jure poſtliminii, intuitu dominorum privatorum, quæritur, de quo nonnihil explicatius egi in *Obſervat. ad Lauterb. Obſerv.* 1431. 1435. 1439. 1440. 1441. Titius.

(*e*) *Tunc demum captæ intelliguntur*]. *Alter* effectus Belli ſolennis Jure Gentium proprius, qui a *Grotio* celebratur *l. III. c.* 6. §. 2. & *ſeqq.* eſt *Rerum bello captarum acquiſitio.* Quousque res Jure Naturali in Bello recte capiantur, & quousque capiendo acquiri poſſint, dixi ſatis ad *l. I. c.* 5. §. 17. neque aliis quam naturalibus iſtis fundamentis niti videtur jus circa res bello capiendas, retinendas aut recuperandas, quod ipſis inter ſe hoſtibus nulla ſpecialiore conventione obſtrictis intercedit. Oc-cu-

ſum ſit, ut per ſubſequens pactum omni prætenſioni renunciaverit. Alias enim vi partum vi licebit

cupationi vero, quæ fit in bello publico & ſolenni, certi quaſi Juris effectus (*Dominium externum Grotio* dicitur) pleraramque Gentium placito alligantur; qui fere introducti ſunt in gratiam vel Civitatum neutram in Bello partem ſequentium, in quarum fines res publico Bello captæ delatæ fuerint; vel etiam privatorum, qui cum ipſi non ſint Hoſtes, res alienas ejusmodi bello captas legitimo titulo ſibi compararunt.

Quod ad prius attinet; cum facile fiat, ut res mobiles bello captæ, ſive ab ipſis capientibus, ſive ab aliis, qui ab iis aliquo titulo eas acquiſiverunt, in Civitatis neutram partem ſequentis fines deferantur: quæ ſi ibi a prioribus Dominis repeterentur, atque teneretur Rector iſtius Civitatis, res captas ex Hypotheſi quod injuſte fuiſſent ereptæ, jubere reſtitui; fieri vix poſſet, quin quæque Civitas, etiam invita, finitimarum Civitatum litibus implicaretur: hoc ut caveatur placuit, quodvis Bellum Summarum utrinque Poteſtatum auſpiciis geſtum, & rite indictum, eatenus utrinque juſtum haberi, ut qui in ejusmodi bello res occuparint, quive ab iis ita occupatas legitimo titulo quæſiverint, apud Populum quemvis, qui neutram in bello partem ſequitur, ſi forte in ejus ditionem res delatæ fuerint, in earum poſſeſſione, tanquam jure quæſitarum, defendi debeant; nec eo nomine prioribus Dominis, eorumve Civitati, repetitio concedatur.

Sed & eundem *poſterioris* cauſæ intuitu, capturæ bellicæ effectum, circa ejusmodi res placuit tribuere, ſi forte in vaſto Oceano, aliove loco Imperio vacuo, deprehendantur apud eum, qui cum ipſe non ſit hoſtis, res ab hoſte captas legitimo titulo quæſivit. Imo nec Romanis, aliisque Gentibus viſum eſt abſurdum, hoſtili occupationi, etiam intra pomœria Civitatis, cui res ereptæ fuerant, aliquam juris ſpeciem circumponere: cujus tamen effectum ut in captis Hominibus, & in rebus immobilibus, ita in quibusdam olim mobilibus, Poſtliminii jus evacuavit: in cæteris, & hodie paſſim in omnibus rebus mobilibus, ceſſante poſtliminii jure, bellicæ capturæ jus eo uſque valet, ut ejusmodi rerum publico bello captarum, vindicatio, prioribus dominis denegetur, adverſus quemvis non hoſtem, a quo in ejusdem, vel ſociæ Civitatis, fines reportatæ fuerint; ſeu in eodem bello hoſtibus denuo ereptæ, ſeu in alio ab aliquo tertio captæ, ſeu denique ex Commercii aliave privata cauſa quæſitæ. De hominibus captis vide §. *ſeq.* cum Obſervatione. Carmich.

(*f*) *Effugerunt*]. Quod tum demum fieri cenſuerunt Romani, cum res capta intra hoſtium præſidia eſſet perducta. Iſtius vero perductionis loco, recentiore Gentium *Europæarum* jure, valet detentio per ſpatium XXIV. horarum, ut teſtatur *Grotius d. cap.* 6. §. 3. Hæc interim definitio, cum ejus uſus præcipue pertineat ad caſum, quo res nobis ablata, a noſtris Civibus aut Sociis eſt ab hoſte recuperata (quo in caſu inter Concives, vel belli cauſa fœderatos, quæſtio vertitur) Legibus civilibus, aut fœderis bellici tenore, varie poteſt mutari. Idem.

(*g*) *Arcendi ſit facultas*]. Hujus definitionis, ad res immobiles pertinentis, quis ſit uſus, poteſt non immerito dubitari. Inter ipſos quippe Hoſtes nihil intereſſe, utrum res ſit plene capta, necne, omnes fatentur; cum manente bello eodem jure recuperari poſſit, quo prius defendebatur. Sed nec communi Gentium conſenſu con-

bit iterum eripere (*k*). Cæterum uti milites (*l*) auctoritate civitatis belligerant: ita quæ ipſi hoſtibus eripiunt, proprie civitati, non ſibi, adquirunt. Etſi paſſim receptum, ut mobilia, præſertim quæ non ſunt magni pretii, militibus, qui ceperunt, relinquantur per conniventiam, aut præmii, vel quandoque ſtipendii loco; aut ut alliciantur, qui citra neceſſitatem ſanguinem ſuum locare velint. Quando autem res captæ (*m*) iterum hoſti eripiuntur,

conventum reperio, ut deterius ſit jus prioris Domini rei immobilis adverſus tertium, qui ab hoſte eam quocunque titulo acquiſivit, quam adverſus ipſum hoſtem; modo prior ille dominus juri ſuo aſſerendo non defuerit, ita ſaltem, ut derelinquendi voluntatis nulla dederit indicia. Quod ſi vero ſub ejusdem Imperii ditionem res immobilis reſtituta fuerit; jam poſtliminio eam recipi a priore domino eſt indubitati juris. Rerum itaque immobilium occupatio bellica non alium videtur Juris effectum directe producere, quam quod ii, quorum non intereſt, ſi forte prædio occupato realem aliquam ſervitutem debeant, eam novo poſſeſſori jure poſſint præſtare, nec idcirco a priore domino ſint reprehendendi. Huic ſimilem ſed latius patentem effectum occupationis Imperii notabo ad §. *ſeq.* Idem

(*h*) *Etſi ut prioris domini*]. Amplius, (4) *Quousque duret acquiſitio:* Quamdiu vis urget, niſi conventio acceſſerit. *b.* Ex eo autem conſequitur, quod, ſi victor victi debitores liberaverit per acceptilationem, victus, libertati ſuæ reſtitutus, debita nihilominus exigere queat, niſi conventione jus ſuum remiſerit, nam quo jure victor debitoribus debita remittit, eodem victus remiſſionem non ſervat, quo pertinet controverſia inter Thebanos & Theſſalos quondam agitata, circa quam Auctor quidem *d. l.* VIII. *c.* 6. §. 23. pro his pronunciandum eſſe cenſet, ſed illorum partes defendi in *Obſerv. ad Lauterb. Obſerv.* 1438. *n.* 2. Titius.

(*i*) *Jus ad eas res recuperandas*]. Mobiles ſc. ab ipſo Hoſte, atque adeo ab ejus Subditis aut Sociis recuperandas; immobiles a quovis Poſſeſſore. Carmich.

(*k*) *Vi licebit iterum eripere*]. Eodem jure procul dubio res denuo eripitur, manente bello, quo prius defendebatur: quod vero hic Jus denuo eripiendi cum jure capiendi coæquetur, intelligendum eſt de *Dominio externo*, ſupra deſcripto, quod in re hoſti denuo erepta æque recuperatur, ac in eadem capta fuerat amiſſum Idem.

(*l*) *Cæterum uti milites*]. Ulterius (5) *Quis jus occupandi habeat?* Summi Imperantes eorumque milites, vid. *Obſerv. ad Lauterb. Obſerv* 1432 1434. (6) *Cui res acquirantur:* Ei, cujus auſpiciis bellum geritur, qui tamen militibus res mobiles concedere ſolet, imo ſæpe debet: *b.* add. *d. c.* 6. §. 21. add. *Obſerv. ad Lauterbach. Obſerv.* 1445. Titius.

(*m*) *Quando autem res captæ*]. Porro (7) *Quis occupationis ſit effectus:* Perſonæ captæ fiunt ſervi hoſtium, ſi hi rigore belli uti velint, ac res eorum dominio ſubjiciuntur: vid. *Obſerv. ad Lauterbach. Obſerv.* 1442. 1443. 1444. Denique (8) *Quando acquiſitio deſinat;*

untur, immobiles quidem ad antiquos dominos redeunt; nec minus mobiles debebant; etſi apud pleroſque populos & hæ militibus in prædam concedantur (*n*).

J. N. & G. *l.* VIII. *c.* 7. §. 20–23, 25.

XIV. Imperium, bello quæſitum, qui ſiat legitimum.

Solet denique BELLO (*o*) ADQUIRI etiam IMPERIUM tam in ſingulos (*p*), quam in integros populos

nat: Si perſonæ vel moriantur, quo caſu apud Romanos obtinebat fictio Legis Corneliæ, cujus inconcinnitatem in *d. Obſerv. ad Lauterb. Obſerv.* 1445. oſtendi; vel ipſæ, aut res hoſtis cuſtodiam evadant, nam tum poſtliminio redire dicuntur. Conſideratur autem poſtliminium vel inter *ipſas gentes belligerantes*, quo ſenſu omnes res, ſimulac hoſti auferenti iterum ereptæ ſunt, poſtliminium habent, vel quoad *dominos privatos antiquos:* horum intuitu, non omnes res poſtliminio redeunt, ſeu ipſis non indiſtincte reſtituuntur, de quo fuſius egi in *d. Obſervat. ad Lauterb. Obſerv.* 1446. *ſeqq.* conſ. Auctor *d. l.* VIII. *c.* 6. §. 25. 26. Idem.

(*n*) *In prædam concedantur*]. Vide Obſervationem primam in h. §. Cæterum de materia hujus §. vide *Grotium l. III. cap.* 6. & 9. & confer *cap.* 13. & 16. Conſulatur in primis ejusdem Libri *cap.* 10. Carmich.

§. XIV. Præter res mobiles & ſoli acquiruntur etiam res incorporales, ſive jura, territorio ejusque civibus competentia, hoc effectu, ut victor, quæ hoſtibus aut Reipublicæ occupatæ debentur, exigere, publicare & ſecuta ſolutione debitores liberare poſſit. vid. Bynkershoek. I. *Qu. jur. publ.* *c.* 7. (2) Idem eſt, ſi victor occupatum chirographum *publicum* debitori reddidit, & acceptum tulit, uti Alexander M. Thebarum chirographum Theſſalis donavit; jura autem *privata* integra manent civibus, nec Cæſar recte Flavii capti nomen Dyrrachinis dare potuit. vid. Quintil. V. *Inſt. c.* 10. Hotm. *Ill. Qu.* 5. (3) Coccejus in *Diſſ. de Jure victoriæ diverſo a jure belli* ſolam violentam occupationem ad imperium ſufficere putat; quia fruſtra occupatio facta fuiſſet, ſi iterum cedendum eſſet victori, cujus ſolus victoriæ titulus ſufficere poſſet. Sed Auctor verius conſenſum expreſſum vel tacitum eorum, qui victi ſunt, requirit: nam quod diximus de rebus, idem imperio obtinet, nec quisquam in alium jus habet, niſi ex conſenſu, & injuſtus invaſor alias imperio gauderet. (4) Poſt fidem ergo datam, vel metu expreſſam ſtatim victi fiunt ſubditi; verum prior Imperans jus ſuum retinet, donec aliud conventum, vel ejus familia fuerit extincta. vid. Cl. Treuer. *h.* §. Otto.

(*o*) *Solet denique bello*]. Imperium quoque bello acquiritur, de quo Grotius *l.* III. *c.* 8. pluribus agit. An autem violenta illa acquiſitio ſit titulus legitimus, tum quando injuſti invaſoris Imperium reddatur legitimum, denique quid ſubditis invaſore rerum potiente, legitimoque mperante exulante ſit faciendum, de eo ſupra *c.* 10. §. 2. h. l. lit. (*n*) actum eſt. Titius.

(*p*) *Tam in ſingulos*]. Quousque capienti Jus in captos competat naturaliter, & quam parum valido

los (*q*) victos. Quod tamen ut fiat legitimum & conſcientias ſubjectorum ſtringat, neceſſum eſt, ut victi victoribus fidem dederint, & hi hoſtilem ſtatum animumque adverſus illos exuerint.

J. N. & G. *l.* VIII. *c.* 6. §. 24.

(*r*)

de allegetur conſenſus Gentium, ſi vel maxime eum ex pravis moribus liceret æſtimare ad licentiam, quæ naturalis juris limites hac in parte excedit, defendendam, notavi ſatis ad *cap.* 4. §§. 4. & 5. Verum eo minoris apud nos eſt momenti hæc quæſtio, quod antiquum iſtum morem bello ſolenni captos in ſervitutem ducendi, reverentia Chriſtiani Nominis inter Chriſtianos invicem belligerantes jamdudum obsoleverit. Quin & Chriſtianus bello captus ab Infidelibus, licet apud eos cogatur ſervire, non tamen hodie in ſua Civitate ſtatum magis cenſetur mutaſſe, quam ſi a Latronibus eſſet captus. Add *Titii Obſ. in Lauterb.* MCCCCXLIII. Vide etiam de integro hoc Themate *Grotium lib.* III. *cap.* 7. & confer. *cap.* 14. CARMICH.

(*q*) *Quam in integros populos*]. Quid in hoc negotio videatur eſſe Juris Naturalis, dixi ſupra ad *cap.* 10. §. 2. Ad Jus Gentium quod attinet, hoc, ſi de Imperio in ipſos homines acquirendo ſit quæſtio, non magis contra univerſos valet, quam contra ſingulos: vide *Obſ præced.* & confer *Obſ. in cap.* 4. §. 5. *prope finem.* Si vero quæratur, de acquirendo *Imperio Soli*, ſive jure exigendi, ut ne quis niſi ſub civilis ſubjectionis lege in iſto Solo maneat; ne hic quidem multo amplius valere putaverim voluntarium illud Jus Gentium, quam in acquiſitione quarumvis rerum immobilium illud valere dixi ſupra ad § *præced.* Qualescunque etenim Gentium bellicoſarum mores fuerint, qualeſcunque Hominum, ſuperiori vi adulantium, ſententiæ; non apparet, ullo communi conſenſu Gentibus inter ſe conveniſſe, quo minus Principi vel Populo victo, qui in Victoris Imperium nullo modo conſenſerat (& quid non ſit pro ejus conſenſus indicio habendum? vide *dict. Obſerv. in cap.* 10. §. 2.) æque validum Jus eſſet, adverſus hoſtem, aut alium quemvis ab eo titulum derivantem, ad Imperium recuperandum, ac prius ad illud defendendum fuerat. Imo, nec Summis Poteſtatibus, quæ Imperium non habent in patrimonio, quidquam in contrarium valide convenire poſſe, putem; utpote quod non eſſet aliud, quam ſub certo caſu Imperium transferre, & quidem in incertam Perſonam.

Hunc unum effectum violentæ occupationi Imperii in populum, vel Populi partem, bello ſolemni factæ, quin & occupationi Imperii in integrum aliquem Populum, licet factæ per inteſtinam ſeditionem, Gentium conſenſus videtur indubie tribuiſſe; ut Extranei, qui Populo, vel Univerſati alicui, cujus Imperium eſt vi occupatum, quid debent, quod legitimus Imperans Jure potuit exigere; Invaſori exigenti id recte ſolvant, & ſolvendo liberentur; ita ut Princeps imperio, vel Populus libertati ſuæ reſtitutus debitum ita ſolutum repetere non poſſit: quod ob ſupra indicatam cauſam eſt introductum; ne ſc. illi, qui neutram in bello partem ſequuntur, alienis litibus nolentes implicentur: quæ ratio cum in contractibus ultro initis non obtineat; vix putem ad hos, at omnium minime ad beneficos, eun-

 dem

XV. Induciæ bellum ſuſpendunt. (*r*) Suſpenduntur actus bellici per Inducias (*s*), quæ ſunt conventio, per quam ad tempus, manente belli ſtatu ac lite, ex qua bellum fuit ortum, bellicis actibus offenſivis eſt abſtinendum; quibus elapſis (*t*), ni interea pax coiverit, citra novam indictionem, ad hoſtilitatem reditur.

J. N. & G. *l.* VIII. *c.* 7. §. 3—12.

Poſ-

dem favorem eſſe extendendum: *Solutionis* igitur loco, haud quidquam hic ſufficit *Acceptilatio*. De occupatione Imperii vide *Grotium lib.* III. *cap.* 7. & confer *cap.* 15. præcipue vero *Lockii Tract*, *poſt. de Imperio cap.* 16. Idem.

§. XV. Omnia quidem juris & humanitatis officia exorto bello ceſſant, ſed Cicero I. *Off. c.* 24. valde conſiderandum monet, ne quid temere, ne quid crudeliter, ne quid perfide agatur. Illa inprimis promiſſa ſervanda ſunt, ſine quibus mentes exulceratæ in concordiam redire non poſſunt, atque ideo pacta de commeatu, vulgo *Paſſeports*, de lytro, *Cartels*; de urbibus dedendis, *Capitulationes*; vel de armis prohibitis, ſancte ſunt cuſtodienda; quia dum paciſcimur, hoſtilem animum deponimus, nec temere admittenda eſt exceptio ex clauſula ſalutari *Rebus ſic ſtantibus* de qua Ill. Bynkershoek. II. *Qu. jur. publ. c.* 10. videatur. (a) Ex eadem ratione obligatio Induciarum eſt repetenda, de quibus omnia Strauchius in *Diſſ. de Induciis* exhauſit. Circa originem vocis ab *indoitia* Grotius III. *c.* 21. §. 2. Grammaticum egit; nec ſatis cauſæ habuit, cur Pauli definitionem ab eo quod ut plurimum fit, petitam refelleret. *Induciæ ſunt, cum in breve & in præſens tempus convenit, ne invicem ſe laceſſant l.* 19. §. 1. *D. de Capt.* Otto.

(*r*) §. XV. ſqq. Armiſtitia, induciæ & pax ita differunt: illa ſuſpendunt belli actum, ſed non adparatum, ut §. XV. docetur: induciæ tollunt belli actum & adparatum; ſed non cauſſam, quam in medio relinquunt: pax autem etiam cauſſas belli tollit, totamque litem componit. Treuer.

(*s*) *Suſpenduntur actus bellici per inducias*]. Hæ accipiuntur, vel *ſtatu pacifico*, quod denominatio germanica evidenter innuit, vel pro *conventione*, qua ille ſtatus producitur, quo ſenſu Auctor eas definit *b.* earumque valorem amplius oſtendit *l.* VIII. *c.* 7. §. 1. 2. 3. add. Grot. *l.* III. *c.* 21. §. 1. 2. Titius.

De Induciis, aliisque Pactis, quæ manente bello ineuntur, vide *Grotium lib.* III. *cap.* 21. & *ſeqq.* ſed lecto prius ejusdem Libri *Capite* 19. Rationes, quibus Auctor noſter, *J. N. & G. l.* VIII. *c.* 7. §. 2. omnium pactorum inter hoſtes Belli ſtatum non tollentium, naturalem obligationem videtur impugnare, adeo leves ſunt, adeoque ſimul pernicioſæ conſequentiæ, utroque nomine tanto viro adeo indignæ, ut eas hic referre pudeat, multo magis iis diſcutiendis immorari. Vide Cl. *Barbeyracii* Obſervationem ad *d. l.* Carmich.

(*t*) *Quibus elapſis*]. Hoc ex natura conventionis temporariæ ultro ſequitur, eo facilius autem quis conceſſerit, nova indictione hic opus non eſſe, quo minus il-

la-

Digitized by Google

Poſſunt autem INDUCIÆ (v) DIVIDI in eas, quæ ineuntur, ſubſiſtentibus in expeditione exercitibus, retentoque utrinque bellico adparatu; quæ ad modicum fere tempus ſumuntur: & inter eos, quibus adparatus bellicus utrinque diſſolvitur. Hæ in ſatis longum tempus iniri poſſunt & ſolent; & plenæ pacis faciem gerunt, ac aliquando etiam pacis vocabulo inſigniuntur, cum adjectione certi temporis. Nam alias regulariter (x) omnis pax æterna eſt, ſeu in perpetuum exſtinguit controverſias, ob quas bellum conflatum erat. Quæ autem ſolent vocari induciæ tacitæ, nullam continent obliga- XVI. Variæ earum notatæ ſpecies.

la in genere eſt neceſſaria, eum probabile ſit, omnem illum indictionum apparatum a gentibus bellicoſis palliandæ ambitioni & avaritiæ eſſe adinventum, licet aliud videatur Grotio. *d. l.* §. 3. & Auctori *d. c.* 7. §. 6. Titius.

§. XVI. Induciæ differunt à Pace, quod in hac cauſa belli tollitur, in illis tantum actus hoſtiles ceſſant, ideoque belli feriæ vocantur. (2) Dividuntur in expreſſas, ſeu veras. & tacitas, ſive apparentes, quando hoſtes feſſi, ſine conventione, vel tempore hiemis, ultro quieſcunt. (3) Veræ vel breviores ſunt, manente apparatu bellico: vel longiores & pacificæ ad centum vel plures annos; illæ vulgo *armiſtitium* dicuntur; hæ vero in effectu a pace non differunt, quæ ſæpe etiam in certos annos initur. Exempla ſunt apud Diodor. Siculum XII. *c.* 60. Juſtin. III. *c.* 7. in Turcarum induciis aliisque apud Leonin. II. *Emend. c.* 6. Otto.

(v) *Poſſunt autem induciæ*]. In genere ſic dicendum: induciæ ſunt vel *veræ*, quæ conventionem præſupponunt, eæque vel breviores, vel longiores: vel *apparentes* ſeu *impropriæ*, quas feſſi hoſtes, ſine conventione nonnunquam ſibi mutuo indulgent, add. Auctor *d. c.* 7. §. 7. Pertinent igitur hæ diviſiones magis ad inducias pro ſtatu quam conventione acceptas. Titius.

(x) *Nam alias regulariter*]. Licet ſane terminos ita accipere, ut induciarum nomen ad ſolam hoſtilitatis omiſſionem, pacis vero, ad controverſiam, ex qua hoſtilitas enata, etiam tollendam referamus, ſi tamen quis verbis aliter utatur, non apparet, cur valde cum eo litigandum ſit, etſi Auctori aliter quodammodo videtur, *d. c.* 7. §. 4. 5.

2. Si induciæ v. gr. a Calendis Martiis usque ad Idus Julias contractæ ſint, uterque terminus a quo & ad quem iis probabiliter continetur. vid. *d. c.* 7. §. 8 Grot. *d. l.* §. 4. De cætero ſubditos induciæ obligant a tempore ſcientiæ. Grot. *d. l.* §. 5. Durantibus induciis a læſione poſitiva dubio procul abſtinendum eſt. Grot. *d. l.* §. 6. *ſeqq.* ea vero, quæ ad defenſionem & ſecuritatem noſtram faciunt, ſuſcipere licet, ſi induciæ generaliter & ad longum ſatis tempus ſint initæ, ſi vero illæ ad breve ſpatium, ac certæ rei contemplatione ſint contractæ, tum ea, quæ extra pactum ſunt, non recte fieri, cenſet Grotius *d. l.* §. 10. diſſentiente tamen Pufendorfio *d. c.* 7. §. 10. Dicendum videtur, non poſſe illa ſuſcipi-

 pi

Digitized by Google

gationem, ſed partes ibi pro lubitu utrinque quieſcunt, & ad actus bellicos, quandocunque placitum fuerit, procurrere iterum poſſunt.

J. N. & G. *l.* VIII. *c.* 7. §. 3.

XVII. Pax, ejus natura, conditiones, firmitas.

Penitus autem tollitur bellum (*y*), ſancita per Summos utrinque imperantes PACE (*z*); cujus leges

pi vi pacti, bene tamen defenſionis naturalis, quæ induciis neque confirmata, neque ademta ſit; hinc ei hoſtis, ſi, quid agatur, reſciſcat, reſiſtere poteſt. Si induciæ ab altera parte violentur, tum alteram quoque ad hoſtilitatem redire poſſe, manifeſtum eſt; ſi tamen pœna in illum eventum promiſſa ſit, hæc regulariter erit exigenda, Grot. *d. l.* §. 11. 12. 13. Auctor *d. c.* 7. §. 11. 12. De aliis pactis bellicis, commeatum vel captivorum redemtionem ſpectantibus, tum iis, quæ a Ducibus vel privatis ineuntur. prolixius agit Grot. *d. l.* & *cap. ſeqq.* add. Auctor *d. c.* 7. §. 13. *ſeqq.* IDEM.

§. XVII. Inter privatos non debet ratum eſſe, quod per vim actum eſt: *Lex enim vim paſſo ſuccurrit, & iniquum illi videtur, id ratum eſſe, quod aliquis, non quia voluit, pactus eſt, ſed quia coactus eſt*, ait Seneca IV. *Contr.* 27. (2) Inter gentes vero non intereſt, an libera voluntate pax ineatur, an vi armorum conſenſus extorqueatur; quia coacta voluntas hic voluntas eſt, & victor jure ſuo utitur, alias quoque omnis pax exceptione quod metus cauſa eludi & violari poſſet. (3) Hoc adeo verum eſt, ut etiam ſubjectis rebellibus, aut prædonibus & piratis, promiſſa ſint ſervanda: quia cum his paciſcendo exceptionibus renuntiamus, nec metus fuit præſens & tantus, qui libertatem conſenſus ſuſtulerit. Vid. Grot. III. *c.* 19. §. 6. Cl. Leyſer. *Medit. ad D. Spec.* 58. *n.* 6. (4) Nulla eſt ratio, cur jus quæſitum hæretico aut infideli ſit negandum: nam religio neminem facit incapacem jurium humanorum, & alias hæreticis idem viciſſim in nos liceret. vid. *Joſ.* IX. *vſ.* 2. 2. *Reg.* XVII. *vſ.* 4. XVIII. *vſ.* 8. Grot. III. *c.* 19. §. 1. & *Op. maj.* IV. *c.* 2. §. 8. (5) Firmamenta pacis ſolent eſſe Obſides, Jusjurandum & Fidejuſſores, qui vulgo *Guarandeurs* vocantur, vid. Schilteri *Diſſert. de Obſidibus.* & Coccej. *de Guarantia pacis.* OTTO.

(*y*) *Penitus autem tollitur bellum*]. Pax etiam accipitur vel pro *ſtatu* vel *conventione*, qua ille producitur, hoc ſenſu eſt pactum, *quo omnis hoſtilitas aboletur, belli geſti commoda & incommoda determinantur ac controverſia, ex qua hoſtilitas enata, penitus tollitur.* Valida eſt illa conventio, ſi libera voluntate ſuſcipiatur, idem dicendum, ſi vis juſta hoſtem injuſtum ad eam ineundam cogat ſi vero vi injuſta quis adigatur, tum ex generalibus principiis invalida eſt. Jus Gentium voluntarium, quod in contrarium allegat Grotius *l.* III. *c.* 19. §. 11. inane nomen eſt, ipſomet non valde repugnante. conf. Auctor *l.* VIII. *c.* 8. §. 1. TITIUS.

(*z*) *Sancita per ſummos utrinque Imperantes pace*]. De pactis Pacem reducentibus legatur diligenter *Grotius lib.* III. *c.* 10. Sed & de horum quoque validitate, ſi forte injuſta vi fuerint extorta, nimis laxa eſt, & Humanæ Societatis paci

Digitized by Google

ges & conditiones (*a*) definire uti eſt penes paciſcentes; ita illæ fideliter & convento tempore exſecutioni dandæ (*b*) & ſervandæ ſunt (*c*). In cujus rei firmitatem (*d*) non modo jusjurandum ſolet interponi (*e*), & obſides dari; ſed & ſæpe alii,

paci haud ſatis amica, Philoſophia Auctoris noſtri *J. N. & G. lib.* VIII. *cap.* 8. §. 1. Confer, quæ annotavimus ſupra ad *lib.* I. *cap.* 9. §. 15. Quinimo, ſicut præcedentes injuriæ per pactum, quo pax reducitur, ſepeliuntur; ita & ſubſequentes, quæ in novo aliquo prætextu fundantur, licet novam bello cauſam præbeant, non tamen pacem rumpunt, cum hoc effectu, ut veteres controverſiæ reviviſcant: quod recte *Grotius* monet, *d. cap.* §. 27. licet ſecus videatur *Titio* ad *h. l.* CARMICH.

(*a*) *Cujus leges & conditiones*]. Ineunt pacem regulariter liberæ gentes earumque Imperantes, quorum diverſam conditonem amplius explicat Grot. *l.* III *c.* 20. §. 2. 3. 4. Poteſt etiam nonnunquam cum ſubditis rebellibus aut prædonibus pax iniri, quæ conventio valida eſt hactenus, ut ex conditione perſonarum, cum quibus contrahitur, eadem non improbari poſſit, vid. Grot. *l.* III. *c.* 19. §. 1. *ſeqq.* Auctor *d. l.* VIII. *c.* 8. §. 2. De hæreticis aut infidelibus vix id admoneri debet: Religio, qualiscunque illa ſit, jurium humanorum neminem facit incapacem. Quæ autem in pacem deducta cenſeri debeant, tam ex poteſtate, quam voluntate Imperantium, juxta conſuetas interpretandi regulas judicandum eſt, quæ fuſe ſatis perſequitur Grotius *l.* III. *c.* 20. §. 5. *ſeqq.* conf. Auctor *d. c.* 8. §. 3. De cætero pax vel pure, vel ſub aliqua conditione initur, de quo Grot. *d. c.* 20. §. 42. *ſeqq.* add. Auctor *d. c.* 8. §. 5. TITIUS.

(*b*) *Ita illæ fideliter & convento tempore exſecutioni dandæ*]. Pace inita obligantur paciſcentes ex Lege Naturali, ad fidem ſervandam, quæ ſummatim in duobus conſiſtit: (1) *Ut ea, quæ ob bellum geſtum præſtanda ſint, bona fide præſtentur*, qua in re brevis mora periculoſa, nec adeo toleranda eſt, vid. *d. l.* VIII. *c.* 8. §. 4. (2) Ut *omnibus ex fide præſtitis integra ſervetur amicitia*, quod ſi quis ſine cauſa juſta alterum lædat, aut erga illum inhumanus ſit, is tam communem ſocialitatem violaſſe, quam pacem ei ſurrogatam rupiſſe cenſendus eſt, nec putem argutiarum, quibus indulget Grotius *d. l.* III. *c.* 20. §. 27. *ſeqq.* ac juxta quas *nomen bello cauſam præbere*, & *pacem rumpere*, diſputari præcipit, magnum inter gentes eſſe uſum. IDEM.

(*c*) *Et ſervandæ ſunt*]. Neque hic prætendere licet, pacem violenter eſſe extortam, metuque aliquem ad illam ineundam fuiſſe compulſum: metus enim hic non injuſte infertur: quum victor ſuo jure utatur: neque tam gravis, ut mentis uſum tollat: ideoque coacta hic voluntas etiam voluntas eſt. TREUER.

(*d*) *In cujus rei firmitatem*]. Obligatio pacis *obſidibus pignoribus*, *jurejurando* & aliarum civitatum velut *fidejuſſione* (cujus faciendæ poteſtas *jus Guarantiæ* hodie dici ſolet) firmatur, duo priora ad pacis concluſæ *executionem*, poſteriora vero tam ad *illam*, quam ejus *perpetuam obſervantiam* pertinent, vid. Grot. *d. l.* III. *c.* 20. §. 52. *ſeqq.* Auctor *d. l.* VIII. *c.* 8. §. 6. 7. TITIUS.

(*e*) *Non modo jusjurandum ſolet interponi*]. Ex conſuetudine & moribus gentium interponi ſolet jurisjurandum: jure naturæ id pla-

Digitized by Google

alii, in primis qui paci conciliandæ interveniunt, ejus obſervationem præſtandam recipiunt (*f*), auxilio promiſſo ei, qui contra leges pacis ab altero læſus fuerit.

J. N. & G. *l.* VIII. *c.* 7.

plane non requiritur: quum neque novam obligationem inferat, neque majorem firmatem addat; ſed fortius tantum adferat, & declaret conſenſum paciſcentium. Treuer.

(*f*) *Eius obſervationem præſtandam recipiunt*]. Ad *guarandium* vel fidejuſſionem pro pace nulla gens cogi poteſt: neque mediatores ad id officium tenentur, quatenus ſunt mediatores. Illi quoque, qui cautionem præſtant, non ſtatim obligantur ad pacis violationem armis vindicandam; ſed ad dandam operam, ut pax ſarta tectaque ſervetur, omniaque amica via componantur. Conf. Cocceji *diſſ. de guarantia pacis:* Obrecht *diſſ. de ratione belli & ſponſoribus pacis* Idem.

C a-

Caput XVII.

De Fœderibus.

Summaria.

I. *Fœdera duplicia,*
II. *Alia amicitiæ,*
III. *Alia ſpecialis præſtationis; eaque vel æqualia,*
IV. *Vel inæqualia;*
V. *Cum, vel ſine imminutione Summi Imperii.*
VI. *Singula diverſos habent fines:*
VII. *Suntque alia realia, alia perſonalia,*
VIII. *Et conjunctas habent ſponſiones.*

Grot. *de* J. B. & P. *l.* II. *c.* 15. Add. *l.* I. *c.* 3. §. 21.

I. Fœdera amicitiæ, vel ſpecialis præſtationis.

Belli juxta ac pacis temporibus inſerviunt Foedera (*g*), ſeu pacta (*h*), inter ſummos utrinque Imperantes inita (*i*). Iſthæc intuitu ma-

§. I. Quemadmodum conventiones privatorum de rebus ſuis, contractus, pacta & ſocietates dicuntur; ita Rectores liberarum gentium, quæ de rebus publicis ſibi promittunt, fœdera a fœdo, id eſt, ſanguine effuſo vocant: is enim ritus non a Theſeo primum inventus eſt, ut Plin. VII. *Hiſt nat. c.* 56. exiſtimavit, ſed omnibus antiquioribus fuit communis. vid. *Gen.* XV. *vſ.* 9. *Jer.* XXXIV. *vſ.* 18. (2) Hæc jure Naturæ non differunt a pactis, ratione obligationis aut interpretationis, ſed tantum ſubjecto & objecto. Hinc pactum Regis de utilitate privata manet pactum; & contra ſubditi fœdera non ineunt, niſi forte deferantur, aut commerciorum cauſa ipſis à Summo Imperante Admiralitas permittatur. (3) Non eſt dubium, quin cum Turcis aliisque infidelibus civitatibus ſui juris fœdus inire liceat; modo illicitæ abſint conditiones, quæ vergant in perniciem purioris doctrinæ. Cum illis enim non tantum eſt communio juris naturalis, ſed exemplis quoque Sanctorum veteris teſtamenti id firmatur; quia Abrahamus cum Abimelecho, David cum Hiramo, Judas Maccabæus & Hirca-

MATERIÆ (*k*) POSSUNT DIVIDI in ea, quæ conſtituunt de aliquo officio invicem præſtando, quod jam antea lege naturali præcipiebatur; & quæ officiis legis naturalis aliquid ſuperaddunt, aut ſaltem eadem, ubi indefinita videntur, ad certi quid determinant.

J. N. & G. *l.* VIII. *c.* 9. §. I.

Ad

canus Alexandri filius cum Romanis fœdus inivcrunt. Nil ſane idololatria cum fœdere habet commune, & ſi commerciorum cauſa cum illis contrahere licet, quidni & defenſionis? cujus major eſt favor. Vid. Grammond. III. ad. A. 1618. Grot. II. *c.* 15. §. 8. & Budd. *de Rat. ſtatus circa fœd.* §. 12. (4) Crebra etiam fœdera cum barbaris Algerienſibus, Tripolitanis, Tunitanis & Zaleenſibus pepigerunt Reges & Ordines Rerumpublicarum, quamvis enim injuſtius agant, non tamen ideo jus & nomen civitatis amittunt, quum & legati eorum recipiantur, & ad eos mittantur, habeantque curiam; conſenſum, ærarium atque rationem pacis & fœderum. vid. ill. Bynkerh. I. *Qu. jur. publ. c.* 17. OTTO.

(*g*) *Belli juxta ac pacis temporibus inſerviunt fœdera*] Horum indolem non exhaurit definitio ſubjecta, cum diſcrimen fœderum & pactorum non tantum a *ſubjecto*, ſed & *objecto* dependere videatur, hinc *Fœdera* ſunt *conventiones, a liberis gentibus earumque Rectoribus intuitu utilitatis perpetuæ, vel per longius tempus præſtandæ, initæ.* Fatendum tamen eſt, quod pacta & fœdera diſtinxiſſe, non multum referat. TITIUS.

(*h*) *Pacta*]. Pacta & federa non differunt eſſentialiter, ſed tantum ſubjectis, ita ut privatorium conventiones pacta, conventiones vero imperantium & civitatum ſoleant appellare federa. Nec eſt, ut HERTIUS *elem. prud. civ. P. I. ſect.* 8. §. 4. nobis dubium moveat, ſedus definiens per *ſtatum duarum vel plurium civitatum ſub pacto de amicitia colenda, vel auxiliis præſtandis, vel commerciis exercendis ſociatarum ſine imminutione imperii:* addita ratione: quod ſi conventio loco generis ponatur, ſederis ſcilicet vox non ſtantis, ſed efficientis ſenſu accipiatur. Sic enim nodus in ſcirpo quæritur; & omnis ſcrupulus exinde oriri videtur, quod ſtatus ex ſedere, ſive ſocietas ſederata, vulgari loquendi conſuetudine ſedus dicatur: proprie vero ſederis natura in pacto conſiſtit, & abſolvitur mutua ſederatorum obligatione mutuaque conditionum requiſitarum præſtatione. TREUER.

(*i*) *Inter ſummos utrinque Imperantes inita*]. Contendit *Titius*, *Fœdera* ab aliis pactis diſtingui, non tantum qualitate Paciſcentium, qui hic ſunt *Summi Imperantes*, ſed & ſubjectæ materiæ, quam vult in fœderibus eſſe, *Utilitatem perpetuam, vel per longius tempus præſtandam.* De Fœderibus vide *Grotium lib.* II. *cap.* 15. CARMICH.

Subditis quoque licet ſedera cum aliis gentibus pangere: (1) quando reipublicæ majeſtatem vel jus imperantis non violant, e. c. commerciorum cauſſa: (2) quando deſeruntur a ſummo imperante ejusque auxilio deſtituuntur: (3) quando conſenſum imperantis requiſiverunt. TREUER.

(*k*) *Iſthæc intuitu materiæ*]. Prima fœderum diviſio ab *objecto*,

Ad priorem claſſem (*l*) referuntur fœdera, quibus de ſimplici duntaxat humanitate exercenda, aut noxa non inferenda convenitur (*m*). Quo pertinent & ea, quibus ſimplex duntaxat amicitia citra peculiarem præſtationem ſancitur. Aut quibus jus hoſpitii, aut commerciorum, quatenus id naturali lege debetur, ſtabilitur.

II. Illorum præcipua quædam capita.

J. N. & G. *l.* VIII. *c.* 9. §. 2.

Poſterioris claſſis fœdera ſunt vel ÆQUALIA, vel INÆQUALIA. Illa ſunt, quæ utrinque eodem ſe modo habent; ſeu quando non ſolum æqualia utrin
que

III. Hæc æqualia aut inæqualia & quæ illa.

cto generaliter ſpectato deſumitur: de cætero opus eſt, ut nonnunquam fœdera, de communi ſocialitate corfirmanda, ineantur, quando ſcilicet pravis moribus Legis Naturalis dictamina ſunt obliterata, & extranei fere pro hoſtibus habentur; poſſunt autem ſine turpitudine iniri ab eo, qui alias juxta Legem Naturæ vivere paratus erat. Titius.

§. II. Exempla hujusmodi fœderum, quæ nihil ſuperaddunt juri naturali, dabit Grotius II. *c.* 15. §. 5. Omnia vero nomen fœderum non merentur, immo quædam pudenda ſunt generi humano, uti Auctor in *Op. maj.* ait; contra quem Kulpiſius *ad Grotium* fruſtra diſputavit. Barbaris enim temporibus, ubi latrocinari decorum erat, & omnes peregrini pro hoſtibus habebantur, magis conveniunt fœdera de innocentibus non lædendis. Niſi quod (1) hodie bello finito ejusmodi pactiones tabulis pacis inſeruntur, nec ſine utilitate. vid. Obrecht *de Sponſor. pac. c.* 1. §. 3. (2) Cum Algerienſibus aliisque Africanis, & Indiæ Regulis crebro ineuntur. (3) Quæ ex jure imperfecto vel dubio faciunt jus perfectum, ut de commerciis & hoſpitiis, recte nomen fœderis habent. *Formulam juris exequendi* Livius appellavit. Otto.

(*l*) *Ad priorem claſſem*]. Utriusque generis fœdera amplius declarat Auctor *h.* add. *l.* VIII. *c* 9. §. 1. 2. 3. 4. Sed vix attinet, diſcrimina illa anxie ſectari, cum effectum fœderum non mutent, ſed omnia potius, quæ ſerio promiſſa ſunt, bona fide ſervari debeant: hinc in ſpecie non valde litigandum hactenus videtur, utrum aliquod fœdus Imperium Civile imminuat, nec ne, de quo §. 5. *h.* quanquam, ſi de libertate Civili alicuius gentis pronunciandum ſit, illa ſollicitius inquiri debent. Titius.

(*m*) *Convenitur*]. Federa hæc non producunt novam plane obligationem, quæ non jam antea vi præcepti naturalis adfuiſſet: id tamen efficiunt, ut officium, quod jure imperfecto hactenus exigi tantum poterat, nunc jure perfecto & bello poſſit vindicari. Quale fœdus initum eſſe deprehenditur anno 1452. inter regem Galliæ Carolum VII. & Helvetios: *Es ſollen beyderſeits Inwohner, Unterthanen, Botben, Pilgere, Edel oder Unedel, in und durch unſer Land wandelnde, ſie mit ihren Lyb und*
Güth

que promittuntur, ſimpliciter aut obſervata proportione virium; ſed & æquali modo, ita ut neutra pars præ altera ſit deterioris conditionis, aut alteri obnoxia (*n*).

J. N. & G. *l.* VIII. *c.* 9. §. 2.

IV. Inæqualia quando & a quibus contrahantur. Inæqualia ſunt, quando vel inæquales præſtationes invicem exhibentur, vel altera pars eſt deterioris conditionis. Promittuntur autem inæqualia vel a fœderato digniore, vel a minus digno. Prius fit, ſi potentior auxilia promittat alteri, nec reſtipuletur, aut ſi majori proportione, quam alter promittat. Poſterius contingit, ſi fœderatus inferior plura teneatur præſtare, quam ab altero recipit.

J. N. & G. *l.* VIII. *c.* 9. §. 4.

Eo-

Güth ſicheren Wandel haben hindurch und hinwider aller Beſchwerungs halb, Worten und Wercken von männiglich hindangeſetzet. Vid. WALCKIRCH *ad h. l. Pufend.* MULLER *annal. Saxon. p.* 8. *ad* 11. *Jan. p.* 18. *ad* 10. *Oct. p.* 21. *ad* 1. *Febr.* ubi plura exempla. TREUER.

§. III. (*n*) *Aut alteri obnoxia*]. Ejusmodi federa æqualia vel fiunt belli componendi, vel ſocietatis ineundæ cauſſa, quæ infinitos fines habere poteſt: vel enim percutiuntur federa æqualibus conditionibus ad cautionem contra quoscumque hoſtes, vel ad fines firmandos, vel ad commercia promovenda, vel ad impediendos hoſtes. TREUER.

§. IV. Inæqualia ſunt (1) Ratione præſtandorum militum vel nummorum. (2) Reverentiæ, ut vela, verbi gratia, demittantur, vel ut alterius imperium & majeſtatem comiter colat, id eſt, operam det, ut ejus imperium ſit in tuto & dignitas ei conſtet, Cic. *pro Balbo c.* 16. Liv. XXXVIII. *c.* 11. (3) Ratione imperii, ne alter populus Summum Imperium pro parte exerceat. Liv. XXX. 37. Plin. XXXIV. 14. (4) Bene Grotius I. *c.* 3. § 21. *n.* 10. & Forſtnerus ad Tacit. XIV. *Ann.* monuerunt, plerumque eos, qui ſuperiores ſunt in fœdere perpetuo, ſibi imperium, vel ejus particulam arrogare; ſicut Romanorum fœderati quidam *in ditione populi Romani erant* Liv. IX. 20. XXXIV. 57. & liberæ civitates precariam magis libertatem habebant, ideoque in cives earum damnatos a Romanis animadvertebatur, *l.* 7. §. 2. *D. de Captiv. & poſtlim.* Spanhem. *Orb. Rom. II. c.* 10. (3) Ipſi vero Romani etiam barbaris ad limites habitantibus ſalvo imperio ſtipendia ſolvebant, quæ *munera* appellabant auctore Salviano *l.* 6. *de Prov.* ſed Claudianus *fœdam mercedem* vocavit. vid. Lindenbrog. ad Ammian. XXV. 6. Hert. *Elem. prud. civ. p. I. ſect.* 12. §. 12. OTTO.

§. V.

Eorum, quæ a fœderato inferiore præſtantur, quædam ſunt CONJUNCTA CUM IMMINUTIONE SUMMI IMPERII, puta ſi conventum ſit, ne inferior ſocius partem aliquam Summi Imperii exerceat, niſi cum conſenſu ſuperioris. Quædam autem SUMMUM IMPERIUM NON DIMINUUNT, licet adjunctum habeant aliquod onus tranſitorium, ſeu quo ſimul & ſemel licet defungi; puta, ſi ex fœdere pacis alter teneatur ſtipendium ſolvere alterius militibus, belli ſumtus reſtituere, certam ſummam pecuniæ ſolvere, mœnia diruere, obſides dare, naves, arma tradere &c. Imo nec quævis perpetua onera Summum Imperium diminuunt. Qualia ſunt; eosdem cum altero amicos & hoſtes habere (*o*), ſed non reciproce; ne liceat certis locis munitiones exſtruere, ne ad certa loca navigare &c. Item ſi unus ſociorum alterius ſocii majeſtatem comiter teneatur colere, ſeu reverentiam quandam ipſi exhibere, & ſeſe ad ejusdem placitum modeſte adtemperare. V. Summum Imperium aut minuunt, aut non.

dict. §. 4.

Cæterum fœdera (*p*), tam æqualia quam inæqua- VI. Fœdera politica,

§. V. (*o*) *Eosdem cum altero amicos & hoſtes habere*]. Vana illa federa forent & per ſe injuſta; ſi offendendi cauſſa inſtituerentur: nemo enim ſui juris ad quævis bella promiſcue obligari poteſt, ut cuivis vim inferat, a quo læſus non fuerit: neque par eſt, paratum eſſe ad quemvis lædendum, quem alteri invadere placuerit; ſive juſte id fiat, ſive injuſte: ſed quum mutuæ ſecuritatis & amicitiæ cauſſa federa ineuntur; nemini fit injuria. Si enim quis aliquem federatorum adgrediatur; de injuria a reliquis ſociis federis ſibi facta conqueri nequit: novit enim, eos omnes unius federis vel ſocietatis vinculis eſſe unitos, in quorum uno omnes læduntur. Tale fedus occurrit pontificis Romani & ducis Ferrarienſis cum HENRICO II. Galliæ rege apud THUANUM *lib* XVI. *hiſtor.* *Ipſe amicos regis pro amicis, hoſtes pro hoſtibus ſine exceptione habere teneatur.* TREUER.

§. VI. Omnis materia fœderum referri poteſt ad pacis vel belli negotia, ſive illa ſint offenſiva, ſive defenſiva, ſive neutralitatis. Ad pacis fœdera pertinent, quæ commerciorum gratia ineuntur, & definiunt, quibus immunitati-bus

Digitized by Google

bellica commerciorum. qualia, varias ob cauſas ſolent contrahi, inter quas arctiſſimam fœderum ſpeciem producunt, quæ ad conjunctionem aliquam perpetuam plurium civitatum (*q*) ſpectant (*r*). Frequentiſſima autem ſunt, quæ ad auxilia, in bello defenſivo aut offenſivo præſtanda, aut ad commercia regenda pertinent.

J. N. & G. *l.* VIII. *c.* 9. §. 3.

VII. Fœdera quæ realia. Celebris quoque eſt diviſio fœderum (*s*) in REALIA

bus vectigalium ſubjecti utriusque Reipublicæ frui debeant. Exempla Marquardus *de Jure mercat.* Thomas Rimerus *Fœd. Britann.* Leibn. *in C. Diplom.* Recueil *des Traités de France.* & du Mont. *Corp. dipl.* ſuppeditabunt. (2) Fœderatorum autem, Belgarum & Helvetiorum Reſpublicæ rectius Syſtemata civitatum dixeris, uti Strabo & Polybius Achaicas Reſpublicas appellarunt, quæ ſimilem pæne in modum ad commoda indefinita & perpetua in unum corpus politicum coaluerant. vid. J. Schildium *de Coalitione Pop. & Rerump.* & Auctoris *diſſert. de Syſtem. Civit.* & ſupra II. *c.* 8. §. 13. OTTO.

(*p*) *Cæterum fœdera*]. Altera fœderum diviſio a *fine* aut *objecto ſpeciali* deſumitur, ac non tantum fœdera æqualia & inæqualia, ceu Auctor præcipit, ſed & ea, quæ communem humanitatem ſaltem confirmant, comprehendit. Explicatius paulo ſic fortaſſis dici poteſt; fœdera vel *pacem*, vel *bellum* reſpiciunt; *illa* pertinent vel ad *ſocietatem Civilem perpetuam*, qualia ſunt fœdera ſyſtematica, vel ad *utilitatem aliquam*, *per longius tempus*, *imo aliquando ſemper duraturam*; aliqua ratione commerciorum, peregrinationum, aut communis amicitiæ continuandæ iniri ſolent. *Hæc* vero vel cum *amicis ineuntur*, qualia ſunt, quæ auxilia in bello offenſivo & defenſivo præſtanda, aut neutralitatem concernunt, vel cum *hoſte panguntur*, quorſum retuleris omnis generis pacta bellica, ſi his quoque nomen fœderis applicari poſſe putes, quanquam hactenus fere aliam ſuppoſitionem ſequimur, add. *d. c.* 9. §. 3. Poſſent hac occaſione nonnulla de *Neutralitate* proponi, etſi rectius eadem in materia belli adducuntur. Tetigi ſumma capita in *Specim. Jur. Publ. l. III. c.* 4. §. 82. *ſeqq.* TITIUS.

(*q*) *Plurium civitatum*]. Vide ſupra *c.* 8. §. 15. CARMICH.

(*r*) *Spectant*]. Federa ſtricte ſic dicta differunt a ſyſtematibus civitatum ſive federibus ſyſtematicis, quæ hic innuuntur: (1) quia illa tendunt in certum aliquod commodum definitum: hæc in indeterminatum: (2) quia per federa reſpublicæ non coaleſcunt in unum corpus politicum vel civitatis, uti in his fieri ſolet: (3) quia federa non pro fine habent unionem perpetuam, uti ſyſtemata civitatum. TREUER.

§. VII Si ambigitur, fœdera realia ſint, an perſonalia, Grotius II. *c.* 16. intereſſe putat, num fœdera favorabilia ſint, an odioſa: ſed rectius liberas Reſpublicas diſtinguit a Regnis; (1) iſtarum enim fœdera plerumque realia ſunt, atque durant, licet Reſpublica in aliam

alia & personalia (*t*). Quorum hæc ſunt, quæ cum Rege intuitu perſonæ ipſius ineuntur, eoque defuncto ſimul exſpirant. Illa vero ſunt, quæ non tam ipſius Regis, populive rectorum, ut talium (*v*), quam Reipublicæ & regni intuitu contrahuntur, ac perdurant, iſtis licet mortuis, qui eorundem auctores fuerant. lia, quæ perſonalia.

J. N. & G. *l.* viii. *c.* 2. §. 6–8.

Con-

aliam formam fuerit mutata. (2) Quæ Reges limitati conſenſu Ordinum, ſecundum leges fundamentales, & tanquam capita populi, in uſum Reipublicæ, ineunt, itidem realia ſunt, eorumque ſucceſſores, ex latere venientes, etiam electos, obſtringunt. (3) Stabilia ſunt, in quibus Rex abſolutus vel patrimonialis ſucceſſorum fecerit mentionem; aut ſi dictum fuerit, fœdus perpetuo durare debere; vel ſi alter contrahentium ante alterius mortem fœderis conditiones a parte ſua impleverit. (4) Fœdera autem Regum, quorum poteſtas eſt reſtricta, ut ſucceſſorem obligare nequeant, regulariter ſunt perſonalia. (5) Omnia denique, ceſſante fine, exſpirant, nec ad tempus inita tacite prorogantur. (6) Elegans ad hanc materiam eſt *l.* 7. §. 8. *D. de Pact.* ubi Pedius ait: *Plerumque perſona pacto inſeritur, non ut perſonale pactum fiat, ſed ut demonſtretur, cum quo pactum factum ſit.* Otto.

(*s*) *Celebris quoque eſt diviſio fœderum*]. Tertia diviſio a *Subjecto* dependet, circa quam illud præcipue quæritur, quando fœdus reale vel perſonale dicendum ſit, quæ res neque ex *perſona contrahente*, nec ſemper ex *diſertis verbis* dijudicari debet, cum poteſtas ſucceſſores obligandi deficere queat. Dicendum igitur erit, fœdera, quæ a libero populo, velut ſubjecto regulariter immutabili, ineuntur, realia eſſe ac durare, licet in aliam formam Reſpublica mutetur, niſi forte primævum ſtatum unice reſpiciant, ſi vero a Rege, velut ſubjecto mutabili, contrahantur realia illa cenſeri, ſi juxtra præſcriptum legum fundamentalium, perſonalia vero, ſi præter illam normam inita ſint, add. *d. l.* VIII. *c.* 9. §. 6. 7.

2. Perſonæ & materia fœderum ex dictis jam intelliguntur. Officium autem paciſcentium eſt, ut fidem datam ſervent: occurrunt tamen ſubinde quæſtiones dubiæ circa id, quod actum ſit, vid. *d. c.* 9. §. 5. 9. 10. 11. quæ adeo efficiunt, ne quis ſemper violati officii argui queat, quamvis nec inſolitum ſit, ut cavillatione obligatio eludatur. Titius.

(*t*) *Realia & Perſonalia*]. Hæc diſtinctio præcipue in Monarchiis, & iis quidem non patrimonialibus, habet locum. Quæ autem Fœdera a Regibus inita, *realia*, quæ *perſonalia*, haberi debeant, vide Auctorem *J. N. & G. h. t.* §. 6. & *ſeqq.* nec non *Grotium l. II. c.* 16. §. 16. Carmich.

(*v*) *Ut talium*]. Rectores civitatum repræſentant totam civitatem: niſi ergo verba & negotii natura aperte oſtendant, ad regis *perſonam* rem omnem pertinere; quodvis fedus a rege & imperante percuſſum reale erit: nam nomen paciſcentis pacto inſeritur, non ut pactum reddatur perſonale; ſed ut innuatur tantum, quocum pactum

VIII. Sponſiones fœderibus conjunctæ quales.

Conjunctæ fœderibus ſunt Sponsiones (*x*), quæ proprie vocantur iſta pacta, quæ a miniſtro [illegible]mæ poteſtatis circa negotia ad eandem ſpectantia ſine ipſius mandato ineuntur. Quibus uti Summus Imperans (*y*) non tenetur (*z*), niſi poſt-

pactum fuerit compoſitum. Videndum quoque, an imperantis poteſtas federis condendi expreſſis limitibus ſit circumſcripta, an vero illimitata fuerit: nam ex pactis *fundamentalibus* judicare licet, quousque rectori civitatis liceat federa publica inire, & quæ requirantur, ut fedus reddatur reale. Treuer.

§. VIII. Sponſiones dicuntur, quia duces ſpondent pro Reipublicæ ratihabitione, & differunt a fœderibus, quod neque juſſu ſummæ poteſtatis, neque a Fecialibus ritu ſolenni contrahuntur. (2) Non obſtringunt Rempublicam, quæ illas iniri non mandavit: neque ſponſor facti incerti, quod ab aliena voluntate pendet, ultra induſtriam obligari videtur. (3) Neque milites, quibus ſponſio profuit, quicquam promiſerunt, adeoque nec obligantur, niſi quatenus eorum juſſu & nomine ſponſio contracta fuit. (4) Exempla duo celebriora ſunt in ſponſione Caudina & Numantina, circa quas Romanos, corpora Ducum ſpondentium dedentes, Grotius II. *c.* 15. §. 16. defendit. (5) Auctor autem in *Op. maj.* VIII. *c.* 9. §. 12. poſt Marianam III. *rer. Hiſpan. c.* 7. *ſeqq.* ſuperbiæ eos accuſat, quod ſuam magis utilitatem, quam leges honeſtatis, & æquitatis obſervarint. (6) Hoc amplius Ill. Thomaſius in *Diſp. Lipſ. de Sponſ. Rom. Caud. & Num.* eos injuſtitiæ & ruptæ fidei reos egit; quia militum cauſa, & in rem populi ſponſio erat facta, ideoque illos vel in furcas iterum deducendos, vel promiſſum ſervandum fuiſſe. Doloſe etiam ſponſores ipſos, pro induſtria promiſſa, contrarium ſuaſiſſe. Nec Samnitium aut Numantinorum imprudentiam, qua hiſce ſponſoribus fiſi ſunt, Romanos abſolvere poſſe. vid. *l.* 3 *D. de capt.* Liv. IX. 8. *ſeqq.* Flor. I. 16. & IX 18. Oroſ. V 5. Otto.

(*x*) *Conjunctæ fœderibus ſunt Sponſiones*] Harum indolem uti ſatis exprimit allata definitio, ita nomen Sponſionis alias generale huc applicatum videtur, vel quod promittentes pro Republica velut ſpondeant aut fidejubeant, vel quod promiſſio in hoc negotio valde notabilis ſit, adeoque ab illa hæc non immerito denominetur. Titius.

De his vide *Grotium d. c.* 15. §§. 16. & 17. ubi duas præcipuas de Sponſionibus Quæſtiones conſiderat, & celebribus exemplis illuſtrat. Carmich.

(*y*) *Quibus uti Summus Imperans*]. Ante ratihabitionem expreſſam vel tacitam, ex ſponſione Reſpublica & Imperans non obligatur, nec etiam ad eam faciendam tenetur, niſi utilitas publica hoc exigat, quanquam *hic* amplius videndum, an non ex culpa Miniſtri cauſa illa dependeat, tum enim nullius erit efficaciæ. Titius

(*z*) *Non tenetur*]. Rempublicam non obſtringi ſponſionibus, ex eo patet: (1) ſponſor nullum habuit jus promittendi vel paciſcendi: quia ſine mandato egit: (2) ex præſumto quidem populi conſenſu promiſit, nec præter rationem; ſed illius nulla eſt obligatio intuitu reipublicæ, nullus juris effectus: (3) quævis gens ſuarum rerum minus foret ſecura: nam in civibus ſuis ad quodvis intolerabile data occaſione ejusmodi ſponſionibus obligari poſſet: (4) ſi ſponſor ratihabitionem reipu-

poſtquam eadem rata habuerit: ita ſi miniſter (*a*) eas [illegible] abſolute contraxerit, & ratihabitio ſecuta non fuerit, ipſe viderit, quomodo ſatisfaciat illis, qui ejus fidem ſecuti inanibus pactis decepti ſunt (*b*).

J. N. & G. *l.* viii. *c.* 9. §. 12, 13.

publicæ promiſerit; ſpem fecit eorum, quæ non ſunt in ſua poteſtate: ergo pactum eſt de re impoſſibili. Ratas habuit ſponſiones gens una vel altera, partim quod e re ſua fuerint; partim quod ſponſores auctoritate valuerint inſigni; partim quod ob merita egregia eos noluerit turpiter dare: ſed ita gens egit humaniter, non ex obligatione perfecta. Treuer.

(*a*) *Ita ſi miniſter*]. Ipſe ſponſor primario obligatur ad eliciendam Imperantis ratihabitionem, hanc ſi impetrare nequeat, ad intereſſe tenebitur, cui quidem efficiendo vix ipſius bonorumque omnium deditio ſufficiet, vid. *l.* VIII. *c.* 9. §. 12. 13. In hiſtoria Romana Sponſio Caudina & Numantina in primis celebres ſunt, quas Dn. Thomaſius peculiaribus diſputationibus expoſuit. Hodie forte rariora ejusmodi Sponſionum erunt exempla, cum major ſit bellandi peritia, nec ſubditi caſus tale quid exigant.

2. Alias circa pacta Summorum Imperantium hæc promiſcue quæri ſolent: (1) *An in iis locum habeat reſtitutio in integrum.* Quod dicendum, ſi hoc nomine nihil aliud intelligatur, quam genuina interpretatio, qua ob neceſſariorum requiſitorum defectum, pactum invalidum eſſe oſtenditur, ſi vero, ob rationes utilitatis privatæ eo prætextu quævis obligatio paulo moleſta elidatur, tum impoſturæ colorem quæri facile liquet: (2) *An in pactis Regum ſolennia juris poſitivi obſervanda.* Quod negandum, niſi aliud ſit actum, (3) *An contractus cum ſubditis initi ſubjaceant dominio eminenti.* Quod aſſerendum, ſi vera utilitas ſubſit, (4) *Quousque obligatio Regis in ſucceſſores transeat.* Quatenus vel ejus contrahendæ arbitrium penes eum unice fuit, vel illa ex voluntate civitatis contracta eſt; vid. *l.* VIII. *c.* 10. Titius.

(*b*) *Decepti ſunt*]. Vide ſupra *lib. I. cap.* 9. §. 19. cum Obſervatione 1.

Ad hunc locum Auctoris *de J. N. & G.* ſubjungit Cl. *Barbeyracius* diſſertationem ex Cl. *Buddei Philoſ. Pract. part. II. c.* 4. *ſect.* 5. §. 19. *& ſeqq.* de Jure *Legationum*: qua de re nobis breviter ita videtur habendum. Obligatio admittendi Legatos, ubi graves cauſæ non obſtant, ſed imperfecta tantum, eſt naturalis. Ubi ſunt admiſſi, eſt procul dubio Naturalis Juris, ut nec ob controverſiam publicam qualemcunque, nec ob fidem & diligentiam, qua ſuæ Civitatis negotia adminiſtrant, Civitatis, apud quam Legatione funguntur (modo a doloſis adverſus ipſam abſtineant machinationibus) animadverſioni ſint obnoxii. Cætera Legatorum Privilegia malim cum *Grotio l. II. c.* 18. Juri Gentium voluntario tribuere. Incolumitas vero Tubicinum, qui literas perferunt, ut & eorum, quibus commeatus eſt conceſſus in Bello etiam Civili, eſt Juris haud dubie naturalis.

Quia hic ſubiungit Auctor in *J. N. & G.* aliud Caput *de Pactis Regum promiſcuis*, confer de iisdem *Grotium l. II. c.* 14. Carmich.

Nonnullis juſtum eſſe videtur, ut res in priſtinum ſtatum reſtituatur, ſi reſpublica ſponſoris fa-

ctum non adprobet. Id vero præceptis juſti non requiritur: bona enim fide verſatur circa illud negotium; & nihil quidquam eſt, quod ei poſſit imputari. Commodum, quod ex eventu ſponſionis in eam redundavit, nullo decipiendi conſilio, nullo dolo adquiſitum, non factum vel cauſſam adprobat, quo illud fuit procreatum: nihil tamen etiam contulit ad factum perpetrandum. Gens, cui ſponſio facta eſt, non ignoravit, miniſtrum reipublicæ nullum habere mandatum, nullum jus promittendi: cur pactum invalidum inivit? habeat ſibi, quod promiſſum invalidum acceptaverit, & gratis ejus conditiones impleverit. Sponſoris deditio tamen juſta eſt; ſi ſponſor fingens ſe certum eſſe de adprobatione reipublice, eamdem abſolute promiſerit: fallere enim voluiſſe præſumendus eſt: ſi vero nil niſi operam ſuam in adquirendo reipublicæ adſenſu promiſerit; ejus deditio foret injuſta; quando omnem movit lapidem, ut eumdem obtineret: mali quoque doli reus eſt ſponſor, ſi reipublicæ ſuæ auctor ſit repudiandæ ſponſionis. Poſito itaque dolo malo dedendus eſſe videtur: homo enim noſter ſi læſerit alterum; vel damnum a nobis ſarciendum, vel homo tradendus erit. Exempla ſponſionum habemus in *Caudina*, de qua Livius *l.* IX. *c.* 8. in *Numantina*, de qua Florus *l.* II. *c.* 18. in *Luctatiana* apud Polybium *l.* III. *c.* 5. in Tremollii cum Helvetis apud Guicciardinum *l.* XII. in Mendosæ cum Belgis apud Grotium *hiſt. Belg. l. II. ad* A. 1602. De cetero confer Thomasium *diſſertationibus duabus Lipſienſibus, altera de ſponſione Romanorum Caudina: de Numantina altera.* Treuer.

Digitized by Google

Caput XVIII.

De Officiis Civium.

Summaria.

I. *Officium civis generale,*
II. *Triplex,*
III. 1. *Erga rectores civitatis,*
IV. 2. *Erga totam civitatem,*
V. 3. *Erga concives.*
VI. *Officia civium ſpecialia,*
VII. *Conſiliarii,*
VIII. *Sacri miniſtri,*
IX. *Doctoris ſcientiarum,*
X. *Judicis,*
XI. *Præfecti armorum,*
XII. *Militis,*
XIII. *Legati,*
XIV. *Præfecti rei numariæ.*
XV. *Officia civium quo uſque durent.*

Officium Civium (*c*) eſt vel Generale, vel Speciale. Illud oritur (*d*) ex communi obligatione, qua iſti imperio civili ſunt ſubjecti. Hoc I.

I. Officium vel generale vel ſpeciale.

§. I. Supra II. *c.* 6 §. 13. leviter attigit civium indolem & varietatem, qui a coëundo, vel a ciendo dicti. Hi naſcuntur, aut fiunt conſenſu expreſſo, vel tacito; ſed multis modis differunt: nam alii magis, alii minus ſunt liberi, ex forma Reipublicæ. Alii meri ſunt ſubditi, alii ſimul Magiſtratus, & Status regni, aut provinciarum. Quidam mediate, quidam immediate ſunt ſubjecti; & alii denique ut ſinguli, alii ut in collegio conſiderantur: (2) omnium jura ſunt libertas conſcientiæ & rei domeſticæ, com-

 munio

Hoc vero ex peculiari munere (*e*) & functione, quæ per Summum Imperium ſingulis eſt injuncta (*f*).

§ II. Generale triplex. Officium generale civium (*g*) reſpicit vel Rectores civitatis, vel totam Civitatem, vel Concives.

Re-

munio legum, munerum & immunitatum: ſingulorum autem jura variant pro ratione muneris, ætatis, ſexus & dignitatis, in qua ſunt conſtituti, (3) officia ſunt vel communia, quæ cives tanquam homines, obſervare debent, vel propria, eaque vel generalia, vel ſpecialia. Otto.

(*c*) *Officium civium*]. Alteram perſonarum claſſem in Republica conſtituunt *Cives*, ſeu *Subditi*, quorum indolem & varietatem, *c.* 6. §. 13. h. l. lit. (*r*). *ſeqq.* expoſui, hic de officio eorum diſſeritur, ſequitur vero hoc ipſorum conditionem ſeu ſtatum, cum igitur omnes in eo conveniant, quod ſint ſubditi, hinc exoritur *officium generale*, cum porro diverſis muneribus varioque vitæ genere diſtinguantur, peculiaribus quoque nexibus, generali ſubjectionis vinculo ſubordinatis inter ſe nonnulli connectantur, ac peculiaria corpora, ut municipia, vicos, pagos aliaque collegia, vel ſocietates efficiant, hinc exſiſtit *officium ſpeciale*. Titius.

Officia civium ex principiis juſti multis modis auctor hic confundit officiis decori; & nonnunquam modum agendi ex prudentiæ doctrina admiſcet: quæ tamen probe a ſe invicem ſunt ſecernenda. Materia quoque dicendi adeo ampla eſt & copioſa, ut intra artos hujus capitis cancellos idea adæquata officiorum civium omnium ad præcepta juſti delineari nequeat: vix eadem delibare licet. Treuer.

(*d*) *Illud oritur*]. Officium civium generale includit etiam humanum, nam hoc ſalvo in civitatem homines coëunt, adeoque illi Civile adjiciunt, ex quo liquet generale illud officium non unice ex ſubjectione oriri, ſed ejus partem eximiam præſupponi, ac per hanc firmari atque augeri. Titius.

(*e*) *Hoc vero ex peculiari munere*]. Munus & officium poſſunt quidem promiſcue accipi, ſed hic per *illud* intelligitur ſtatio quædam, peculiare jus agendi eique innexam ut plurimum exiſtimationem, nec non facultatem fruendi quibusdam commodis complectens, per *hoc* vero actio moleſta & neceſſaria, quæ illa commoda comitatur. De cætero officium ſpeciale non tantum ex munere aliquo, publice collato, ſed & ex quavis profeſſione ac vitæ genere privato poteſt repeti; nam v. gr. opificum & mercatorum eſt etiam officium ſpeciale, dum utilitatis publicæ præcipuam habere rationem, de cætero vero utilitati propriæ innoxiæ operam dare debent. Interim frequentius ex munere publico officium ſpeciale deducitur, quo etiam Auctor reſpicit. Idem.

(*f*) *Eſt injuncta*]. Vel etiam ab iis ſponte ſuſcepta, quousque Leges permittunt: neque enim neceſſum erat ea ſola hic conſiderari Officia, quæ publicum Statum directe reſpiciunt. Sed quæ hujus ſunt generis, ea fere non tam egent multis verbis exponi, quam pluribus vivis exemplis illuſtrari. Carmich.

§. II. (*g*) *Officium generale civium*]. Sub hoc humanum comprehenditur

Rectoribus Civitatis (*h*) civis debet reverentiam, fidelitatem & obſequium. Cui conjunctum eſt, ut idem præſenti ſtatu adquieſcat (*i*), neque ad res novandas animum adjiciat, neque alteri cuivis adhæreat magis, eundemve admiretur & veneretur; uſque bene ac honorifice de iisdem, & eorum actionibus ſentiat, atque loquatur. III. Erga rectores civitatis quod.

Erga totam Civitatem (*k*) officium boni civis eſt, ut ejus ſalute & incolumitate nihil habeat IV. Erga civitatem totam quod.

tur, hoc enim juxta tres reſpectus memoratos occurrit: addi poteſt quartum, Deum ejusque cultum reſpiciens, quod itidem vel humanum, vel civile eſt, quatenus ſcilicet religio Imperio Civili ſubeſt. Titius.

§. III. Imperanti *reverentia* debetur, ut ſuperiori; *fidelitas* ex pacto jurejurando firmato; *obſequium*, ſi juſta imperat, ex natura ſubjectionis & pacto, vi cujus populus, abdicata ſua libertate, ad præſcriptum Principis agere & pati promiſit. Unde cives Imperanti non reſiſtere, neque ab aliis relaxationem vinculi petere, neque extero magis addicti eſſe poſſunt, quamvis Imperans metas officii tranſiliat, modo animus hoſtilis abſit. Signa venerationis in titulis & geſtibus variant pro conditione imperii herilis vel civilis. vid. Beckmanni *Not. dign. diſſert.* 6. & Hert. *Prud. civ. p. I. ſect.* 6. §. 28. Otto

(*h*) *Rectoribus civitatis*]. His civis obligatur, vel ut homo, ad communia ſocialitatis officia, vel ut ſubditus juxta doctrinam Auctoris. De cætero hoc officium manet, licet Imperans metas officii ſui tranſiliat, niſi hoſtilem plane animum induat, quanquam de pravis Imperantis moribus libere loqui, periculoſum magis, quam injuſtum videtur. Titius.

(*i*) *Adquieſcat*]. Obligatur civis perfecte ad obſequium & patientiam; non quidem, quia homagium præſtitit, quod ad uniendam civitatem non eſt neceſſarium, quum nullam novam obligationem inferat; ſed tantum in ſignum & declarationem ſubjectionis adhibeatur: obligatur vero per vinculum conſenſus ſui in imperium rectoris civitatis; adeoque perfecte tenetur ad ea præſtanda, quorum hic auctor mentionem injicit. Treuer.

§. IV. Civitati, cujus membra ſumus, debemus fidelitatem, caritatem & ſtudium ejus commoda promovendi. Hinc animus & corpus ad munera Reipublicæ ſunt excolenda, & tantum acquirendum eſt, ut ad onera ferenda aliquid ſupereſit. (2) Si utilitas privata colliditur cum publica, hæc debet præferri; quia omnes omnium caritates patria complectitur, pro qua nemo bonus dubitare debet mortem oppetere, ſi ea Reipublicæ ſit profuturus, ait Cicero I. *Off* 17. qui & poſtea III. 23. patriæ ſalutem ait anteponendam eſſe ſaluti patris, quod Valer. Max. confirmat V. 6. vid. Auctoris *Diſſert. de Obligat. erga patriam*, & Cl. Clerici *Art. crit. p. II. ſect.* 2. *c.* 5. §. 16. Otto.

(*k*) *Erga totam civitatem*]. Utilitas publica cum privata non ſemper colliditur, hinc hactenus ſecure huic indulgetur, ſi vero colliſio fiat, illa utique præferenda, quo loco tamen obſervandum,

beat carius; ut vitam, opes fortunasque ſuas ad eandem ſervandam libenter offerat: ut ad eandem illuſtrandam, ejusque commoda promovenda omnes ingenii & induſtriæ nervos intendat (*l*).

V. Erga concives quod.

V. Erga Concives (*m*) civis officium eſt amice & pacifice cum illis vivere, commodum ſeſe ac facilem præbere; nec moroſitate aut pervicacia ſua turbas dare; cæterorum commodis non invidere, aut eadem intervertere (*n*).

VI. Specialia officia. Eorum lex generalis.

VI. Specialia officia (*o*) vel per univerſam ſeſe Rempublicam velut diffundunt, vel circa certam

dum, officia civium ſeſe heic mutuo velut reſpicere, ac unius præſtationem ab alterius impletione quodammodo ſuſpendi; publico enim non conſulitur, niſi unitis viribus, quod ſi igitur perverſa illa invaluerit conſuetudo, ut a plerisque privata utilitas publicæ præferatur, etiam bono alioquin civi vitio verti nequit, ſi ſe ſuaque inefficaci ac publico haud profutura probitate in caſum dare nolit. Si vero utilitas publica prætextui ſaltem ſumatur, ac moleſtæ præſtationes a ſubditis, explendæ tantum aliorum avaritiæ, exigantur, tum nullam ad eas faciendas ſubeſſe obligationem, manifeſtum eſt. Titius.

(*l*) *Induſtriæ nervos intendat*]. Quæ hic recenſentur ab auctore, maximam partem ad principia decori referenda ſunt. Bonus civis omnino in caſu neceſſitatis vitam, corpus, opes conſervationi civitatis ſubtrahere nequit: ſed ſtricto jure non tenetur quisque, ut urgente quadam reipublicæ neceſſitate, ipſe ſeſe ſtatim offerat: exſpectat, non quærit pericula pro republica ſubeunda; & ſic civitati non facit injuriam. Patria ordinarie præfertur noſtræ ſecuritati, principiis honeſti & ſecundum normam virtutis, non juſtitiæ: dulce & decorum eſt pro patria mori. Treuer.

§ V. (*m*) *Erga concives*]. Inter cives ſpecialis conventio non interceſſit, vid. *c.* 6. §. 8. n. l. lit. (*a*) hinc horum erga ſe invicem officia tantum humana videntur, commune tamen ſubjectionis vinculum efficit, ut cæteris paribus, eadem potius civi, quam extraneo exhibere debeamus. Titius.

(*n*) *Aut eadem intervertere*]. Ex principiis juſti officium civis eſt, pacem externam non turbare, & fidem datam ſervare: commodum & facilem ſe præbere, ex principiis decori deſumtum. Treuer.

§. VI. Specialia civium officia, vel ut *futura*, vel ut *præſentia*, conſiderari poſſunt. Priore reſpectu quisque muneri, quod aliquando capeſſet, ſe præparare; præparatus per media illicita ad illud non graſſari; neque plura munera, quam quibus par eſt, nec partem Reipublicæ, cui non eſt idoneus, ambire debet. Quod ſi enim in viliſſimis artibus illiberalibus nemo aliquid præſtare poteſt, niſi eas didicerit; merito Socrates ſtultum eſſe cenſuit, qui putet, gubernandæ civitatis prudentiam civibus ſponte ſua obvenire. (2) Nemo affectare debet munus, cui ſe imparem eſſe novit; cur autem ultro delatum non ſuſcipiat, tantæ non ſunt rationes;

Digitized by Google

tam duntaxat partem occupantur. Circa quæ omnia (*p*) hoc generale præceptum habetur: Ne quis ullum officium in Republica affectet aut ſuſcipiat, ad quod ſeſe ineptum deprehendit (*q*).

(*r*)

nes; quia aptitudo non conſiſtit in puncto, & qui juvenes præ modeſtia deſperabant de viribus ſuis, ſæpe in ſenectute maximi evaſerunt; neque intereſt adeo Reipublicæ, ut in majoribus collegiis omnes perinde ſint idonei. (3) Plato Reipublicæ male conſtitutæ argumentum vocat, ſi munera publica nummis redimantur; quod enim virtute effici debebat, pecunia tentatur, & divitiæ in majore ſunt pretio, quam ſapientia; totaque civitas ſenſim fit avaritiæ dedita auctore Ariſtotele II. *Polit.* 9. *Neceſſe eſt, ut qui emit vendat*, Severus ajebat apud Lamprid. *c.* 49. Gallorum vero quidam magnum ſuorum animum ex ambitu honorum jactant, & de fiſci illa induſtria Thuanus *lib.* CXXXII. Bodinus V. *de Rep.* 4. VI. 2. Barclay *Icon. anim. c.* 3. & Loiſeau *des Off. hered.* multa dixerunt; ſed Liptius *Not. ad III. Polit.* 10. exclamat: *O Francia, quod jaces & peris, hanc habes vel inter primas cauſas.* Otto.

(*o*) *Specialia officia*]. Hæc omnia quidem ad civitatis utilitatem collimare debent, adeoque quoad *finem ultimum* & *generalem* illa conveniunt, ſed *objecto* & *fine ſpeciali* diſcernuntur; quædam enim munera, quæ proxime Imperium Civile diſpenſant, per univerſam Rempublicam ſe diffundunt, quædam vero illis ſubordinata circa partes occupantur, quæ omnia variis gradibus diſtinguuntur, variaque gaudent exiſtimatione; de cætero munera ſpecialia, vel ut *obtinenda*, vel ut *obtenta* ſpectari poſſunt. Titius.

(*p*) *Circa quæ omnia*]. Juxta primum reſpectum hæc præcepta obſervanda ſunt, (1) *ne ineptus munus ambiat* §. 6. *b.* Sed ignavum fuerit, talem ſe exiſtimare; innata ambitio facile potius decernit, ut quis ſe aliis non tantum parem, ſed & ſæpe ſine pari, exiſtimet! (2) *ne plura munera, quam quibus obeundis quis par ſit, affectet ac ſuſcipiat:* imo (3) *ſi jam ſuppetat, unde commode vivere poſſit, ne alios a munere expungat.* Denique (4) *ne in obtinendis muneribus pravis artibus utatur.*

2. Veritas harum regularum manifeſta eſt, quemadmodum earum neglectus non minus uſitatus & notus, nam ut plurimum in ambiendis & diſpenſandis muneribus pudor & conſcientia exulant, cum nunquam ſecurius delinquatur, quam in ejusmodi objectis generalibus, ubi quis manifeſti ſceleris non ſtatim poteſt convinci. Impediendo abuſui, delatio munerum certis legibus & ſtatutis ſolet eſſe circumſcripta, ſed ut omnia humana facile corrumpuntur, ita etiam via illa ordinaria ſæpe ſolet eſſe corruptiſſima, ut nonnunquam alicui vitio verti non poſſit, ſi manu Regia veteratores ſub ſpecie recti pravis affectibus indulgentes deludat. Idem.

(*q*) *Seſe ineptum deprehendit*]. Juſtitiæ perfectæ regula non eſt, ne quis munus ſuſcipere debeat, ad quod ineptum ſe eſſe deprehendit: ſicuti enim nemo jure perfecto petere poteſt munus, ad quod adminiſtrandum vires ſibi competere deprehendit: ita quoque nemo jure perfecto tenetur munus recuſare, cui exercendo par non eſt: (1) ceteris enim, qui aptiores ſunt, non facit injuriam: quia non habent jus perfectum ad illud munus: (2) pax externa etiam

VII. Officia Conſiliariorum Principis.

— (*r*) Qui Conſilio ſuo (*s*) rectoribus civitatum adſiſtunt, in omnes Reipublicæ partes aciem mentis convertant; quæ ex uſu Reipublicæ videbuntur eſſe, dextre & fideliter, citra affectus ac pravos reſpectus, exponant; ſalutem Reipublicæ in omni-

non turbatur neceſſario, neque in civitate, quum aliorum conſiliis in munere peragendo feliciter uti poſſit: uti quotidie in ſummis muneribus id fieri videmus, neque ratione ſui, cujus ſecuritas ea ratione non tollitur: (3) aptitudo ad munera res eſt difficillimæ diſceptationis & infinitis confidentiæ, diffidentiæ, paſſionum, præjudiciorum erroribus obnoxia. Aptiſſimi ſæpe ſuis viribus diffidunt, & ineptiſſimi quique nimium confidunt: res illa ad internam conſcientiæ inquiſitionem ſpectans forum juris externum non ingreditur: (4) munera multa reipublicæ ita ſunt comparata, ut ii, qui quum præficerentur, minus idonei erant ad ea obeunda, procedente tempore & accedente exercitio feliciſſime iis præfuerint: de multis itaque res erit incertæ determinationis. Nullum ergo præceptum juris naturæ hic fingi debet: nec tamen ignorantiæ, nec ineptis munerum candidatis ſic apologia ſcribitur, quorum omnino intereſt ex regulis honeſti, decori & prudentiæ vires ſuas cum muneribus obeundis comparare, conſcientiæ ſuæ rationem habere, & cavere, ne in altum tollantur, ut lapſu graviore atque turpiore ruant. Treuer.

§. VII. Dotes & officia eorum, qui Regi aut Reipublicæ ſunt a conſiliis, Lipſius *Doctr. civ. III. c.* 8. 4. 5. Silhon in *Miniſtre d'Etat*, Naudæus *in Arcan ſtat. c.* 5. aliique pluribus deſcripſere. (1) Ante omnia is noſſe debet initia, progreſſus & jura Reipublicæ; nam *ad conſilium de Republica dandum caput eſt, noſſe Rempublicam*, ait Cicero II. *de Orat.* 28. (2) Forti animo & maturo judicio, vacare muneri, atque in omnibus quietem ſubjectorum, ſalutem regni, & incrementum boni publici intendere oportet, ſecundum Hoſpitalii ſymbolum: *Si fractus illabatur orbis, impavidum ferient ruinæ.* (3) Exteris nihil revelet, Imperanti nil reticeat, neque inhoneſta juxta atque honeſta laudando ei blandiatur. *Regum opes ſæpius aſſentatio, quam hoſtis evertit*, ait Curt. VIII. 5. (4) Si eventus conſiliis non reſpondeat, puniri nequit; quia conſilium non eſt obligatorium, neque de futuro quiſquam ſatis callidus ſatiſque prudens eſt; quum prava æque ac bona conſilia proſpere eveniant auctore Salluſtio *Orat. II. de Rep. Ord* vid. Ampl. Bynkershoekium II. *Qu jur. publ. c.* 2. (5) *Eccleſ.* X. *vſ.* 2. *Qualis eſt judex populi, tales etiam ſunt miniſtri ejus, & qualis eſt dux civitatis, tales omnes habitatores ejus Rex rudis perdit populum ſuum, civitas vero intelligentia potentum habitabitur.* Otto.

(*r*) Juſtum eſt circa conſilia, ut pacem externam non violent; nemini injuriam inferant; fidemque datam non frangant neque actionibus injuſtis occaſionem præbeant. Cetera aliis diſciplinis explicanda relinquimus: de quibus commendari meretur Besoldi egregius liber *de conſilio.* Treuer.

(*s*) *Qui conſilio ſuo*]. Poſtquam munus obtentum eſt, Lex Naturalis exigit, *ut quis eodem rite fungatur*, ex quo ſpecialia præcepta affirmativa & negativa deducuntur, id quod Auctor, quoad Conſilia-

omnibus conſiliis pro ſcopo habeant, non proprias opes, aut potentiam; pravis affectibus Principum adulando non veliſicentur; factionibus & coitionibus illicitis abſtineant: nihil, quod dici oportet, diſſimulent, nihil, quod taceri oportet, eliminent: exterorum corruptionibus impenetrabiles ſeſe præbeant; privatis ſuis negotiis aut voluptatibus publica negotia non poſthabeant.

(*t*) Qui publice conſtituti ſunt ad Sacra obeunda, in iisdem gravitatem & attentionem adhibeant, vera de cultu Numinis dogmata propo- nant, VIII. Officia ſacrorum miniſtrorum.

ſiliarios §. 7. Circa ſacra occupatos §. 8 Doctores §. 9. Magiſtratus §. 10. Militum Duces §. 11. Milites §. 12. Legatos § 13. & Rei pecuniariæ præfectos §. 14. declarat, quæ monita in ſe egregia ſunt, ſed ſæpe in vita Civili negliguntur. Fallendi artes infinitæ ſunt, nec ego illas intelligo, nec adeo referre poſſum aut volo: in genere tamen illæ duorum generum ſunt, vel enim quis muneri ſuo non vacat, & ſalaria in otio & luxu conſumit, aut etiam ſuæ litat avaritiæ, vel eodem ad alios expilandos & opprimendos abutitur. Cauſa ultima illius abuſus non ita obſcura eſt, ut eadem recte attendentibus non facile appareat: illud interim certum videtur, ſocialitatem nulla re magis, quam iſto munerum abuſu, affligi & opprimi. Titius.

§. VIII. Ad Sacra obeunda eligendi ſunt viri probi, moribus primum, deinde facundia pollentes; qui cives ducant ad veram pietatem, ſed atheismum, hypocriſin & ſuperſtitionem expellant; Chriſti & Apoſtolorum exemplo rebus ſeculi ſe non immiſceant, nec Principes ad perſecutionem diſſentientium inſtigent. *Divini ſacerdotii integritate lucentes non ſolum vitam ſuam proprio præſtant ornamento, ſed etiam ſubjectæ plebis atque obedientis exemplo*, ajunt Imperatores in *l. 2. C. Th de Epiſc. jud.* (2) Optime Budd. *Theol. mor. p II c. 3. & p. III. c 2.* tum dotes & requiſita miniſtrorum Eccleſiæ, tum officia eorum in munere paſtorali ſuſcipiendo & adminiſtrando, in docendo, redarguendo, admonendo & increpando explicavit. (3) Impedimenta eorum varia; & duo vitia cardinalis Cleri, præſertim vero Romani, ab aliis notata ſunt, avaritia & ambitio. De faſtu & tyrannide Epiſcoporum antiquæ ſunt querelæ apud Iſidorum Peluſiotam II. *Ep* 125. & Gregorium Nazianzenum *Orat.* 21. De Leiceſtrianis temporibus Grotius ſcribit *Apolog.* 2. *Quidam præ ſe tulere ardentius ſtudium religionis. quaſi genuini legitimique rectores eam rem frigidius curarent: ſed res docuit ambitionis & avaritiæ id fuiſſe obtentus. Suo contentum eſſe, non exigua veræ pietatis pars eſt.* Adde Cl. Barbyraci *Orat. de Magiſtratu, ſorte peccante, e ſuggeſtu non preſcindendo.* Otto.

(*t*) Monita omnia, quæ Auctor hic tradit, ad bonos mores & forum ethicum pertinent. Sacerdotum officia ſecundum principia Juſti in civitate non determinanda ſunt ex relatione ad Deum, uti in foro morali fieri

nant, eorum, quæ ipſi docent, populo ſeſe conſpicuum exemplar exhibeant, nec pravitate morum muneri ſuo dignationem, doctrinæ pondus detrahant.

IX. Officia Profeſſorum artium.

(*v*) Queis publice injunctum, variarum Scientia rerum animos civium imbuere, nihil falſi aut pernicioſi doceant: vera autem ita tradant, ut auditores iis aſſentiantur, non tam adſuetudine audiendi, quam quia ſolidas eorundem rationes perſpexerunt: omnia dogmata ad ſocietatem civilem turbandam directa fugiant; omnem ſcientiam humanam inanem habeant, ex qua nulla in vitam humanam & civilem utilitas redundat.

X. Officia judicum.

(*x*) Qui Juri dicundo præficiuntur, quibusvis faci-

ri ſolet, ſed ex relatione ad rempublicam, ubi ſacerdotibus maxime incumbit (1) jura majeſtatica imperantium nulla ratione violare, diminuere, ſibique adrogare: (2) bona civium atque reipublicæ non deglutire, nexumque rerum gerendarum infringere: (3) ſe poteſtati imperantium legibusque civilibus non ſubtrahere, nec majeſtati imperare velle: (4) nullas in republica turbas emotionibus ſermonum excitare & in imperantes dirigere: quæ quam bene obſervata ſint a clero Romano, experientia teſtis eſt. Treuer.

§. IX. Magna publicarum Scholarum ſunt commoda: alit in illis æmulatio ingenia, prudentia accenditur juvenilis, & amicitiæ perpetuo duraturæ contrahuntur, vid. Quintilian. I. *Inſt. Orat.* 2. Vulgo autem veræ eruditionis indoles aut ſpernitur, aut ignoratur; dum Philoſophia moralis, Hiſtoria patria & lingua vernacula in Academiis inculta jacet, in qua pleraque munera deinde obeunda ſunt: cauſæ & fontes doctrinarum non inveſtigantur: ſenſus honeſtatis auditoribus non inſtillatur, & parentes denique ad vota properantes cruda liberorum ſtudia in forum propellunt. Seneca *Epiſt.* 105. *Ut omnium rerum, ſic literarum intemperantia quoque laboramus: nec vitæ, ſed ſcholæ diſcimus.* vid. Poiret *de Erudit. ſolida.* Otto.

(*v*) Docentium eſt ſe ſuamque doctrinam legibus civilibus ita adcommodare, ne ea turbetur reſpublica: cetera ex logica & ethica perſpicienda ſunt. Treuer.

§. X. Judex publica auctoritate conſtitutus, ut civium facta ad legis regulam examinet, debet eſſe vir bonus, qui ſine affectu ſecundum legum præſcripta & conſcientiam, actis atque probatis inſtructam, ſententiam ferat; vid. *l.* 6. §. 1. *D. de Off. Præſ. l.* 4. §. 1. *D. Fam. erc. l.* 14. *C. de Judic. Levit.* XIX. 15. *Deut.* I. *vſ.* 17. XVI. *vſ.* 19. (2) Tres ſunt peſtes juſtitiæ capitales: corrupti judices, æternæ lites & Advocatorum improbitas. Vetus dictum eſt: *Dona Deos vertunt ipſos, Regesque timendos.* Sed Cambyſes Siſamni regio judici, quod injuſte ob

facilem acceſſum præbeant, plebem ab oppreſſionibus potentiorum protegant; jus æque pauperi & humili, quam potenti & gratioſo dicant, lites ultra neceſſitatem non extrahant; a corruptelis abſtineant; in cognoſcendis cauſis diligentiam adhibeant, omnesque affectus ſinceritatem judicii corrumpentes ſeponant; recte faciendo neminem timeant.

[*Qui cauſis orandis ſe addicunt, Juſtitiæ ſacerdotes. portum Eloquentiæ ſuæ ſalutarem non etiam Piratis patefaciant, ſed cauſæ maxime intuitu in Advocationem ducantur: cui ſuſceptæ fidelem navent operam; ſed ita, ut nunquam Cauſæ magis, quam Veritati & Juſtitiæ ſerviendum putent; neque idcirco ſuſceptam cum*

ob pecuniam judicaſſet, pellem totam detraxit, eaque in lora conciſa tribunal ejus intendit, filio in patris locum ſubſtituto, auctore Herodoto, vid. *c.* 25. Decemviri quoque Romæ in XII. Tabb. munus accepiſſe, judici capital eſſe voluerunt; nec quicquam ſordium amatores juvat xeniorum indulgentia in *l.* 6. §. 8. *D de Off. Proconſ.* (3) Bene Calliſtratus in *l.* 19. *D. de Off. Præſ.* monet: jus reddenti obſervandum eſſe, ut in adeundo ſe facilem præbeat, & utramque partem patienter audiat *l.* 3. *D His quæ in teſt. del.* eſt enim magna pars juſtitiæ patientia judicis, quam primam religioni ſuæ debet Plin. VI. *Epiſt.* 2. Seneca *Medea vſ.* 199. *Qui ſtatuit aliquid parte inaudita altera, æquum licet ſtatuerit, haud æquus eſt.* (3) Pergit Calliſtratus: ſed nec excandeſcere debet adverſus malos, nec precibus calamitoſorum illacrymari; id enim non eſt conſtantis & recti judicis, cujus animi motum vultus detegit. Vide Lamb. Goris & Ziegleri *Diſſertat. ad d. l.* 19 & de ulteriore familiaritate vitanda, quam contemtus ſequitur, Ill. Bynkershoek V. *Obſ.* 14. (5) Vitet quoque judex, ne propter miſericordiam addicat plus pauperi, eoque famæ gloriam aucupetur. Sic Moſes vetuit judicem pauperis miſereri *Exodi* XXIII. *vſ.* 3. & Quintilian. XII. *Inſt. c.* 7. *Summovendum vero utrumque eſt ambitus genus, vel potentibus contra humiles venditandi operam, vel illud etiam jactantius minores, utique contra dignitatem attollendi. Non enim fortuna cauſas vel juſtas, vel improbas facit.* (6) Officia Advocatorum expoſuit Quintilian. *dict.* XII. *Inſt. c.* 7. Eadem ex *l.* 6. *C. de Poſtul.* & *l.* 14. §. 1. *C. de Judic.* illuſtrari poſſunt. Secundum leges XII. Tabularum, Patronus ob fraudem clienti factam ſacer erat, auctore Servio ad Virgil. *Æneid.* VI. *vſ.* 609 juncto Dionyſio Halicarn. II. *Ant.* 10. Otto.

(*x*) Boni judicis in civitate ſe-

cum melior videretur, litem, cognita inter dicendum ejus iniquitate, dimittere dubitent, cum prius litigatori dixerint verum: quo nec fallant vana ſpe litigantem, nec apud Judices injuſta ſcientes tueantur; ſeu factorum veritatem pervertentes, ſeu de Jure id ſuſtinentes affirmare, quod ipſi e Tribunali judicantes, vel e Cathedra docentes, pronunciare erubeſcerent. Qua demum Religione temperatum Advocati munus, Juſtitiæ adminiſtrandæ impedimento non erit, ſed adjumento.

Qui ægrotis ſanandis opem ſuam pollicentur, arti ſuæ cognoſcendæ, magisque ac magis excolendæ, tum etiam cujusque ægrotantis caſui inveſtigando, ſeriam ac ſedulam dent operam: ex ſupervacua curationis mora iniquam mercedem ne captent; ſed maxime idonea ſingulis remedia præſcribant; eadem ſc. omnia, quibus ipſi in ſimili caſu uterentur, quæve ſibi conjunctiſſimis propinarent.] CARMICH. *

XI. Officia præfectorum armorum.

(y) Quibus ARMORUM cura commiſſa, militem di-

ſecundum principia juſti eſt, ita juſtitiam adminiſtrare, ne alicui fiat injuria; ne morbi reipublicæ creſcant; nec privatæ vindictæ criminibusque aſyla permittantur. TREUER.

* Nemo, opinor, ægre feret, quod duos nobiles Literatorum Ordines, in quorum alterutrum Academicæ Juventutis bona pars ſperatur aliquando adſcribenda, noluerim in hoc Catalogo prorſus deeſſe: Quod cauſarum patronos in primis a Judicibus ſeparandos non cenſuerim; quorum & officium, ne quis rigidius id hic definitum queratur, magni eorum Inſtitutoris *Quintiliani* (Libri XII. Cap. 7.) magis quam meis verbis deſcripſi. Quin & ejusdem officii agnitionem ipſi, qui tamen id non ſemper explevit, *Ciceroni* Veritatis evidentia extorſit; cujus hæc apud *Ammianum* laudantur verba *lib. XXX. cap.* 4. Quæ Fragmentorum Collectores ad IV. *Ciceronis* de Republica Librum referunt. *Cum nihil tam incorruptum eſſe debeat in Republica, quam ſuffragium, quam ſententia; non intelligo, cur qui ea pecunia corrupterit, pœna dignus ſit; qui Eloquentia, laudem etiam ferat: mihi quidem hoc plus mali facere videtur, qui oratione, quam qui pretio Judicem corrumpit, quod pecunia corrumpere prudentem nemo poteſt, dicendo poteſt.* CARMICH.

§. XI. Quod animus eſt in corpore, illud dux eſt in exercitu; tanti ille ſit, quanti Imperator, & cadente duce, cadit animus militis.

Digitized by Google

diligenter & tempeſtive exerceant, & ad tolerandos militiæ labores firment; diſciplinam militarem ſartam tectamque habeant; milites hoſti jugulandos temere non objiciant; annonam & ſtipendium quantum in ſe promte procurent, nec de eo quidquam intervertant; milites ſemper ut Reipublicæ faveant, curent nec unquam eos ſibi adverſus Rempublicam concilient.

XII. Officia militum.

Milites contra ſtipendiis ſuis contenti ſint; ab expilandis & vexandis paganis abſtineant; labores pro tuenda Republica libere & ſtrenue obeant; pericula per temeritatem non arceſcant, per ignaviam non defugiant; fortitudinem in hoſtem, non

ſtis. Illius quoque contemtu diſciplina militaris hebeſcit, & melior eſt exercitus cervorum, duce leone; quam leonum, duce cervo, ut Philippus Macedo dictitabat. Sic Livius II. 39. *Ducibus validiorem, quam exercitu, rem Romanam eſſe.* Florus III. 22. *Apparuit militis Hiſpani vigor, Romano duce.* & Tacit. *de M. G. c.* 30. *Plus reponere in duce, quam in exercitu.* (2) Ducis ergo officium eſt agere dilectus, dilecto militi præire, eum exercere, commeatum curare, parcere ſanitati ſuorum, eos temere non committere fortunæ, munera, pœnas & exempla recte diſponere: *Diſciplina caſtrorum antiquior fuit parentibus Romanis, quam charitas liberorum*, eſt in *l.* 19. §. 7. *D. de Captiv. & poſtl.* Otto.

(y) §. XI. & §. XII. Conf. Naudæum *de ſtudio militari.* Treuer.

§ XII. Militis eſt fortiter pugnare, ſtationem non deſerere, nec ſe ſuosque commilitones in fugam conjicere turpiſſimam. Cicero l. *de Off. c.* 23. *Temere in acie verſari, & manu cum hoſte confligere, immane quiddam & belluarum ſimile eſt: ſed cum tempus neceſſitasque poſtulat, decertandum manu eſt, & mors ſervituti turpitudinique anteponenda.* (2) Scutum reliquiſſe non modo apud Lacedemonios, ſed etiam Romanos atque Germanos ſummæ ignaviæ atque infamiæ fuit, Horat. II. *Od.* 7. de ſe ipſo: *relicta non bene parmula.* Tacitus *de M. G. c.* 7. *Scutum reliquiſſe, præcipuum flagitium, nec aut ſacris adeſſe, aut concilium inire ignominioſo fas, multique ſuperſtites bellorum infamiam laqueo finiverunt.* (3) De prompto obſequio Tacit. I. *Hiſt. c.* 83. *Si ubi jubeantur, quærere ſingulis liceat; pereunte obſequio, etiam imperium concidat.* (4) In plerisque civitatibus acuendæ virtutis gratia, utque Optimus quisque libentius Reipublicæ cauſa periculum adiret, præmia & honores iis ſunt conceſſi, qui pro Republica cecidiſſent. Plato eos τοῦ χρύσου γένους, aurei generis; *magnos obitus* Valerius Flaccus vocat, & Juſtinianus *Illi, qui pro Republica ceciderunt, in perpetuum per gloriam vivere cenſentur. pr. Inſt. de Excuſ. tut.* Omnia Ducum & militum bonorum requiſita Lipſius *Doctr. civ. lib.* V. Naudæus, *de Stu-*

non in commilitones oſtentent; ſtationem aſſignatam maſcule defendant; honeſtam mortem turpi fugæ & vitæ præferant.

J. N. & G. *l.* viii. *c.* 2. §. 4.

XIII. Officia legatorum. (z) Quorum opera civitas apud exteros utitur, cauti ſint & circumſpecti, inania a ſolidis, vera a fabuloſis diſcernere callidi, ſecretorum tenaciſſimi, pro utilitate ſuæ civitatis adverſus quaslibet corruptiones obſtinati.

XIV. Officia præfectorum rei numariæ. (a) Qui Opibus civitatis colligendis aut diſ-

Studio militari. Machiavellus & Hugo excuſſerunt. Otto.

§. XIII. Legatorum officia ex fine ſatis apparent; mittuntur enim a Summo Imperante, ad publica negotia caute, fideliter, ſtricte & ad uſum Reipublicæ expedienda. (2) Mittuntur cum charactere, vel ſine eo. Illi vel primi ſunt ordinis, vel ſecundi: utrique vel Plenipotentiarii, vel Formularii: Ordinarii vel extraordinarii: negotioſi, vel officioſi. Cæſar III. *B. C.* 57. *Aliæ ſunt legati partes atque Imperatoris: alter agere ad præſcriptum, alter libere & ad ſummam rerum conſulere poteſt.* (3) Jura legatorum adeo difficilia ſunt, ut præcipuum juris gentium caput efficiant, & a Joh. Hotmano, Alb. Gentile, Paſchalio, Kirchnero, Marſelario, Ant. de Vera, & Wicquefortio integris libris ſint explicata. Redeunt ea ad duo capita, ut, niſi gravis obſtet cauſa, admittantur, & ne admiſſi violentur: de quibus ad Grotium II. 18. (4) Optime vero de Legatis, ut ceteris omnibus meritus eſt Ill. Bynkershoekius *de Foro Legat* & *Qu. J. P. II. c.* 3. & *ſeqq.* ubi qui recte Legatos mittant, qui recte mittantur, quid miſſi olim egerint & nunc agant, cum publice audiuntur; an valeat, quod contra arcanum mandatum actum eſt; an donum munus iis accipere liceat, & alia ejusdem argumenti, ſolide pariter, ac libere exponuntur. Add. Buddei *Philoſ. pract. p. II. c.* 4. 5. 6. §. 19. *ſeqq.* Cl. Barbeyrac. *ad Opus maj.* VIII *c.* 2. Cl. Kemmerichii *Puf. enucl. app. c.* 23. & Obſ. Halenſ. *t.* IX. *Obſerv.* 8. 9. Otto.

(z) De legatorum munere & peccatis, quibus injuriam inferant, videndi Wicquefort, Lancellot, de Marselaer, de Callieres &c. Treuer.

§. XIV. Quæſtores ærarii, pecuniæ publicæ colligendæ ac expendendæ præfecti, duo in primis, moderationem & æqualitatem, in exigendis tributis, adhibere, ſibique cavere debent ab omni acerbitate: ne vel in periculum vitæ incurrant; vel populus ad res novandas animum impellat. Recte Tiberius apud Sueton. *c.* 32. *Præſidibus, onerandas tributo provincias, ſuadentibus, reſcripſit: Boni paſtoris eſſe, tondere pecus,*

DISPENSANDIS præſunt, caveant ab omni non neceſſaria acerbitate, nec ob proprium quæſtum, aut per petulantiam vel malignitatem animi oneris quid adjiciant; publici nihil intervertant; quibus de publico quid ſolvendum, illis citra moras non neceſſarias ſatisfaciant.

XV. Officium civis quousque duret.

DURAT autem civium (*b*) ſpeciale officium, quamdiu in ea functione, ex qua illud profluit, ſunt conſtituti: qua ubi abeunt, & illud exſpirat. Generale itidem durat, quamdiu cives ſunt (*c*).

CI-

pecus, non deglubere. (2) Vitent quoque ſuperbiam & avaritiam, commune malum eorum, qui ærario præſunt, uti Herodianus obſervavit VII. *c.* 4. Veteres eunuchis idcirco curam ejus credidere, quod liberos non haberent, qui parentes ſæpe pecuniæ avidiores facere ſolent. Veſpaſianus vero procuratoribus pro ſpongia uſus eſt, dum quaſi ſiccos madefecit, & expreſſit humentes. Suet. *Veſpaſ.* 16. Vehementia, ſed illuſtria, ſunt verba Catonis apud Gell. XI. 18. *Fures privatorum furtorum in nervo atque compedibus ætatem agunt. Fures publici in auro atque purpura.* OTTO.

(*a*) Crimina eorum, qui opibus civitatis conligendis adhibentur, vel ærario præfecti ſunt, nusquam curatius detecta leges, quam in *recueil de defenſes de Mr. Fouquet*, XIII. Tomis in 12 edito. Conferri quoque merentur de eorum officiis *les memoires du Duc de Sulli* duobus tomis in fol. excuſi. TREUER.

§. XV. Ceſſante munere ceſſant officia civium *ſpecialia*, at *generalia* durant, quamdiu aliquis civis eſſe non deſiit. (2) Deſinit autem vel *ſalva* civitate; ut emigratione, exilio, captivitate aut deductione in coloniam ejusmodi, quæ vel plene ſui juris eſt vel civitatis matris majeſtatem tantum comiter veneratur, (3) vel civitate *pereunte*, ſi v. c. primum pactum civitatis, diſperſo populo, diſſolvitur; vel omnes partes tolluntur, ſine quibus corpus Reipublicæ conſiſtere non poteſt. Si vero pro uno imperio plura exiſtunt, & plures evadunt civitates, ut poſt mortem Alexandri M. quilibet ſuæ tantum civis manet. (4) Non idem dicendum, ſi pactum ſecundum diſſolvitur: nam civitatis *eadem ſpecies*, ut Alfenus Varus in *l.* 76. *fin. D. de Judic.* ait ſeu conſociatio juris atque imperii manet; licet altera relatio partium inter ſe, quæ regunt & reguntur, ſublata ſit. vid. Grot. II. *c.* 9. & Auctoris *Op. maj.* VI. *c.* 3. §. 11. & VIII. *c.* 11. §. 1. OTTO.

(*b*) *Durat autem civium*]. Civium officia, quatenus ex facto dependent, nec per naturam immeditate conſtituuntur, hypothetica ſunt, adeoque ſtatu vel conditione, quam præſupponunt, ſublata ceſſant. Deſinit itaque ſpeciale officium, munere extincto, quin tamen de ante geſtis quis rationem reddere teneatur, dubitandum non eſt, hæc enim obligatio, ex facto præterito orta, ſubſiſtit, licet obligatio quoad actiones futuras ceſſet. TITIUS.

(*c*) *Generale itidem durat, quamdiu cives ſunt*]. Quod tamen intel-

Cives autem esse desinunt (*d*), vel ſi conſenſu expreſſo (*e*) aut tacito (*f*) civitatis diſcedant, & alibi ſedem fortunarum figant (*g*): vel ſi ob delictum in exilium ejiciantur (*h*), ſce-

telligendum de officio, quatenus Civile eſt, ſeu a facto dependet, nam humanum officium, quod ſub generali atias comprehendi, diximus ſupra §. 2. lit. (*g*). ſemper durat. Idem.

(*d*) *Cives autem eſſe deſinunt*]. Duplici modo hoc contingit, vel *ſalva civitate*, ad quem caſum Auctor unice hic reſpicit, vel *illa mutata aut pereunte*, qui caſus rarior eſt, accidere tamen nonnunquam ſolet. Idem.

(*e*) *Vel ſi conſenſu expreſſo*]. Salva civitate quis civis eſſe deſinit, ſi alio migret, quod quidem ſine conſenſu civitatis fieri non poteſt, attamen hæc regulariter illud denegare nequit, cum migratio illa ſit innoxia, ob juſtas tamen cauſas conſenſus ille ut denegari poteſt: ita migraturis aliquod onus regulariter imponere non eſt iniquum, modo humanitatis regulæ obſerventur: conf *l.* VIII. *c.* 11. §. 1. 2. 3. Ex iis autem conſequitur, quod civitas gregatim diſceſſuros dimittere non teneatur, licet diſſentiat Auctor *d. c.* 11. §. 4. Idem.

(*f*) *Aut tacito*]. Tacitus civitatis conſenſus hic ſemper ſubeſſe videtur, quando unus vel alter civium diſcedit: & exinde nullum reipublicæ damnum contrahitur; neque pax externa turbatur. Civitas tamen data occaſione diſceſſum publica lege prohibere poteſt: ubi dein expreſſo conſenſu imperantium opus, ſi civis alio ſe convertere velit, qui litteris dimiſſoriis facta juris civici renuntiatione ſolet declarari, maxime eo tempore, quando tales cauſſæ adſunt, quæ recenſentur ad ſup. *cap.* XV. §. 6. Treuer.

(*g*) *Et alibi ſedem fortunarum figant*]. Hoc utique requiritur, ut is, qui civis amplius eſſe non vult, territorio antiquo excedat, nam ut quis in eodem manet, & tamen Imperio Civili ſubeſſe nolit, id quidem indoli civitatis repugnat, hinc qui tale quid ſub quocunque prætextu moliuntur pro hoſtibus Reipublicæ haberi, ac niſi a propoſito admoniti deſiſtant, vel expellendi, vel vi in ordinem redigendi ſunt. vid. *d. c.* 11 §. 3. Id tamen non præciſe opus eſt, ut quis actu e patria diſcedat, nam ſi civis velut legatus alius civitatis in antiquo territorio toleretur, eo ipſo civitatem mutaſſe cenſendus eſt, nec opus eſt aliqua fictione, cui Auctor *d.* §. 3. indulget. Vinculo autem ſemel legitime ſoluto, priſtinæ civitati nihil amplius juris in civem dimiſſum competit, hinc nec mandatis avocatoriis eum retrahere, nec in illum, ſi velut miniſter novæ ſuæ civitatis admittatur, juriſdictionem exercere poteſt, *d. c.* 11 §. 3. Imo ſi juſta cauſa ſubſit, dimiſſus etiam contra patriam, ſeu veterem civitatem, operas ſuas recte præſtabit. Titius

(*h*) *Vel ſi ob delictum in exilium ejiciantur*] Aut etiam ob delictum alibi commiſſum civitati læſæ dedantur, vid. *d. c* 11. §. 7. 9. Invitum autem civem, nullo antegreſſo delicto civitas non recte expellit, *d. c.* 11. § 6 Si tamen civis a religionis formula, publice probata diſſentiat, tum ei emigratio, ſed innoxia imponi poteſt, nam licet ſuo jure utatur, dum religionem, quam veram putat, ſequitur, non minus tamen civi-

& jure civitatis priventur (*i*); vel ſi hoſtica vi oppreſſi (*k*) in victoris ditionem concedere adigantur (*l*).

J. N. & G. *l.* VIII. *c.* II.

civitas ſuo jure utitur, ſi civem per omnia rationibus publicis ſe non attemperantem, in territorio ſuo tolerare nolit: de cætero raro heic intra terminos æquitatis conſiſti, experientia quovis tempore docuit & docet. Idem.

(*i*) *Et jure civitatis priventur*]. Solum igitur exilium ſubjectionis vinculum non tollit; videtur igitur diſtinguendum, utrum *cum exilio bonorum ademtio ſit conjuncta*, id quod olim in deportatione Romana contingebat, tum ſubjectio tollitur; an *illud ſolitarium ſit*, hoc caſu relegatus minimum quoad res in civitate remanentes ſubditus manet, quod ſi autem talis, qui omnia ſua ſecum portare ſolet, ejiciatur, illum pro extraneo habere nil vetat. Idem.

(*k*) *Vel ſi hoſtica vi oppreſſi*]. Denique ſalva civitate, per vim hoſtilem non tantum ſinguli, ſed & quandoque eximia ſubditorum pars, Imperio priſtino eximuntur, nam ob neceſſitatem ſubditis ſeſe hoſti dedere fas eſt, add. *d. c.* 11. §. 8. Sola tamen violenta illa occupatione ſubjectionis vinculum non penitus tollitur, ſed per pacem iſta res demum plene definitur; hinc quamdiu hæc nondum eſt ſecuta, ſubditi avulſi contra veterem Rempublicam ſponte nihil moliri debent.

Denique adiiciendum, quomodo civis eſſe quis deſinat civitate mutata aut pereunte. Mutatur civitas, (1) ſi manente unitate ejus forma alia introducatur, vid. *l.* VIII. *c.* 12. §. 1. 2. 3. 4. (2) Si plures civitates in unam coaleſcant, vel una in plures diſcernatur, *d. c.* 12. §. 5. 6. (3) Si diverſæ civitates fœdere ſyſtematico conjungantur. Interit autem (1) ſi omnes cives internecione deleantur, (2) multitudo diſſolvatur ac diſſipetur, (3) civitas alteri velut provincia ſubjiciatur, add. *d. c.* 12. §. 7. 8. 9. Omnibus illis caſibus civis priſtinæ civitatis quis eſſe deſinit, in caſu mutationis, ſecundum quid; interitus, abſolute. Idem.

(*l*) *Concedere adigantur*]. Hoc poteſt contingere, vel ſingulis, dum bello capti patriis ſedibus abducuntur; vel pluribus junctim, dum Regio, aut Urbs, in qua ſedem habent, bello occupatur. At priore modo exploſa inter Chriſtianos ſervitute bello captorum Civitas hodie non amittitur: nec poſteriore modo per meram occupationem bellicam relatio partis avulſæ ad Civitatem, cujus pars fuit, ſtatim ſolvitur, ſed magis in Belli exitum ſuſpenditur. Atque omnibus modis h. §. recenſitis, deſinere quis poteſt eſſe Civis, ipſa Civitate ſalva, licet in poſtremo caſu anguſtioribus finibus incluſa. Sed & deſinit unusquisque eſſe Civis, perdita ipſa Civitate: quod, quibus modis fiat, vide apud Auctorem *J. N. & G. cap. ult.* §§. 8. & 9. & apud *Grotium lib. II cap* 9. §§. 4, 5, & 6. Confer & *Lockium Tract poſter. de Imp.* §. 211. Cæteræ mutationes Civitatum, quæ a laudatis modo Auctoribus in iisdem capp. deſcribuntur, civile vinculum non tollunt. Noto hic obiter, exemplum Scotorum, quo utitur *Puſend d.* §. 8. *in fin.* ſpeciei illic propoſitæ non eſſe accommodatum: Scotos

 enim

enim non fuiſſe a *Maximo* ita diſperſos, *ut coire amplius inter ſe nequiverint*, poſtea docuit eventus. CARMICH.

Adde adlatis modis: (4) ſi civitatis forma mutetur, cui civis voluntatem ſuam adſtrinxit; niſi denuo conſenſerit in ejus mutationem, ſive id fecerit libere, ſive coacte: (5) ſi civitas plane intereat. Vid. BOECLER. *inſtit. polit.* *l. I. c.* 6. BODIN. *de republ. l. I. c.* 6. TREUER.

GERSCHOMI CARMICHAËL
APPENDIX
Continens Theſes Ethicas contractas, quibus Moralis Diſciplinæ tradendæ ordo, ut nobis videtur, maxime naturalis ſuccincte delineatur.

CUM *in quavis fere diſciplina dogmatum tradendorum evidentia pendeat in primis ab eorum nexu inter ſe, & cum certis, quibus ſuperſtruuntur, principiis, atque adeo ab ordine, quo omnia invicem colligantur; priori noſtrarum in præcedentem Tractatum obſervationum editioni ſubjunxi Appendicem, in qua ordinem, quem in ſcientia morali tenendum Natura quaſi digito monſtrare nobis videtur, quousque is a* Pufendorfiano *differt, rudi utcunque* Minerva *deſcripſi. Cum autem diſtinctior ejusdem idea ex aliqua, quantumlibet brevi ipſius Diſciplinæ Synopſi, eodem ordine tradita colligi poſſe videatur; Synopſin ejusmodi qualemcumque ſequentibus Theſibus complecti ſum conatus; idque eo magis, quod eædem aliis ſimul uſui inſervire queant, utpote quæ ad Textum* Pufendorfianum, *ut noſtris obſervationibus auctum vel emendatum, aut ad ipſa Supplementa noſtra Lectorem referentes paucis admodum verbis uberem ſatis materiam ordinariis Academicæ Juventutis Diſputationibus ſuppeditent.*

Theſis I. *Ut Homo ad felicitatem, ad quam juxta fundamentalem Naturæ ſuæ legem ſemper adſpirat, in ſingulis ſuis actionibus recta collineet via, neceſſe habet ad Amorem & Venerationem erga Summum Numen teſtandum eas componere; & quicquid in iis ejusdem neglectum vel odium prodere aptum ſit, religioſe*

Digitized by Google

fugere; Suppl. I. §§. 1.—9. *hoc eſt, Legi divinæ conformes, ſive moraliter bonas, eas præſtare.* Ibid. §. 10.

II. *Legis itaque directioni ſunt obnoxiæ, atque adeo moralis Bonitatis vel Malitiæ capaces, omnes & ſolæ actiones liberæ, earumve omiſſiones.* Suppl. I. §§. 11. & 12. *Confer Textus* Puſendorfiani cap. 1. §§. 1.—17. *Quæ actiones vel omiſſiones accidente demum Lege fiunt actu* Morales, *atque adeo proxime imputabiles*, Suppl. I. §. 13.

III. *Quibus ex Capitibus æſtimanda ſit actionum noſtrarum Imputatio in foro* Dei *& Conſcientiæ, diximus* Suppl. I. §§. 14.—18. *Quæ vero actiones, & qui eventus tanquam cum actionibus noſtris connexi in foro humano imputentur, tradit* Puſend. cap. 1. §. 18. *& ſeqq. ad finem.*

IV. *Quamvis ſola Lex Divina per ſe obliget, ut in eam omnis noſtrarum actionum moralitas ſit ultimo reſolvenda; haud tamen inutiliter conſiderari poſſunt, quæ de Lege in genere, atque inde deſumptis actionum qualitatibus, in* cap. 2. *tradit* Puſend. *eaque hic loci ventilanda proponuntur.*

V. *Lex Divina, non ſolum per ſigna poſitiva, ſed magna ex parte per ipſam rerum naturam ſignificatur; quo pacto ſignificata dicitur* Lex Naturalis; *eſtque hæc idcirco Lex vere divina, in cujus præceptis eruendis quum verſetur Ethica, eſt ea re ipſa* Juris naturalis prudentia. Suppl. I. §§. 19, 20. 21.

VI. *Cum Homo debitum, vel indebitum, erga* Deum *affectum actionibus ſuis teſtari poſſit, vel immediate ac directe, vel mediate ſeu indirecte: Officia Lege Naturali nobis præſcripta, alia ſunt immediata, alia mediata.* Suppl. II. §. 1.

VII. *Officia* immediata *omnia, quæ ſpecialius explicata vide apud* Puſend. cap. 4. *ſummatim comprehenduntur in hoc uno, quod &* primum *ſtatuimus,*

Jui

Juris Naturalis præcepto, DEUM eſſe colendum. Suppl. II. §. 2.

VIII. *Officiorum vero mediatorum ſumma in eo conſiſtit, ut* Quiſque univerſi Humani Generis commune Bonum, &, quoad hoc patitur, proprium ſingulorum pro viribus procuret. *Quod vide oſtenſum* Suppl. II. §§. 3, 4, 5.

IX. *Cum porro ad humani generis commune Bonum ſpectent manifeſte omnes iſtæ actiones, quibus quis ſibi, aut alii cuivis ita benefacit, ut nullius alterius utilitatem lædat; hinc ſponte fluit* ſecundum *Juris Naturalis præceptum*, Cuique Homini, cujusvis Hominis, & in ſpecie (*cum quisque ſibi plura, quam alii cuivis, iſtiuſmodi commoda comparare poſſit, cumque aliis debita officia ex præcepto* Socialitatis *deduci ſemper queant*) ſuam innoxiam utilitatem eſſe quærendam. Suppl. II. §. 6. *Confer* Pufend. cap. 5. §§. 1, 2, 3. *& adde* Suppl. III.

X. *At quia diverſorum, atque adeo noſtra ac cæterorum Hominum commoda non raro inter ſe colliduntur; ut, quid in hiſce caſibus humano generi in univerſum ſit utilius, dignoſcamus; advertendum eſt, ex indole & conditione Hominum in terris degentium (qualis ea deſcribitur ab Auctore* cap. 3. §§. 1.—7.) *ſatis conſtare. Humano Generi, ut ſalvum ſit, neceſſum eſſe ut ſit* ſociabile: *unde ſponte fluit* tertium *Juris Naturalis præceptum, idemque omnium officiorum conflictantes diverſorum Hominum utilitates reſpicientium commune Criterium*, Cuique Homini, quantum in ſe, colendam & ſervandam eſſe Socialitatem. Suppl. 2. §§. 7.—12. *Confer ipſum Auctorem* cap. 3. §. 7. & ſeqq.

XI. *Vitæ ſocialis cultura (ut conſtat ex rationibus allatis* Suppl. II. §§. 13. & ſeqq.) *in eo conſiſtit, quod quisque Jus ſuum ita tueatur, ut cujusvis Juris, ſecundum naturalis Æqualitatis hypotheſin alii*

cuivis competentis, debitam rationem habeat. Unde colligimus, ad officii, cæterorum Hominum intuitu cuique incumbentis, limites definiendos, rectiore via nos incedere non poſſe, quam varia, quæ Hominibus junctim aut ſeparatim competunt, vel competere poſſunt Jura, *ex quibus ſua ſponte innoteſcunt correſpondentes* Obligationes, *ordine perpendendo.*

XII. *Jura vel ſunt* Perfecta, *vel* Imperfecta, cap. 2. §. 14 Obſ. 1. *Utraque vel ſunt* ſingulorum Hominum (*aut Cœtuum, quæ tamen, cum ex communicatis ſingulorum Juribus reſultent, ſeparatim hic conſiderari non egent*) *vel* univerſi Humani Generis.

XIII. *Singulorum Hominum Jura perfecta vel ſunt* Naturalia, *vel* Adventitia. *Jura* Naturalia *præcipua recenſuimus* Obſ. in cap. 9. §. 1. *iiſque correſpondentem indefinitam obligationem Auctor inculcat* cap. 6. §. 2.

XIV. *Jura* Adventitia *vel ſunt* Realia, *vel* Perſonalia. *Inter Jura Realia eminet* (*imo ubi eſt illibatum, quale ex originariis acquirendi modis reſultat, illa omnia complectitur*) Dominium: *de quo agit* Pufend. cap. 12. *Juribus porro realibus eandem, quæ naturalibus, indefinitam obligationem correſpondere oſtendit* cap. 6. §. 3. & cap. 13. §. 1.

XV. *Jura* Perſonalia (*quorum naturam & originem vide fuſe expoſitam* Obſ. in cap. 9. §. 1.) *variis modis conſtituuntur; ſed præcipue* Pacto, *ſive mutuo conſenſu idoneis indiciis declarato, ejus, adverſus quem, & ejus cui, acquiruntur. Qua de re agit Auctor* cap. 9.

XVI. *Ad Pactorum obligationem refertur, quæ & ipſa tacito ſaltem pacto fulcitur, obligatio non niſi vera narrandi: de qua* cap. 10.

XVII. *Tum pactis, tum aſſertis graviſſimum pondus accedit per* Jusjurandum: *de quo* cap. 11.

XVIII.

XVIII. *Pacta, quæ circa res vel operas in commercium venientes, adeoque certo pretio æſtimabiles* (*vide* cap. 14.) *verſantur, illa in primis, quæ cum crebrius occurrant, certis ſuis nominibus inſigniuntur*, Puſendorfio *appellantur* Contractus; *de quibus* cap. 15.

XIX. *Sed & absque Pactis* (*ſæpe ſolo facto ejus adverſus quem valent*) *Jura* Perſonalia *conſtituuntur variis modis; ut* Poſſeſſione rei alienæ, cap. 13. §§. 2. & ſeqq.; *item ex diverſis iſtis cauſis, quæ* Quaſi Contractuum *veniunt nomine*, Suppl. IV.

XX. *Præcipue vero ea naſcuntur ex delicto; eoque vel* præterito, *quatenus per illud damnum eſt datum, quod ejus reparandi* (*imo & ſi dolo datum ſit, non raro in poſterum cavendi*) *obligationem infert* cap. 6. §§. 4. & ſeqq.; *vel* præſente, *quatenus per hoc, vel damnum intentatur, cujus avertendi, vel debitum denegatur, cujus extorquendi cauſa violentia eſt neceſſario adhibenda*, cap. 5. §§. 5–17. *Conſule in ſpecie* Obſerv. *in dict.* §. 17. *quæ, quod ad poſterius membrum, Supplementi vicem gerit.*

XXI. *Jura* Perſonalia (*præter ea quæ ad ultimam claſſem retulimus, quæ quousque durent, vide dict.* cap. 5. §§. 8. 9. 12.) *ea præſertim, quæ ex Pactis oriuntur, variis modis abolentur*, cap. 16. *recenſitis.*

XXII. *Sunt etiam quædam Jura partim realia, partim perſonalia, ſed ſæpius & majori ex parte realia; quæ fundantur extra ordinem in ſingulari aliqua neceſſitate* cap. 5. §§. 18. & ſeqq.

XXIII. *Sunt & Jura quædam perfecta, communia* (*ut ſupra dictum* Th. XII.) Humani Generis *collectim ſumpti, ut perſonæ per ſucceſſiva ſæcula durantis; quæque ejus gratia & nomine, ſingulis Hominibus in Statu Naturali, pleraque etiam in Civitate, ubi res moram non fert, a* Deo *mandantur exequenda. Qualia ſunt* Jus impediendi, *ne quis ſe*

 ipſum,

ipſum, *vel alium*, *licet volentem ſine juſta cauſa occidat*, *mutiletve* cap. 5. §. 4 *ne quis illicito aut vago utatur concubitu* lib. II. cap. 2. *ne quis res humanis uſibus a natura conceſſas*, *quæque aliis uſui*, *præſertim diuturniori*, *eſſe poſſunt*, *citra neceſſitatem diſperdat*; *aliove quocunque modo viventibus aut poſteris manifeſtum damnum inferat*: *ne quis item mortuis debitam reverentiam violet*. *Jus denique contra Naturæ Legem atrociter delinquentes corporaliter* puniendi (*vid.* Obſerv. in cap. 5. § 17. *&* *in* lib. II. cap. 13. §. 5.) *quod tamen in Civitate a ſingulis ad Imperantem devolvi diximus ad* lib. II. cap. 7. §. 1.

XXIV. *Sunt & Jura* Imperfecta, *eaque tum* Indefinita cap. 8. §. 2. *tum* Definita, *ejusdem Capitis* §. 4. & ſeqq.

XXV. *Cum plurima Hominum Officia aut Legibus poſitivis aut Pactis circumſcribantur*, *atque adeo a recta verborum*, *quibus ea concipiuntur*, *interpretatione pendeant*; Regulæ interpretandi, *in primis quatenus Leges & Pacta reſpiciunt*, *haud immerito in Juris Naturalis Diſciplina locum vendicant*: *quas vide explicatas* lib. I. cap. ult.

XXVI. *At præter* generalem *iſtam Societatem*, *cujus vinculo omnes inter ſe Homines Natura conjunxit*; *ſunt &* particulares *quædam*, *eæque arctiores Societates*, *quibus certos Homines inter ſe eorum Neceſſitas vel Utilitas intervenientibus fere quibusdam ipſorum factis devinxit*; *quarumque incundarum finis poſtulat*, *ut alter alteri imperet*, *hic illi viciſſim obtemperet*. *Collineant autem hæ Societates*, *vel ad indigentias mutuo ſupplendas*, *vel ad præſidium adverſus injurias parandum*: *illi fini per minores fere*, *& inprimis per* Domeſticas *Societates conſulitur*; *huic per majores*, *quæ* Civitates *vulgo audiunt*: *utrobique Status* Adventitius Naturali *ſuperinducitur*. lib. II. cap. 1.

XXVII.

XXVII. *Inter particulares Societates primo loco venit* Conjugalis, *utpote quæ Generis Humani eſt Seminarium. Hujus Leges & fluentia inde officia deſcribuntur* cap. 2.

XXVIII. *Ex Conjugio provenit* Proles; *interque eam & Parentes mutuæ Obligationes; de quibus* cap. 3.

XXIX. *Effecerunt quoque diverſæ Hominum Conditiones, ut mutuis Pactis, quibus utriusque Partis utilitati conſuleretur, in familias adſciſcerentur* Servi; *dum alii etiam inviti in ſervilem Conditionem ſunt detruſi*, cap. 4. *quorum tamen poſterius quam raro jure fiat, notavimus* ibid. *ad* §§ 4, 5, 6.

XXX. *Quantumvis nihil ſit vel Utilitatis vel Suavitatis in humana vita expetibile, quod ex Officiorum generalium, & eorum quæ ex domeſtica Societate fluunt, alacri & univerſali præſtatione obtineri non poſſe videatur; effecit tamen communis mortalium pravitas, ut non ſine vinculis Societatum, quæ ſeverioribus contineantur Legibus, & validiores aptæ ſint producere effectus, Hominum Salus in tuto locari queat: cui idcirco per* Civitates *eſt conſultum* cap. 5.

XXXI. *Hæ propter naturalem Hominum Æqualitatem non niſi futurorum Civium* Conſenſu *jure poſſunt iniri: hic conſenſus, quibus modis eliciatur, vel elici poſſit, explicatur* cap. 6.

XXXII. *Summa Poteſtas Civilis variis conſtat* Partibus: *quæ tamen omnes ſatis commode reducuncuntur ad tres*, Legiſlativam, Executivam & Fœderativam. *Nec in iis omnibus quidquam continetur, quod non ex concurrente Subditorum conſenſu, (in ſpecie, vel eorum adverſus quos, vel eorum, in quorum gratiam, quisque actus exercetur) manifeſte potuit deduci* cap. 7.

XXXIII. Formæ *Civitatum ſunt variæ; prout ſita eſt Summa Poteſtas, vel in uno Homine, vel in uno Concilio, paucorum, vel univerſorum* cap. 8.

Digitized by Google

XXXIV. *In omnibus iſtis Formis, quo ſenſu Imperium ſit Summum,* Ανυπεύθυνον, *&* *Legibus ſuperius, quo item ſenſu abſolutum, & quousque ſanctum, exponitur* cap. 9.

XXXV. *Circa modum fundandi, & ad Poſteros transmittendi Imperii, in primis Monarchici, quæ diverſitas poſſit habere locum, vid.* cap. 10.

XXXVI. *Poteſtas Leges Civiles condendi, (quarum variæ ſpecies & uſus deſcribuntur* cap. 12.) *ut & eas exequendi, ſe extendit ad Civium* Vitas & Corpora cap. 13. *ad eorum* Exiſtimationem cap. 14. *& Res* cap. 15.

XXXVII. *Sub Poteſtate Fœderativa continetur facultas Bellum indicendi, Pacem componendi* cap. 16. *& utrique inſervientia Fœdera contrahendi* cap. 17.

XXXVIII. Officia *Summorum Imperantium deſcribuntur* cap. 11. *ut & Civium, tum generalia, tum ſpecialia* cap. 18.

BENEVOLIS LECTORIBUS

S. D. P.

SEB. MASSON.

Excitatos eſſe Pufendorfianæ doctrinæ præſtantia bene multos ad emittendas in præſens Compendium varii generis notas, novit vulgus, nec opus eſt, ut referam. An ſingulos par juverit fortuna, & an non in aliquos cadat, quod de nonnullis etiam GROTII Commentatoribus Ill. THOMASIUS in Programmate Germanico Jurisprudentiæ ſuæ Divinæ præmiſſo pag. 76. cenſet, non inquiram Conſtiterit per me cuique ſua laus, ſuæ cuique fructus induſtriæ, propriorumque meritorum opinio. Non invaſit animum, vel invadet unquam livor Academicus. Inter illos vero, qui in iſto negotio vel optimam præſtiterunt operam, eminere quidem ſingulariter virum Conſultiſſimum celeberrimumque DN. Jo. BARBEYRACIUM, nemo, puto, non annuerit. Adfundunt eruditiſſimæ Ejus obſervationes, ut Majori PUFENDORFII Operi de Jure Naturæ & Gentium, ita & huic Libello, prioris Breviario, eximiam lucem. Plena judicii, ſagacitatis,

tis, elegantiæ, uſus, ſunt omnia: & in iis quoque, in quibus non omnes forte conſentientes habuerit, copia abundat ſalis & ingenii. Neque ad illuſtranda vindicandave a perverſis quibuscumque interpretationibus, principia, quibus hoc Syſtema ſuperſtruitur, conferre quicquam magis poterat, quam animadverſiones, quas Vir laudatiſſimus, inſenſæ Anonymi cujusdam, jam quidem omnibus noti, cenſuræ, pari ſoliditate ac modeſtia adpoſuit. Hoc ſaltem videbatur deeſſe, quod, quum Gallico Sermone hæc eſſent perſcripta, illorum tantum uſibus paterent, qui iſtius ſe linguæ non peritos modo, ſed & peritiores experirentur: pluresque adeo proficua omnino lectione privarentur. Unde etiam plus ſemel doluit, quod, dum in qualibuscunque meis Prælectionibus Juris Naturæ & Gentium, ipſe frequentius eo haberem remittendum, non paucis fore inutile præviderem. Neque tamen in mentem venerat Metaphraſin ſuſcipere: tum quod immiſcere me ultro alienis laboribus non luberet: tum quod haut tantum facile ſupereſſet otii; tum etiam maxime, quod defunctorum melius iſta opera quemvis alium, ſi conſultum quoque videretur, perſuaſum haberem. Inter hæc acceſſit Bibliopola, antiquo mihi uſu cognitus, vehementi rogitans ſtudio, ut hanc adgrederer provinciam; novamque adeo Compendii de Officiis Hominis & Civis, cujus incederet penuria, Editionem procurarem. Salva humanitate publicique commodi cura reſiſtere tandem petito non potui. Iſtas itaque prælaudati DN.

Bar-

Barbeyracii obſervationes cum in Libellum Pufendorfianum, tum in Anonymi Epiſtolam Cenſoriam, prout nempe noviſſime An. MDCCXXIII. eædem prodierunt, in Latinum, communem eruditis ſermonem, tranſtuli; idque quanta per breviores conceſſi mihi temporis numeros, intermiſtasque paſſim, quod ultro forſan animadvertetur, alias occupationes, diligentia licuit. Hoc adſerere auſim, ſi non omnis ſtili nitor conſpiciatur, quod nec facile verſiones patiuntur, ſaltem expreſſum eſſe perſpicue ac fideliter Auctoris ſenſum, neque fortaſſis hoc nomine quicquam deficere. Atque hoc ipſum inſtitutum Editionem Libri in univerſum produxit, quam pluribus aliis antea uſitatis meliorem utilioremque merito crediderim: ſive ad remiſſiones marginales ad majus Pufendorfii Opus: ſive ad diſtributionem Paragraphorum, iisque adjecta ſigillatim ſummaria: ſive ad notatas peculiariter maxime obſervandas voces, propoſitiones Definitionesque (in quibus omnibus Dn. Barbeyracium ſum ſecutus): ſive denique etiam ad typum attendatur. Enimvero quod ad Paragraphorum ſummas adtinet, vix putem de illis cum ratione dici poſſe, quod de aliis in Belgio confectis nonnemo cenſuit: *ibi ſæpius mentem textus vel non perſpicue ſatis, vel non apte exprimi, neque ullam σχέσεως, qua materiæ cohærent, rationem habitam fuiſſe.* Hoc quidem ægre fero, quod, quum extraneo prelo opuſculum ſubjectum ſit, abſens, quominus in illud, præſertim vero in Notas varii errores irrepſerint, cavere haut potuerim.

rim. Atque iſta in majorem Alumnorum Juris Naturalis uſum conferenda jam, pro re nata, habui. Neque enim periculum exiſtimo eſſe, ut vel umbræ oſtentationis heic mihi quicquam tribuatur: captanda ambitioni alia fuiſſet occaſio: labor fuit. Excipient eundem qualem qualem Lectores mente benevola: Eorum permittitur omnino judiciis. Quæ quidem aut prodire in poſterum alia ſuadebunt, aut jubebunt latere. Dab. Gieſſæ d. 22. Martii An. MDCCXXVIII.

NOTÆ

Digitized by Google

N O T Æ
VIRI CONSULTISSIMI AC CELEBERRIMI
JO. BARBEYRACII
A D
SAM. PUFENDORFII
D E
OFFICIIS HOMINIS ET CIVIS.
LIBROS DUOS,
Ex Gallico in Latinum ſermonem verſæ
A
SEB. MASSON.

A D
PRÆFATIONEM AUCTORIS.

§. III.

Quemadmodum autem diſciplina Juris Civilis Jus Naturale]. Vide quæ tradit Auctor ſub nomine Julii Rondini præfat. ad Erid. Scand. in Poſtſcripto.

Cujus characterem lepidiſſime Phædrus repræſentat]. Phædr. *lib. II. fab.* V. *verſ.* 1. *& ſeqq.*

§. VI.

Tantum ambitu hujus vitæ includatur]. Verum quidem eſt revelationem extra omnem dubitationem poſuiſſe immortalitatem animæ, ut & pœnas & præmia alterius vitæ: validiſſimumque ac proprium, quod Theologia Moralis ſubdit virtutis

tutis incitamentum, eſſe ſpem æternæ beatitudinis, iis omnibus propoſitæ, quibus præcepta Euangelii obſervare cordi fuerit. At non ideo ex ure Naturali omne argumentum aut rationem impulſivam ex conſideratione futuræ vitæ depromtam par eſt excludere. Et enim ſolo rationis lumine hoc ſaltem adſequi homo valet, veroſimillimum eſſe, Deum eos in altera vita puniturum, qui violatis naturalibus legibus, in hac vita quidem vindictam humanam & divinam effugerint: immo contrariam opinionem longe minus eſſe veroſimilem. Quod cum ita ſit, omnes rationis & prudentiæ regulæ jubent, ut ne quis pro obtinendo brevi quopiam ac tranſitorio commodo aut delectatione, ſe in probabile adeo æternæ infelicitatis periculum conjiciat; ita ut metus pœnarum alterius vitæ utique *ſanctionem* naturalis legis ingredi queat. Vide, quæ dicta ſunt ad JUS NATURÆ ET GENTIUM *lib. II. cap.* 3. §. 21. & ad *Epiſtolam cenſoriam Anonymi* infra adnexam §. 6.

Quanquam enim animus hominis non ſolum]. Heic exſtat, *non ſolum*; nec ſequitur, *ſed etiam*. Conjicio Auctori quidem animum fuiſſe, rationem illam adjicere, cujus nota ſuperiore memini: omiſſis vero typographorum neglectu verbis, quæ eandem exhibebant; ipſum deinde hoc non animadvertiſſe; aut etiam occaſionem defuiſſe corrigendi: quandoquidem præter priorem Editionem ceteræ, quæ eo ſuperſtite prodierunt, omnes ipſo nec inſpiciente, nec jubente confectæ ſunt.

Inde & Juris Naturalis ſcita]. Vide, quæ adnotavi ad *Epiſtolam cenſoriam Anonymi* §. 7.

§. VII.

Quæ, uti Seneca loquitur, ſunt]. *Quam anguſta innocentia eſt, ad legem bonum eſſe! quanto latius officiorum patet, quam juris regula! quam multa pietas, humanitas, liberalitas, juſtitia, fides exigunt, quæ omnia extra publicas tabulas ſunt!* de Ira *lib. II. cap.* 27.

§. VIII.

Illud Taciti]. *Annal. lib. III. cap.* 26. *num.* 1. 2.

AD

NOTÆ JO. BARBEYRACII AD SAM. PUFENDORFII LIBRUM I.

Caput I. §. I.

Officium nobis heic vocatur]. Veteres *Stoici* actiones etiam vocabulo græco Καθῆκον, & latino *Officium*, exprimere ſolebant. Verum definitio, quam tradebant illi Philoſophi, latior omnino eſt juſto: quippe hoc ipſo nihil aliud intelligebant, quam *actionem rationi convenientem*. Id quod liquet ex illo loco Ciceronis de *Fin. Bon. & Mal. lib. III. cap.* 17. *quod autem ratione actum ſit, id officium adpellamus*. Conf. *de offic. lib. I. cap.* 3. & Diog. Laërt. *lib. VII.* §. 107. 108.

§. II.

Per humanam actionem intelligimus non quemvis]. Excludit heic Auctor non ſolum operationes facultatum pure corporearum, atque abſolute neceſſariarum; quales ſunt *concoctio ciborum in ventriculo*, *circulatio ſanguinis*, *ſpirituum animalium motus &c.* ſed etiam operationes earum facultatum, quæ etiamſi unice ad mentem pertineant, vel ad mentem & corpus ſimul, nihilominus neceſſario agunt: uti ſunt *intellectus purus*, *adpetitus ſenſitivus*, *imaginatio*, *memoria*. Excludit quoque eos facultatum noſtrarum motus, qui licet ut plurimum a nobis pendeant, excitantur tamen interdum nobis haud conſciis; quemadmodum illud cernitur in *ſomnambulis*, *deliris* ac *phreneticis*.

§. IV.

Circa facultatem ergo comprehendendi &c]. Confundit heic Auctor actus utriusque facultatis. Etenim adquieſcentia illa mentis in nexu, quem ſibi inter duas aut plures ideas videtur deprehendere, revera eſt actus voluntatis: jam vero in hoc conſiſtit, proprie loquendo, *judicium*. Hæc ipſa recentiorum Philoſophorum obſervatio non ſolum inſervit actibus & proprietatibus facultatum noſtrarum melius diſcernendis; ſed etiam, ſi bene advertas, ad conſtituendum ſolidius in-

Digitized by Google

putationis actionum humanarum fundamentum, ac dignoſcendam liquidius erroris aut ignorantiæ vincibilis indolem non parum confert. Vide infra §. 9. *not.* 1.

Id ante omnia pro certo habendum eſt]. Hoc manifeſte adparet exemplo *Gentilium*: & diſertis verbis illud comprobant ipſæ ſacræ literæ. Ita enim Apoſtolus; *Cum gentes, quæ legem* (ſcriptam aut revelatam, ut Moſis) *non habent*, NATURALITER *ea, quæ legis ſunt, aciunt, ipſi ſibi ſunt lex; qui oſtendunt opus legis ſcriptum in cordibus ſuis, teſtimonium reddente illis conſcientia ipſorum, & inter ſe invicem cogitationum accuſantium, aut etiam defendentium* (i. e. cum male egerint, propria ipſos damnet conſcientia dum e contrario, cum bene egerint, internam inde lætitiam experiantur; quo intelligitur, illos utique notitiam boni & mali habere.) Epiſt. ad *Rom. cap. II.* 15. conf. *Apolog.* Auctoris §. 21.

§. V.

Recte informatus fuerit]. Debuiſſet Auctor definitionem tradere *conſcientiæ.* Non levis hæc omiſſio eſt. Supplementi itaque loco, obſervandum, quod *conſcientia* ſit *judicium uniuſcujusque de propriis actionibus comparatis cum ideis de certa norma*, lege *dicta*, *ſibi hærentibus, ita ut intrinſecus colligat, illas cum his aut convenire, aut non convenire.* Dixi, *comparatis cum ideis de lege ſibi hærentibus*; non vero *cum ipſa lege*: quoniam lex actionum noſtrarum norma eſſe nequit, niſi in quantum cognoſcitur. Ex quo tamen non ſequitur, licere ergo unicuique ad patrandum aliquid ſeſe determinare, ſtatim atque illud lege permiſſum eſſe exiſtimat, aut præceptum, utcunque hoc in animum induxerit. Verum en duas regulas facillimas, quas vel ſimplicior quisque in quolibet peculiari negotio ſequi omnino poteſt ac debet: 1. *Antequam ad ſequendos conſcientiæ motus ſe quis determinet, ſedulo exploret, an ea perſpicacia iisque ſubſidiis inſtructus ſit, quæ expoſcit præſentis cauſæ dijudicatio.* Hæc enim ſi deſint: (at hoc ipſum ſenſus communis quemlibet ultro docuerit) citra periculoſiſſimam maximeque culpabilem temeritatem decidi quicquam, aut etiam actu ſuſcipi non poterit. Quod dictum tot hominibus velim, qui circa controverſias Religionis, aut difficiliora problemata Moralia vel Politica, aut intricatiores lites &c. has vel illas amplecti partes ſuſtinent. 2. *Etſi in univerſum quidem perſpicacia ac ſubſidia ad præſentis cauſæ dijudicationem neceſſaria ſuppetant: diſpiciendum porro eſt, an iis quis revera uſus fuerit, ita ut confidenter & ſine prolixiori examine id, quod ſuggerit conſcientia, ſuſcipere poſſit.* Sic e. g. in mercatura aliisve civilis vitæ negotiis, ſexcentis tranquillo animo ſolet indulgeri technis ac fraudibus, quarum

ul

ultro ſe proderet turpitudo; ſi liquidiſſima alias in univerſum cognita principia tantiſper ad animum revocarentur.

Solet vocari]. Prout hanc conſcientiæ ſpeciem definit Auctor; vocanda melius *conſcientia demonſtrativa* eſſet: quippe cum *rectitudo* conſcientiæ ſimpliciter ejusdem convenientiam cum lege denotet: & *conſcientia probabilis* itidem, cenſente Auctore, per ſe cum lege congruat. In quo tamen falſa nititur hypotheſi: & enim cum quis meris ducitur probabilitatibus, maxime levibus illis, queis in rebus practicis adquieſcere maxima mortalium pars ſuevit: quemadmodum non niſi fere ex accidenti fit, ut veram heic & nunc adripiat ſententiam; ita errare eum ſæpius, quam recta incedere via, neceſſum eſt. Sic teſtatur experientia, vulgus, præter communes illas, pauciores quidem, vivendi regulas, mira ceteroquin falſarum ſententiarum ſegete abundare, quæ veras numero ſuperant quam longiſſime. Vide de cetero *notam* ſequentem, qua accuratior variarum conſcientiæ ſpecierum definitio traditur.

Quippe cum paucis rerum cognoſcere cauſas conceſſum ſit]. Quandoquidem diviſiones conſcientiæ, quas heic habet Auctor, imperfectæ ſatis ſunt, parumque accuratæ: & vero hæc materia tamen maximi eſt momenti: generalem itaque diviſionem, iis non ſolum, quas inſtituit Auctor, ſed & quas in gemina editione notarum mearum ad opus majus de *Jure Naturæ* & *Gentium* lib. I. cap. 3. §. 5. ipſe propoſueram, ſolidiorem exactioremque exhibere contendam. 1. Ergo diſtinguendum exiſtimo inter judicium mentis ante actionem, & ejusdem judicium poſt actionem. Id quod ſatis commode, *conſcientiæ antecedentis* & *conſcientiæ ſubſequentis* venit vocabulis. Interdum poſterius tantummodo ſe prodit judidium: quando nempe, quod uſu venire ſæpius ſolet, ad actionem aliquam nullo prævio examine, futurane ſit bona, vel mala, acceditur. Sin autem circa unam eandemque actionem *ambo* producta ſint *judicia*; aliquando invicem conformia deprehenduntur: id quod accidit, cum contra proprias quis notitias egit; quippe tunc vehementius adhuc poſt patratam actionem talis ſe ſolet inculpare: paucis exiſtentibus, qui ita repente aut tantum adquirant luminis, ut quod turpe cenſuerant ante, id jam legitimum eſſe ſibi perſuadeant, aut vero ſententiam ſuam circa factum revera legi adverſum revocent. Nonnunquam etiam diſcrepant illa ipſa judicia; idque evenit, vel cum citra plenam & integram deliberationem, ſive ex adfectu, ſive ex præcipitantia, adeoque indole ac ſequela actionis non rite perſpecta, ad eandem quis ſeſe determinavit: vel cum, plena licet præcedente deliberatione, leviori tamen quodam examine actum eſt; validius enim patrati facinoris, quam patrandi commo-

vet repræſentatio; & ſuccedentes cogitationes examen, re peracta, jam inchoant, aut perficiunt. 2. Non attingit heic Auctor judicium actionem ſubſequens: ſingulæ ejus diviſiones ſolum antecedens judicium reſpiciunt. En ergo, me judice, diverſos actus aut modificationes anticipati hujus judicii, pro ratione diverſorum ſtatuum, in quibus tunc mens conſtituta eſt. *Conſcientia* nempe eſt vel *deciſiva*, vel *dubia*, pro gradu perſuaſionis, in qua quis verſatur de actionis patrandæ qualitate. Si deciſive & confidenter adſeratur, hoc vel illud cum lege congruere, vel non congruere, *conſcientia* eſt *deciſiva*: quæ in *demonſtrativam*, aut *probabilem* debet dividi. *Conſcientia demonſtrativa* eſt, quæ nititur rationibus demonſtrativis, quantum quidem rerum moralium indoles patitur: adeoque ſemper *recta* aut conformis legi eſt. *Conſcientia probabilis* vero, quæ fundatur tantum rationibus veriſimilibus: adeoque aut *recta* eſt, aut *erronea*; prout opinio in ſe aut cum lege convenit, aut non convenit. Si quis contra *conſcientiæ deciſivæ* motus agat; aut ſe eo citra ullam repugnantiam hæſitationemque movet; & tunc eſt *conſcientia mala*; quæ ſingularem arguit improbitatem ac *malitiam*; tametſi error forſan hæreat judicio; quemadmodum in ejusmodi rebus evenire poteſt, de quibus ex veriſimilibus tantum rationibus firmiter perſuaſi ſumus: aut vero impetu grati alicujus adfectus, vel metu gravis mali abripitur; & tunc *peccatum* eſt *imbecillitatis* vel *infirmitatis*. Quod ſi vice verſa quis motibus *conſcientiæ deciſivæ* obtemperet: aut lubenti pronoque animo eo ſe determinat: & tunc eſt *conſcientia bona*; etiamſi forte erretur; ceu adparet exemplo *Pauli Actor. cap.* XXIII. 1. aut contra invitus agit, repugnans, atque ita ut abſtinere cuperet melius: & tunc, quamvis actio alias in ſe bona ſit; talis nihilominus propter accedentem minus congruam diſpoſitionem non reputatur. 3. Fundamenta *con-conſcientiæ probabilis*, vere talis, ſunt *auctoritas* & *exemplum*, quibum vim addit confuſus aliquis ſenſus *convenientiæ naturalis* eorum, quæ ad officium noſtrum pertinent, nec non aliquando *populares quædam rationes*, quæ ex natura rerum depromtæ videntur. Cum autem ſingula hæcce fundamenta non ita ſolida ſint, ut iis plane adquieſcere liceat: *illis* itaque *inſiſtendum duntaxat, cum melius nequeas; & qui hac reguntur conſcientia, procurandum omni ſtudio habent, quo gradus veriſimilitudinis opinionum ſuarum magis magisque intendatur, ipſique ad conſcientiæ demonſtrativæ apicem, quantum fieri poteſt, pertingant.* 4. *Conſcientia dubia*, mihi *deciſivæ* oppoſita, eſt vel *irreſoluta*, vel *ſcrupuloſa*. *Conſcientia irreſoluta* eſt, quando utram amplectamur partem, ambigimus; idque propter rationes utrinque ſeſe offerentes, ſin minus plane æquales, ſaltem tales, ut neutrobique quicquam ita validum

depre-

deprehendamus, cui certum firmumque judicium valeamus ſuperſtruere. Et heic locum habet regula, quam tradit Auctor §. 6. de *conſcientia dubia*; quæ ea ipſa eſt, quam *irreſolutam* voco, ad contradiſtinctionem *conſcientiæ ſcrupuloſæ*, cujus ipſe non meminit. *Scrupuloſa* autem hæc *conſcientia* leviſſimis aut inanibus quibusdam difficultatibus animo ſubortis gignitur; dum tamen ab altera parte nulla prægnans adparet dubitandi ratio. Quum vero ejusmodi ſcrupuli ut plurimum non niſi ex falſa aliqua conſcientiæ teneritudine, aut etiam craſſiori ſuperſtitione producantur: iis liberari mox, inſtituto rei ſerio examine, haud ita difficile fuerit.

§. VII.

Non circa communia vivendi præcepta]. Videtur heic Auctor *errorem invincibilem* reſtringere ad meras res *facti*: at certe & circa *jus* locum habet in quibusdam cauſis, & reſpectu nonnullarum perſonarum, ſaltem certis temporibus. Equidem generaliſſima Naturalis Juris præcepta, ut & illa, quæ ex iis immediato, aut non ita remoto nexu manifeſte fluunt, ita ſunt comparata, ut homo rationis compos circa talia in errore invincibili verſari nequeat, ſaltem inter tantiſper moratas gentes: quod ſi enim forte populos detur reperire, apud quos educationis vitio vis rationis ita obſurduerit, ut manifeſta ejusmodi principia formare ſibi, aut intelligere non valeat; plus certe de brutis habeant, neceſſe eſt, quam de hominibus: & noverit Deus, utra claſſe veniant collocandi. Verum quod attinet ad quæſtiones, quæ non niſi longa ratiocinationum & conſequentiarum ſerie reſolvi poſſunt; iis, qui arte ratiocinandi non pollent, quique ſibi habitum plures abſtractas ideas ſimul, ac varios earum nexus conſiderandi, principiumque in omnibus ſuis conſequentiis perſequendi non conciliaverunt: iis, inquam, quum de talibus quæſtionibus judicare pertendunt, vix errorem invincibilem licet effugere; & ſi in verum incurrant, id ſane ex accidenti eſt. Huc pertinent quam plurimi, qui nulla prævia educatione, mature ejusmodi ingreſſi ſunt vitæ inſtituta, quæ impediunt, quominus animum cum fructu valeant excolere: deſtituti præterea aliorum ope, per quos iis notitiis rite imbuantur, quæ ſuum quidem captum non ſuperant, ſed ad quas tamen manuductione opus habent. Pertinent & huc, qui præditi alioquin cum dotibus, tum ſubſidiis neceſſariis, quibus ſucceſſu temporis vel ſubtiliſſimas quæſtiones decidere valeant, nondum tamen ita exercuerunt facultates ſuas, aut tantum luminis adquiſiverunt, ut poſt ſufficiens examen jam ſe queant determinare. Verum etiamſi errores, in quos utrique prolabuntur, hactenus ſint invincibiles, quamdiu in ea detinentur conditione: non ideo

 tamen

tamen plane ſunt excuſabiles; atque id ſedulo obſervandum judicaverim. Namque imperitiæ ſuæ ac imbecillitatis facile intelligendæ, ſenſu moveri ad ſuſpendendum judicium debebant; quod quidem plane vacat periculo, quamdiu nihil eſt, quod conſenſum velut extorqueat: dum e contrario, ſi decidere quis ſuſtineat, manifeſte in periculum erroris ejusque effectuum incurrit. Propterea niſi prægnantiſſima aliqua ratio formare heic & nunc tale quale, ac, ut ita loquar, proviſionale judicium cogat: patet ejusmodi homines graviſſimæ ſe temeritatis reos reddere, maxime ſi vi ejusmodi ſui judicii ad aliquam actionem ſe determinent. Ceterum ratione *conſcientiæ erroneæ* quatuor emergunt quæſtiones ſingularis momenti, de quibus tradere nonnulla haud abs re fuerit. I. Quæritur, *an errans motus ſuæ conſcientiæ teneatur ſequi?* Reſpondeo, quod ſic, ſive invincibilis ſit error, ſive vincibilis: ex eo enim, quod firmiter quis perſuaſus eſt, quemadmodum ſupponimus, aliquid præſcriptum eſſe lege, vel prohibitum, directe obſequium Legislatori debitum violat, ſi contra hanc perſuaſionem, quamvis male fundatam, agat. II. At non inde ſequitur, agentem ex conſcientia erronea ſemper eſſe *excuſabilem:* hoc enim tantummodo locum habet, *ſi invincibilis error fuerit.* III. *An homo de principio errorum alterius in rebus ad conſcientiam pertinentibus judicare valeat?* Tertia eſt quæſtio: ad quam reſpondeo: fieri quidem utcunque poſſe, ut homo intelligat an alter *mala fide* in errore verſetur; id eſt, an de falſitate ejus, quod credit, non levis ipſi hæreat, aut hærere poſſit ſuſpicio; aut etiam ipſe ſibi illudat, ita ut de eo, quod credere videtur, revera haud adeo ſit perſuaſus. Verum ad ferendum tuto ejusmodi judicium, evidentiſſima requiruntur documenta: & vero rariſſime contingit, talia ſuppetere. Frequentiſſimus, meo judicio, hic caſus eſt, ubi hoc locum habeat: cum nempe aliqui Religionis cauſa alios perſequuntur, ac profitentur ſe eo conſcientiæ principio obligatos eſſe; dum alias moribus ſuis ipſi ac vitæ ratione produnt, parum ſibi virtutem omnem Religionemve curæ cordique eſſe. Referri huc poteſt error ille apud *Græcos* & *Romanos* olim ita uſitatus, eorum, qui parentibus licitum eſſe exiſtimabant, liberos exponere: ut & alter ille parum abſimilis error *Judæorum*, tempore CHRISTI, qui ideo eos ita redarguit *Matth. cap.* XV. 4. 5. Vix enim concipere licet, homines tam perſpicua, tamque expreſſa *Moſis* lege ſuper neceſſitate parentes honorandi adjuvandique inſtructos, bona fide deinde perſuaſos fuiſſe, temerario aliquo, aut potius impio voto ſolvi aliquem ejusmodi obligatione ac officio potuiſſe. Ut vero quis norit, *an error hominis bona fide errantis, vincibilis ſit, an invincibilis:* confidenter adſeruerim; miſſis generaliſſimis naturalis Juris

Juris principiis; nec non illis veritatibus, circa quas *Chriſtianis*, in plures licet ſectas diviſis, omni ævo convenit, reliqua omnia ita eſſe comparata, ut homo aut citra temeritatem ulla ratione de principio ignorantiæ vel errorum alterius judicare nequeat: aut, ſi in genere adſerere quidem poſſit, eſſe quasdam circumſtantias, quæ hunc vel illum errorem vincibilem reddant, ipſi tamen perquam difficile ſit, certi quid reſpectu hujus vel illius perſonæ ſpecialiter hoc nomine determinare; quod etiam ut ſuſcipiat, nunquam neceſſum eſt. IV. Poſtrema quæſtio eſt: *An vi judicii, quod fert aliquis de ignorantia vel erroribus aliorum in rebus ad conſcientiam pertinentibus, aliquid poſſit ſuſcipere adverſus eos, quos verſari in ejusmodi ignorantia vel erroribus exiſtimat?* Reſpondeo, qualiscunque error ſit, dum eo ad moliendum aut docendum quicquam legibus ſocietatis humanæ in univerſum, vel peculiariter ſocietatis civilis manifeſte adverſum errans non impellitur, nullum eſſe adverſus eum legitimum conſilium, niſi ut qua ex caritate, mira quidem ac pacifica inſtitutione ad veritatem alliciatur. Quod autem eos, qui aliquid ſocietati noxium adgrediuntur aut diſſeminant, punire liceat: non inde eſt, quod in errore verſentur, tametſi quidem mala fide errarent; ſed quia jus competit, tales, quocunque agant principio, coërcendi. Solius Dei eſt, proprie & directe errorem aut ignorantiam vincibilem punire: quemadmodum ſolus ipſe eſt, qui eam recte valeat dignoſcere. Vide quæ dicta ſunt ad J. N. & G. *lib. I. cap.* 3. §. 11. *not.* 1. Secundæ Editionis.

Circa objectum aliasque actionis circumſtantias]. Tales ſunt *modus, finis, inſtrumentum, qualitas* actionis, quæ ſuſcipitur &c. Sic fieri e. g. poteſt, ut quis alterum citra deliberatum conſilium, aut quia hoſtis reputatur, aut exhibito ipſi veneno, quod pro ſalubri potu habetur, interficiat. At homicidium vel veneficium licita eſſe, nemo ſibi innocens perſuaſerit.

§. VIII.

Illa eſt, quæ ſi abfuiſſet]. Ut ignorantia vere *efficax* ſit, omnique juſtæ imputationis effectu liberare valeat, requiritur, ut illa cognitio, quæ abeſt, neceſſarium cum natura rei, aut agentis intentione, debito tempore concepta convenientibusque indiciis ſignificata, nexum habeat. Alias enim, utut involuntaria ignorantia ſit, cum in præſens tamen negotium non influat, nec impediat, quominus verus accedat conſenſus, non deſinit quis de actione ſua teneri. Vide J. N. & G. *lib. I. cap.* 3. §. 10. *not.* 2. nec non quæ infra *cap.* 9. §. 12. dicentur, ubi exemplum proponitur *ignorantiæ eſſentialis* aut *accidentalis* (ſic enim eam melius adpellaveris, quam *efficacem* aut *concomitantem*) in

cauſis licitis vel indifferentibus. Eſto hoc aliud circa rem quidem illicitam. Ducit quis uxorem alienam, reputans illam virginem, aut neſcius vivere adhuc maritum: hæc ignorantia ſane ipſam rei naturam adtingit, adeoque eſſentialis eſt. Si is nullam rationem habuerit ſuſpicandi, illam fœminam maritatam eſſe, atque in hoc debite inquiſiverit, plane excuſabilis eſt; tametſi forſitan ejus adfectus ita vehemens fuerit, ut illam ducere quocunque etiam titulo cupiviſſet: hæc enim diſpoſitio, quantumvis vitioſa, neque ad actionem, neque ad ignorantiam, quam invincibilem ſupponimus, quicquam contulit. Quod ſi vero vel minima ipſi hæſerit ſuſpicio, fœminam illam marito jam junctam eſſe; aut etiam debitam inquiſitionem prætermiſerit, qua intelligere aut ſuſpicari facile, quod ignorabat, potuiſſet: tenetur de hac ignorantia ejusque effectibus; licet forte, conſcientia teneriori retrahente, ejusmodi connubium fuiſſet detrectaturus, ſi fœminam illam pertinere ad alium reſciiſſet. Unde adparet, Auctoris definitionem, utut uſitatiſſimam, accuratam tamen non eſſe.

Ignorantiam vincere nequit; ſed &c]. Sola hæc poſterior ignorantiæ ſpecies proprie involuntaria eſt, aptaque plane excuſare; cum penes nos fuerit cavere, ne in alteram incideremus.

§. IX.

Quod ſibi non convenire videtur]. Duæ ſunt *voluntatis* determinationes, quarum primam omittit Auctor; ad quam tamen attendere haud parum refert. Altera eſt *determinatio ad cogitandum aut judicandum ſimpliciter*: altera, *determinatio ad agendum aut non agendum pro cogitationibus ac judiciis ſuis*. Prior eſt ille actus mentis, quo ſe ad certas ideas ſibi occurrentes conſiderandas, aut non conſiderandas; &, cum utcunque illas contemplata fuerit, ad adquieſcendum aut non adquieſcendum nexui inter eas ſe prodenti; ac denique ad easdem, quantum fieri poteſt, adſervandas, aut removendas determinat. Quare e. g. *Cafer* in culpa eſt, quod Numen, de quo nihil unquam audivit, non agnoſcat, niſi ideo, quia ſui ipſius innumerorumque ſibi quotidie occurentium objectorum ideis perculſus, eas tamen contemplari ea attentione *noluit*, quæ ipſum ad cognitionem Entis alicujus Omnipotentis, ſui reliquarumque omnium ipſum circumſtantium rerum auctoris, haud dubie fuiſſet pertractura? Cum *Græci* ac *Romani* ſibi perſuadebant, *Patri licitum eſſe*, *liberos exponere*, *aut etiam necare*; libertate judicii ſui in eo omnino abutebantur, quod temere ac citra rationem falſo nexui inter *patriam poteſtatem*, & facultatem liberos *necandi* aut *exponendi* adquieſcebant. Omnia quoque piacula, quæ non attentis officiis alias cognitis, committuntur, inde procedunt, quod

quod quis importunas officiorum illorum ideas, quantum in ſe, *velit* removere.

§. X.

Saltem circa illas actiones]. Loquitur Auctor de *actionibus externis:* meræ enim cogitationes, motusque animi in actum exteriorem non prorumpentes, per ſe legum humanarum pœnis non ſubjacent; quemadmodum alibi *lib. II. cap.* 13. §. 11. tradetur. Verum *libertas* aut facultas agendi, aut non agendi, non minus in actibus externis, quam mere internis neceſſaria eſt. Unde vix percipio quo Auctoris obſervatio tendat: maxime cum infra §. 24. de *actionibus coactis* acturus ſit; ita ut ſaltem monitum hoc loco ſit ſatis ſupervacuum.

§. XI.

Porro quamquam voluntas bonum]. *Bonum* in genere, definiente LOCKIO, nihil aliud eſt, quam *quod voluptatem in nobis producere augereque, aut dolorem minuere aptum eſt. Malum* contra vocatur, *quidquid dolorem in nobis producere augereve, aut voluptatem minuere valet.* Utrumque aut *corporeum* eſt, aut *ſpirituale;* prout *voluptas* & *dolor* aut a ſolis noſtris cogitationibus, aut ab impreſſione objectorum externorum in ſenſus noſtros, proveniunt. Jucundi motus, quos excitat, e. g. veritatis cujuſpiam inventio, atque in genere ſcientiarum ſtudium, *voluptates* ſunt *pure ſpirituales.* At ſi Geometer diu perquiſitam demonſtrationem non reperiat: aut ſi quis ægre ferat, ſe omiſiſſe aliquid, quod facere ſe debuiſſe cenſet: oritur inde *dolor pure ſpiritualis.* Quod attinet ad *voluptates* ac *dolores corporeos:* plus nimis ii noti ſunt.

Sed invicem mixta]. Si avaro, e. g. ſimul in ambitionem prono faciendæ ſint in faſtum expenſæ: hæ intuitu ambitionis ipſi bonum; avaritiæ vero intuitu malum videbuntur. Hæc mixtura boni & mali provenit porro ex repugnantia; quæ inter officium aliquando ac adfectus deprehenditur; ceu exemplo *Medeæ* apud Poëtas adparet. Interdum quoque videtur quid bonum pro præſenti, malum vero in poſterum, ut ſi gratum quis pomum comedat, colicos cruciatus excitare idoneum: aut vice verſa, malum aliquid eſt pro præſenti, bonum vero in futurum; cum quis v. g. amarum jam inſumit, at reſtituendæ ſanitati conveniens pharmacum. Denique bonum aliquod cum majori bono comparatum, fit malum: & contra minus malum pro bono reputatur.

Ad quas ſolide diſcernendas]. In his conſiſtit recta hæc diſcretio: 1. Rationi adverſatur, bonum adpetere majus malum concitaturum. 2. Rationi contra quam maxime congruit, malum excipere, ſingulare bonum conciliaturum.

3. Majus bonum præferendum eſt minori bono, nullum licet malum poſt ſe tracturo. 4. Sectanda ſemper ſunt bona præſtantiſſima, quæ convenire nobis poſſunt, conformandaque propenſio noſtra naturæ cujusque boni. 5. Apodictica certitudine non opus eſt ratione prægnantium bonorum aut malorum: ſufficit probabilitas & poſſibilitas, ut homo rationis ductum ſequens, levia aliqua bona prætermittat, leviaque aliqua mala excipiat, ad adquirenda bona longe majora, ac evitanda mala longe graviora. Ex his autem regulis in ſenſum communem incurrentibus per liquidas conſequentias pronum jam eſt colligere, quam præferenda reliquis omnibus virtus veniat.

§. XII.

Ut citra peccatum velut depleri queant]. Hoc in univerſum adſeri non poteſt. Homo e. g. libidinoſiore temperamento præditus, forſan per longum tempus ducendæ uxoris copiam non habuerit: Maritus diu ab uxore abſuerit: Uxor diutius ægra jacuerit. Via itaque, quam ſuadet Auctor, nonnunquam obtineri nequit; at nec utplurimum caret periculo. Cupiditas quippe habendi, libidoque alios præeminendi nunquam clamitant: ſatis eſt: ſæpiusque deficit occaſio illas licitis mediis deplendi; ita ut tunc facile quis ſtimulis in quæcunque devia ipſum impellentibus ſuccumbat. Dicendum ergo eſt e contrario, tutiſſimam, immo unicam hanc viam eſſe, ut quis dominantibus cupiditatibus, quas cohibere intendit, obices interjiciat. Eſto præter modum avaro omne lucrandi medium ſuſpectum: has tantum adnitatur comparare opes, quas honeſta ſui ſuorumque depoſcit ſuſtentatio: cetera decoras magis, quam lucrativas ſuſcipiat occupationes. Ambitioſus contra honorum ſedulo fugiat teſtimonia, utileque potius, quam decorum ambiat. Pronus in voluptates laborioſum intentumque vitæ genus ineat: amorem gloriæ ſuperandis mollitiei ac luxuriæ illecebris idoneum contendat animo inducere. Hoc ſane pacto devincentur tandem cupidines, quæ, quicquid ſentiat Auctor, nunquam *ita* ſunt *vehementes*, *ut nulla ratione reprimi poſſint.*

§. XIV.

Ipſorumque impetum]. Id ſuppununt omnes Legislatores. Vid. quæ dicta ſunt ad J. N. & G. *lib. I. cap.* 5. §. 13 *not.* 6. 2dæ *Edit.*

§. XV.

Denique uti dantur certi]. Accurate loquendo, ejusmodi *morbi*

morbi ut & *ebrietas*, non tam impellunt voluntatem ad certos actus, quam principium actionum humanarum plane evertunt: quum hoc quis ſtatu quid agat, neſciat.

§. XVI.

Eligitur & ſuſcipitur]. Vide infra §. 24.

§. XVII.

Quælibet actio directionis humanæ capax]. Hæc quidem vera eſt ratio, quare actio aliqua, aut omiſſio *ejus ſit indolis, ut imputari poſſit*. Verum exinde ſolum non ſequitur, *eam actu venire imputandam*; quæ duo Auctor diſtinguere debuiſſet. Poſterius ſupponit accedentem aliquam neceſſitatem moralem aut *obligationem*, vi cujus faciendum, vel omittendum ſit aliquid, quod fieri poteſt, vel non fieri poteſt. Exemplo rem declarabimus. Duorum eodem talento iisdemque facultatibus ac commoditatibus inſtructorum; at quos ad addiſcendam *Algebram* nihil obligat; alter huic diſciplinæ dat operam, alter detrectat. Hic omiſſionis, æque ac ille actionis auctor omnino eſt: nihilominus neutri vel laudi illud, vel vitio hoc caſu verti poterit. Verum pone duos eidem ſtudio deſtinatos, Theologiæ ſcilicet, vel Medicinæ: ſi alter adnitatur conſummatus evadere Theologus, vel Medicus; alter e contrario ſuperficiariæ tantum immineat doctrinæ, nec ampliori, quam qua forſan ad conſequendum gradum Doctoralem opus habere ſibi videatur: prior tunc quidem laude, alter vituperio dignus fuerit. Quare? quia uterque omnino *tenebatur* tantam ſibi conciliare peritiam; qua propoſito ſibi munere quam optime deinde fungi valeret. Unde apparet, quod, cum *imputabilitas* meram facultatem agendi vel non agendi ſupponat; *actualis imputatio* præterea *obligationem* agendi, aut non agendi requirat. Quod ita eſt manifeſtum, ut Auctor ipſe, cum de actionibus loquitur, de quibus ratio poſci poteſt, hæc duo ſæpius conjungat: *quantum quis poterat & debebat*.

§. XVIII.

Patranti ſoli imputabitur]. Non tenetur quis ſolum de actionibus illorum, qui ipſius directioni ſubſunt. Eſt præterea generalis aliqua obligatio impediendi, quantum fieri poteſt, ne quivis alter aliquid mali perpetret; & multo adhuc magis in illud poſitive non conſentiendi, faciendo aut omittendo deliberato animo id, quod patrantem eo movere, aut ab

ab eodem deterrere idoneum eſt. Vide quæ tradentur hujus capitis §. ultimo, quem cum hoc conjungere par fuiſſet.

Imputari iſti poſſunt]. Sunt heic tres conditiones omnino neceſſariæ, ut imputatio ſit juſta. 1. *Ut nexus aliquis vel eſſentialis, vel accidentalis, intercedat inter id, quod factum aut omiſſum eſt, & malum illud, quod inde provenit.* 2. *Ut innotuerit hic nexus, ac prævideri effectus probabiliter potuerit.* 3. *Ut aliqua adfuerit obligatio non faciendi id, quod tali effectui occaſionem dedit.* Deficiente una ex his conditionibus, ceſſat etiam imputatio. Concurrunt ſingulæ eo caſu, quo quis cocta calce in via regia, aut media platea, calcariam tegere aſſeribus, aut cancellis munire neglexerit, ne quis noctu forte illabatur, aut puer interdiu in eam proſiliat. Defectus prioris conditionis cernitur in ſententia a *Cn. Piſone* lata, cujus meminit SENECA *de Ira lib. I. cap.* 16. Pertinet & huc fabula de *Lupo* & *Agno*, eodem fonte bibentibus. Deeſſet altera conditio caſu, quo quis lata a virgine, quam ambiebat, repulſa, aut non accepta mutuo, quam petebat, pecunia, laqueo ſe præ mœrore ſuffocaſſet. Deficit tertia conditio, quoties utitur quis tantum ſuo jure; nec alias malum inde in hunc vel illum proxime proventurum conſpicitur; aut etiam, ubi ſuſpicari utcunque hoc liceat, non foret tamen valiturum ad illud præcavendum, juris ſui uſu abſtinere. Sic ſi Dominus ædium in propria area calcem coxerit; & vero quis, cui nihil ibi negotii eſt, noctu accedens in calcariam incidat; habeat is ſibi. Sic qui vinum venum habent, non ideo ſtatim ab eo vendendo tenentur abſtinere, quod probabile ſit, fore, ut plures eo inebrientur, ac variis deinde vitiis temulenti indulgeant. Præterquam enim quod in anteceſſum non conſtat, qui forſan plus juſto ſint epotaturi: etſi maxime hoc conſtaret; negare iis vinum tamen ſupervacuum foret, patentibus quavis platea œnopoliis pluribus.

Quantum eorundem opera vel neglectus]. Sic agricolæ aut vinitori ubertas proventus, vel ſterilitas imputatur, prout in colenda terra debito tempore uterque operoſior fuerit, vel negligentior. Tenetur quis porro de damno per incendium dato, non tantum ſi ignem ipſe ædibus ſubjecerit; ſed etiam ſi imprudenter prope receptaculum, quo pulveris pyrii, aut horreum, quo fœni copia adſervatur, emittendis pyrobolis ſe oblectaverit, aut calamo fumatorio ori adpenſo ejusmodi loca inceſſerit &c. item etiam ſi conſpecto aliquo, qui flammas ædificio ſubderet, non manifeſtaverit.

Qui alias ſupra humanam directionem ſunt]. Sic ad preces *Eliæ* Prophetæ DEUS per tres annos & dimidium pluviam retinuit, ac deinde iterum indulſit 1 *Reg. cap.* XVII. 1. XVIII.

XVIII. 42. *Jac. cap.* V. 17. 18. conf. *Geneſ. cap.* XVIII. 32. XIX. 21. 2 *Sam. cap.* XXIV. 13. 17. *Jon. cap.* I. 12. ſeqq. Verum bene obſervandum eſt, citra liquidam ac certam revelationem conſtare non poſſe, divinum Numen in gratiam vel odium certi hominis eventum aliquem peculiariter procuraſſe; cauteque adeo quam maxime eſſe procedendum, & nec ſuſpicionibus temere eſſe permittendum ſpatium; potiſſimum ſi qui pro cauſa alicujus mali in alios redundantis habendi ſint. Sic Inſulæ *Melitenſis* incolæ de Apoſtolo *Paulo*, correpta ab vipera ejus manu, temerarium tulerunt judicium *Act. cap.* XXVIII. Sic quoque *primi Chriſtiani* temere a *Gentilibus* pro cauſa ſuccedentium tunc publicarum calamitatum venditabantur; quemadmodum omni ævo viſum eſt, atque adhuc videbitur, vi generalium naturæ legum. Vide TERTULLIAN. *Apolog. cap.* XL. ARNOB. *adverſus gentes* init. *ibique* not. *Elmenhorſtii*: in quo quidem *Chriſtiani* ipſi imitati deinde ſunt proh dolor! & imitantur hodienum ſæpius maxime cœcos *Gentiles*.

§. XX.

Quæ per ignorantiam invincibilem]. Circa hunc & ſequentem §. vide ſupra §. 7. & 8. quorum heic mera ſit repetitio.

§. XXII.

Ut objectum actionis]. Nempe ut materia ſit agendi, atque aliquis exiſtat, cujus reſpectu agere liceat. Ad hoc referuntur ſingula fere exempla, quæ heic ab Auctore adlegantur.

Aut malo aliquo]. Addenda heic eſt reſtrictio: *niſi alias quis obire hoc periculum teneatur.* Sic e. g. ridiculus miles foret, qui juſſus adire ſtationem, obtentu diſcriminis illud omitteret.

Quo non ſint obeunda negotia]. Sic Conſiliarius cœtui, cujus membrum eſt, intereſſe nequit, ſi illa ipſa hora Princeps eum ad ſe accerſiverit. Vide §. ult. capitis ultimi hujus libri.

Qui ad actionem]. Hoc caſu deeſt materia agendi: & ſic ad primum momentum iſtud pertinet. Brevius ac diſtinctius, meo judicio, quatuor hæ conditiones exprimentur; ſi dixerimus, teneri quem de omiſſione aliqua 1. ſi adfuerint ipſi media ad agendum neceſſaria. 2. Et ſi adhibere illa potuerit citra neglectum gravioris alterius officii, aut periculum inſignis alicujus mali, quod ſubire alias plane non tenebatur. Hoc modo regulæ hujus & ſequentis paragraphi ad unam revocabuntur.

Ab

Digitized by Google

Ab eo multum repetetur]. Ita CHRISTUS diſertis verbis. *Luc.* XII. 48.

Sic non poſſumus ſimul ſorbere & flare]. Auctor, cui uti ſæpius PLAUTO volupe erat, procul dubio heic adludit ad hos duos verſus ex *Moſtellaria*.

Simul flare ſorbereque haud facile
Eſt : ego hic eſſe & illic ſimul haud potui.
Act. III. ſc. 2. vſ. 104. 105.

§. XXIII.

Hic enim eodem modo tractari poteſt]. Scilicet, non quod Legiſlator exigere poſſit, fieri impoſſibile, durante quidem impoſſibilitate, verum quod poſſit eos punire, qui culpa ſua præſtare jam non valent, æque ac ſi viribus agendi inſtructi, agere detrectarent.

§. XXIV.

Aut a faciendo abſtineamus]. Videtur heic Auctor effectum poſterioris hujus *coactionis* ultra, quam par eſt, extendere. Fateor, illa culpam valde minui, maxime coram foro humano; at non liberatur quis penitus ab omni imputatione coram tribunali divino. Simile a *gladio* aut *ſecuri* heic nihil conficit: inſtrumenta enim illa ſunt mere paſſiva; dum e contrario qui intuitu tantum imminentis gravis alicujus mali, nulla accedente coactione phyſica atque irreſiſtibili, adigitur, quadam voluntatis ſpecie agit, certoque modo ad manifeſte pravam, quam exequitur, actionem concurrit. Præterea conſtantiam hominis non plane ſuperat, mortem, etiam ſuppetente ejus declinandæ medio, oppetere. Fatetur illud Auctor ipſe in Opere Majori *lib. III. cap.* 7. §. 5. Nec deſunt, qui hoc aliquando propter leviores cauſas, quibus vehementius adficiuntur, audent. Pronum foret oſtendere, Auctoris principia minus firma eſſe, ac cohærentia: at locus non patitur. Ex his vero colligi abunde poteſt, unum caſum eſſe, quo ad evitandum malum a Superiore intentatum, ejuſdem manifeſte injuſtis juſſis ſalva conſcientia obedire liceat: nempe ſi ille qui injuncta illicita actione lædendus eſt, ipſe alterum vetet, in gratiam ſui renitendo ſubire periculum: modo tamen de re agatur, circa quam in inferendum ſibi malum conſentire, aut de læſione juris, cui renunciare ipſi ſit integrum: etſi enim mihi e. g. quis libertatem ipſum occidendi indulgeret: non inde tamen furori ejus, qui ſub gravi comminatione mihi hujus inſontis necem imperat, ci-

citra piaculum miniſterium meum valeret accommodare. Vide ad J. N. & G. *lib. I. cap.* 5. §. 9. *not.* 3. 2dæ *Edit.* & *lib.* VIII. *cap.* 1. §. 6. *not.* 4. nec non quæ infra dicentur ad *cap.* 5. hujus libri §. 25.

§. XXV.

Quibus quidem citra ſuam culpam iſte morbus provenit]. Non niſi rariſſime contingere hic caſus poteſt. Cauſæ quamcunque mentis alienationem producentes, valde ut plurimum ſunt occultæ, atque ita comparatæ, ut prævidere eas animo integro vix liceat. Meminerunt quidem naturæ Scrutatores herbarum quarundam minus notarum, quarum ſuccus certa copia hauſtus rationem turbet: item certorum fluminum fontiumque, aut etiam vaporum ex quibusdam locis exhalantium, qui eundem effectum gignant. Conſtat quoque compoſita olim eſſe pocula, *Philtra* dicta, quæ excitando amorem, vexabant mentem, agebantque in rabiem. Vide JUVENAL. *Sat. VI.* 610. & *ſeqq.* Quod ſi jam quis gnarus virtutis ejusmodi plantæ, aquæ, aut potus, iis nihilominus deliberato animo uteretur: locum tunc haberet, quod ait Auctor; & perinde eſſet, ac ſi ebrietatem iſte ſibi arceſſiviſſet.

§. XXVI.

Cum delectatione immoratus]. Utut prava hæc ſit delectatio; ſomnium tamen in ſe non deſinit eſſe ſomnium; Phantasma nempe, cui effingendo intellectus & voluntas nunquam ita interveniunt, ut credere liceat, niſi talis diſpoſitio adfuiſſet, non ſucceſſurum ejusmodi ſomnium fuiſſe. Etſi quis exemplo *Biblis* apud *Ovidium*, optaret etiam recurrere ſæpius obſcœnum ſomnium: non ſuppeteret tamen certum illud procurandi medium: & pone quoque, repertam tandem ejus viam: non tamen de ſomnio ipſo tam teneretur, quam de eo, quod vigilans egiſſet, vel cogitaſſet. De cetero vide quæ circa *ſomnambulos* dicta ſunt ad *Opus Majus* de J. N. & G. *lib. I. cap.* 5. §. 11. *not.* 3.

§. XXVII.

Patrator principalis cauſa ſit]. Non definit heic Auctor, neque etiam in Majori Opere, haſce tres ſpecies cauſarum actionis alterius: unde fit, quod vix cedere aliter potuit, ut re minus diſtincte percepta, aliquando ad unam claſſem id, quod ad alteram pertinet, referat. Supplere itaque hunc nævum adnitemur, eo quidem curatius, quod hanc materiam,

riam, utut maxime utilem, hactenus non ita recte explicatam conſtet. Obſervandum ergo ſtatim eſt, agi tantummodo de *gradu influxus in actionem*; non vero de *gradu militiæ*, qui ex pluribus aliis circumſtantiis deducitur, atque in cauſa minus principali major, quam in principali eſſe poteſt; quemadmodum exemplo hominis adparet, qui alterum tranquillo animo occidit, inductus a tertio, ita impotenti commoto adverſus illum, quem interficiendum curavit, ad ulciſcendam atrocem injuriam, quam ſibi illatam exiſtimabat. Diſtinguendum porro eſt inter *effectus* aut *ſequelam* actionis ab altero immediate patratæ, & *productionem actionis* ipſius. Fieri enim poteſt, ut quis ad effectus aut ſequelam plus conferat, quam alter, qui immediate patrat; nec tamen ideo actionis cauſa principalis fiat: ut ſi quis conſpiciens ignem ædibus ſuppoſitum ab incendiario, qui ſubito effugit, non ſtatim manifeſtet. Attendendum quoque, ut quis merito cenſeatur ad actionem alterius concurriſſe, aliquid omittendo, haut neceſſum eſſe, ut certe hanc actionem impedire potuerit; ſed ſufficere, ſi probabiliter ad illam impediendam adferre aliquid momenti valuerit, atque ad hoc alias communi aliqua, vel peculiari obligatione adſtrictus fuerit. Hoc poſito, heic per CAUSAM PRINCIPALEM intelligendum eum eſſe dixerim, *qui faciendo aliquid, vel omittendo, ita in actionem, vel omiſſionem alterius influit, ut citra hoc alter a facto abſtinuiſſet, aut omiſſum feciſſet.* Cauſa ſecundi ordinis, quam CAUSAM COLLATERALEM voco, eſt *ille, qui faciendo, aut omittendo aliquid concurrit, quantum in ſe, ad actionem vel omiſſionem alterius; at non ita efficaciter tamen, ut præſumi poſſit, citra hoc alterum a facto deſtiturum, aut omiſſum facturum fuiſſe.* Denique CAUSA MINUS PRINCIPALIS mihi eſt, *qui leviter tantum in actionem vel omiſſionem alterius influit, aut aliqualem duntaxat ad hoc occaſionem præbet; ita ut agens jam proprio motu ad agendum, vel non agendum, ipſe determinatus, hoc tantum accendatur aliquo modo, aut adjuvetur, ad exequendum facilius promptiusve pravum ſuum propoſitum.* Harum definitionum adplicatio *notis* ſequentibus videbitur.

Qui alterum auctoritate]. Ratio, quare quis *cauſa principalis* ſit actionis, quam inferior ejus auctoritate patravit, præciſe non eſt, quod hic ipſius imperio ſubſit; alias enim omnia & quæcunque inferiorum geſta ſuperiori forent imputanda: verum quod ſupponatur, prout quidem uſu venire ſolet, inferiorem citra mandatum Superioris, tale quid ultro cogitaturum, aut etiam actu ſuſcepturum non fuiſſe. Quilibet alter ergo, qui in actionem quandam ſibi æqualium, aut quoque Superiorum, eundem influxum habuerit; pro ejuſdem cauſa principali etiam hac ratione haberi poterit; quo-

quocunque demum medio uſus fuerit, atque vel lubenti vel reluctante animo patrator ſeſe ad id moverit, quod ipſi alias in mentem non veniſſet, aut ipſe adgredi non ſuſtinuiſſet. Ita *Pilatus* mortis CHRISTI *cauſa* tantum *minus principalis* fuit: (vide MATTH. *cap. XXVII.* 23. *ſeqq.* JOAN. *cap. XIX.* 11.) *Judæi* vero ejusdem non minus *cauſa principalis*, ac *David* cædis *Uriæ* (II. SAM. *cap. XI.*) & *Jezabel* oppreſſionis Nabothi, III. REG. *cap. XXI.* Clerici, qui principes pro auctoritate, qua apud ipſos pollent, ad vexandos eos, qui eandem cum ipſis fidem non profitentur, movent, cauſa principalis omnino ſunt ejusmodi vexationum, ut & furoris, quo abripitur cœco impetu vulgus adverſus homines, quorum opiniones, bene, an male ſe habeant, dijudicare haud quicquam valet.

Aut ad facinus patrandum] Hi facinus non fuiſſent patraturi, niſi mandaviſſet alter, aut conduxiſſet data vel promiſſa mercede. Sunt itaque cauſæ principales, non vero cauſæ tantum collaterales. Ut autem intelligatur brevibus, quæ exempla ad ſecundam hanc claſſem pertineant: tenendum eſt, eos omnes, qui per conſpirationem cum auctore immediato actionis agunt, quacunque demum ratione eo conferant: item qui citra peculiarem conſpirationem eidem agenti aliquod medium aut auxilium, quod aliunde etiam conſequi potuisſet, ſuppeditant: eos, inquam, omnes cenſendos eſſe cauſas collaterales; ſive lucrum ex facto, ad quod concurrunt, capiant; ſive minus. Sola conſpiratione fit quis cauſa collateralis; tametſi poſitive ad actionem alterius parum, vel etiam nihil conferret. Nempe quod talis interdum nihil ipſe, vel parum faciat, inde eſt, quod plus non videatur requiri: ad præſtandum multum, ſi res tulerit, paratus omnino eſt: altum ſervat ſilentium, nec actionem, quantum in ſe eſt, impedit: hoc ſufficit, ut quis cenſeri debeat cum eo, quicum fine quidem ac conſilio unitus eſt, cooperari. Sic necis *Divi Stephani* & *Saulus*, cuſtos tantummodo veſtium eorum, qui ipſum lapidibus obruebant, reus fuit.

Qui adjuvant] Ita quidem, ſi & aliunde adjuvari patrans poterat: ut ſi quis publice tabulam luſoriam miniſtret in urbe, qua plura patent aleatoria. Verum ſi quis juveni in mercedem illecebroſæ juxta ac avaræ meretricis, alias in ejus libidinem non conſenſuræ, pecuniam, quam obtinere is alibi non valebat, mutuo det: hic creditor ſane luxuriæ illius juvenis cauſa principalis fuerit. Hæc diſtinctio ad plurima exempla, cuilibet ultro concipienda, adplicari facili negotio poterit.

Qui cum opem ferre injuriam patienti poſſent & deberent] Ad primam claſſem referendum eſſe hoc exemplum, ex principiis ſupra adſtructis liquidum eſt.

Qui conſilium] Scilicet, cum quis ſuadet. e. g. hanc vel

illam rem peculiariter furari, indicato ſimul modo procedendi, tempore opportuno in ædes irrependi, loco, quo res adſervatur, via evadendi &c. non vero, ſi ſimpliciter ac in genere quærere ſibi rem furto, aut decipere monuerit. Vide J. N. & G. *lib. I. cap.* 5. §. 14.

Qui laudant] Modo quidem conſilia, laudes, atque aſſentatio, ad ſtimulandum turpis actionis auctorem aliquid conferant; alias enim tantum de prava ſua intentione quis tenebitur. *Ibid.* conf. *lib. III. cap.* 1. §. 4. *not.* 2. Obſervandum quoque, conſiliis aliquando eam vim eſſe, ut alterum ad facinora, quæ alias ipſe animo non concepiſſet, aut ad quæ ſe determinare plane auſus non fuiſſet, moveant: & hoc caſu conſultor cauſa principalis exiſtit. Huc pertinet *Achitophel* reſpectu *Abſalonis*. Vide II. SAM. *cap. XVI. XVII.* Idem *de exemplo* & *commendationibus* in certis circumſtantiis ſentiendum.

CAPUT II.

§. II.

Ut ad iſtius præſcriptum actiones ſuas componat] Hæc *legis* definitio etiam generaliſſime intellecta, ampla ſatis & accurata non eſt. *Lex* itaque, meo judicio, eſt *decretum Superioris quocunque modo ſufficienter manifeſtatum; quo is ſubjectorum aut omnes in univerſum, aut ſaltem alicujus generis actiones dirigit; ita ut ratione illarum ipſis aut neceſſitatem certo modo agendi, vel non agendi imponat; aut libertatem pro lubitu agendi, vel non agendi relinquat.*

§. III.

Adeoque.] Senſus *obligationis* duos diſtinctos ſenſus complectitur; quorum quidem alter fluit ex altero. Prior eſt ſenſus *convenientiæ* vel *diſconvenientiæ* hoc vel illo modo agendi, vel non agendi; ita ut aliter faciendo, ſe quis non ſecutum lumen rationis, vituperioque adeo dignum intelligat. Alter eſt *metus* vel diſtinctus, vel confuſus *mali* alicujus nobis imminentis tali modo agentibus, vel non agentibus; & mali quidem non immerito eventuri; ſive revera in illud incurramus; ſive forte illud detur effugere. Dixi, *metus vel diſtinctus, vel confuſus.* Eſt *diſtinctus* ratione actuum pœnis humano foro ſancitis obnoxiorum: *confuſus* vero, ratione actuum omnium pœnis humanis exemptorum: & inde procedunt terrores illi conſcientiæ, omni ævo in improbis deprehenſi. Ad inveniendum autem ſolidum horum ſenſuum fundamentum, neceſſum eſt, rationem *convenientiæ* aut *diſconvenientiæ* involvere

vere *neceſſitatem* quandam *moralem indiſpenſabilem:* quæ vero neceſſitas non niſi a principio externo, Ente nempe, cui *jus* competat certis regulis nos ſubjiciendi, & contravenientibus malum repræſentandi, imponi poſſe intelligitur. Vide quæ dicta ſunt ad *Epiſtolam cenſoriam Anonymi* adnexam infra §. 15.

§. IV.

Sequitur ergo, ut ille obligationis ſit capax, qui &c] Hæc eſt cauſa propria ac immediata: altera eſt tantum conditio neceſſario ſuppoſita; quemadmodum ex eo adparet, quod Deus, utut intelligens ac liber infinitum in modum, capax tamen obligationis non ſit.

§. V.

Introducitur obligatio in animum hominis proprie a ſuperiore] Vide quæ dixi ad *Epiſtolam cenſoriam Anonymi* §. 19.

Cui non ſolum] *Vis* plane non ingreditur conſtitutionem juris imponendi *obligationem:* inſervit tantum ad jus illud ſufſulciendum, atque efficax reddendum.

Rationes autem &c.] Prout concepta hæc periodus eſt; ſingula, quæ complectitur, momenta, aut ſeparatæ invicem rationes ſunt; aut confluere ſimul debent ad conſtituendum unum fundamentum juris imponendi obligationem. At heic non perſpicitur, utrum prius, an poſterius Auctor voluerit. In Opere quidem Majori de J. N. & G. *lib. I. cap.* 6. §. 12. ita exprimit mentem ſuam, ut tria priora momenta ſimul cohæreant, unamque adeo notionem conſtituant; quartum vero alteram exhibeat. Hæc quidem variatio ac confuſio jam ſignum eſt rei minus liquido perceptæ: verum ſi ponderentur omnes rationes, quibus jus aliis imperandi ſuperſtruit: facile adparebit, nullam eſſe, quæ per ſe ſatis habeat validitatis. Beneficium quippe nihil aliud, quam gratitudinem depoſcit; ad quam teſtandam vero neceſſum non eſt benefactoris ſe directioni ſubjicere. Servavit quis e. g. alteri vitam: vix ullum ſane beneficium exſtare majus poteſt: an ideo jus ille habeat exigendi, ut hic ipſius imperium agnoſcat? Ex eo ſolum porro, quod quis alteri bene velit, & rectius etiam, quam ipſe valet, eidem proſpicere poſſit; non ſequitur, illi jus accedere huic imperandi; fatente Auctore ipſo, qui illud fuſe oſtendit in Opere Majori *lib. III. cap.* 2. §. 8. Sic & conſenſus, quo in alterius ſubjectionem quis deſcendit, per ſe obligatorius non eſt: prout illud teſtatur etiam ipſe Auctor eodem Opere *lib. I. cap.* 6. §. 6. *cap.* 7. §. 13. & *lib. VIII. cap.* 1. §. 5. Hæ ergo omnes rationes obligationem non niſi vali-

 dio-

diorem ac ſtrictiorem reddunt: fundamentum vero juris imponendi ejusmodi neceſſitatem moralem aliunde petendum eſt. Ad hoc autem, meo judicio, redeunt reliqua omnia: nempe ad dependentiam naturalem, qua univerſi homines imperio Numinis ſubſunt, eo quod ab ipſo *exiſtentiam*, *vitam*, *& motum* habeant. Opifex quippe, qua talis, operis ſui arbiter eſt, ac pro lubitu de eo poteſt diſponere; etiamſi nil ipſi præter formam induxerit. Quod ſi ſtatuarius propria virtute conficere ſtatuas animatas valeret, ipſiſque inditi intellectus verus auctor foret: hoc ipſo jus conſequeretur cauſamque abundantem exigendi, fabricatum manibus ſuis, dotatumque a ſe intelligendi facultate marmor aurumve, ſuæ ſe voluntati ſubjicere. Idem juris & Parentes in liberos obtinerent; ſiquidem in generandis illis quid præter cœca inſtrumenta, & cauſas, ut ita loquar, occaſionales forent; quo deficiente, eorum quoque auctoritas ex alio fonte derivatur. At Deus cum materiæ, tum formæ partium, quibus conſtamus, auctor in ſolidum eſt: corpora noſtra ac animas condidit, omneſque, quibus præditæ ſunt, facultates ipſis largitus eſt. Poteſt itaque iſtis facultatibus, quos vult, limites præſcribere, atque poſtulare, ut iisdem homines non niſi hoc vel illo modo utantur. Porro cum qui jus habet mihi imperandi, eo ipſo communicare cum altero hanc poteſtatem valeat: ſic Deus certis hominibus aut directe ac immediate hanc ſuam auctoritatem impertitur; ut cum Magiſtratus inter *Judæos*, ſubſiſtente *Theocratia*, ipſe olim conſtituebat; aut mediate ac indirecte; vi nempe ejus, quod velle ſe teſtatus eſt, quocunque demum modo. Ita aliquo naturalis legis præcepto omnis inter homines legitima auctoritas niti ſolet, & præſertim ipſo eorum conſenſu, qui eidem ſubſunt: qui vero conſenſus omnem ſuam vim inde obtinet, quod velit Deus ſervari, quæ pacta ſunt, adeoque iis obediri, quibus promiſſum eſt, quantum quidem citra violationem legum a communi Domino latarum fieri poteſt. En primarium maximumque omnis officii atque obligationis fundamentum. Inde etiam nihil frequentius validiusve inculcat Revelatio, quam dogma creationis mundi in univerſum, ac ſpecialiter hominum. Hoc quoque principium ipſi *Gentiles*,[1] quamvis haud ita liquido agnoverunt, taliaque præceperunt, quæ ad percipiendum honeſti & officii cum voluntate ſupremi Entis, auctoris noſtræ exiſtentiæ, nexum recta deducebant; prout, ſi ferret locus, in proclivi eſſet illud oſtendere.

§. VI.

Publice ſunt conſtituti] Legislatori jus competit non ſolum *interpretandi* ac declarandi leges: verum etiam, ubi ſenſus le-

gis

gis perſpicuus eſt ac definitus, eam *adplicandi* ad hunc vel il-lum peculiarem caſum, in quo aliquando aliquid difficultatis deprehenditur.

§. VIII.

Sive illi ipſi, ſive aliis] Addenda *tertia* conditio eſt, nempe ut lex ſit *juſta;* ordini ſcilicet ac naturæ rerum congrua. Etſi enim certo ſenſu omne *juſtum* ſit *utile:* concipi tamen *juſtum* poteſt, abſtrahendo ab omni *utilitate.* Ipſe quidem Deus, nullius omnino rei indigus, obnoxius, ſi ita loqui licet, eſt glorioſæ neceſſitati nihil præſcribendi contra immutabiles ordinis regulas; quæ nihil aliud ſunt, niſi emanatio infinitarum ſuarum perfectionum, ac ſequela naturæ rerum, cujus ipſe auctor eſt, ita ut ſecus agendo ſibi ipſi adverſus foret.

§. IX.

Interdum tamen contingit, ut ab obligatione] Hæc diſpenſatio tantum locum reperit in *legibus poſitivis:* neutiquam vero in *legibus naturalibus*, circa quas nec ipſe Deus diſpenſare poteſt; quippe exempla adlegari ſolita diſpenſationem proprie ſic dictam non arguunt.

§. X.

Aut tales caſus prævidiſſet] Tradere Auctor aliquid de *duratione legum*, earumque *abrogatione* debuiſſet. Perpetuam eſſe ac irrevocabilem *legem naturæ* jam manifeſtum eſt. Verum omnes *leges poſitivæ*, tam humanæ, quam divinæ, ita ſunt comparatæ, ut abrogare eas Legislator poſſit, imo aliquando debeat. Hoc autem vel *expreſſe* facit, vel *tacite.* Cum enim longum tempus non obſervari legem patitur, permittitque negotia eo pertinentia alio plane modo geri: aut vero mutatur ita rerum ſtatus, ut inutilis jam lex fiat, vel locum amplius obtinere nequeat: illa, quamvis non expreſſe abrogata a Legislatore, ſua ſponte exſpirat. Hoc modo leges *Judæorum* politicæ ac ceremoniales abolitæ ſunt.

§. XI.

Illa etiam licita dicantur, in quæ] Vide utrumque meum diſcurſum *de permiſſione legum*, *&* *de beneficio legum.*

Quæ porro actiones cum lege] Scilicet, poſitive: dantur enim *actiones indifferentes;* quas nec præcipit lex, nec prohibet; ſed fieri pro lubitu, vel non fieri, integrum reliquit. Vide

Digitized by Google

ad J. N. & G. *lib. I. cap. 6.* §. 15. *not.* 2. & *cap.* 7. §. 5. *not.* 5.

Si in una duntaxat] Hæ conditiones reſpiciunt *qualitatem* aut *diſpoſitionem agentis*, *objectum*, *finem*, ceteraſque actionis *circumſtantias*. Sic etſi actio alias ex aſſe ſententiam legis adimpleat: ſi ex vitioſa intentione eadem profluxerit; ceu prava, ſaltem coram tribunali divino, imputari poteſt. Quod ſi eam quis ex cauſa quidem innoxia; at non ea, quam lex imperat, ſuſcipiat; aut ex ignorantia; id eſt, neſcius id, quod patrat, convenire cum lege: illius tunc ſupremus Legislator nullam habet rationem: incaſſum actum eſt, ac mero ſuo damno. Nempe iterum *coram tribunali divino*: nam cum externa legum obſervatio ad commodum ſocietatis, Legislatorum civilium ſcopum, ſufficiat: hi de agentis intentione, bonane omnino ac legitima fuerit, an minus, haud adeò ſunt ſolliciti; modo actus exterior in ſe cum lege conveniat. Vid. J. N. & G. *lib. I. cap.* 7. §. 3. 4. & *cap.* 8. §. 2. 3.

§. XII.

Seu in omni re] Supponit Auctor perperam, ut videtur, eos omnes, quibus habitus juſtitiæ univerſalis deeſt; qui non in omni re juſta faciendo delectantur; nunquam actiones in ſe juſtas, niſi propter pœnas legibus humanis adjunctas, facere. Si hominum indoles bene exploretur; adparebit, ut virtutis ac probitatis; ita etiam nequitiæ ac vitiorum gradus eſſe. Non omnes quippe, qui non quovis reſpectu virtuti dant operam, aut vere probi ſunt, æqua ratione depravati, omnibus vitiis dediti, aut eidem pariter vitio mancipati deprehenduntur. Homines videas, qui, prout de *Galba* Imperatore dictum eſt, *magis extra vitia ſunt, quam cum virtutibus*, TACIT. *Hiſtor. I.* 49. *num.* 4. & *nemo repente fuit turpiſſimus &c.* Itaque cum variis plane modis violari, quæ aliis debentur, poſſint: facile eveniet, ut dum quis certis vitiis obnoxius eſt, quæ ipſum ad lædendum hoc vel illud jus alterius impellunt; ipſe ab aliis vitiis ad lædenda alia ejusdem jura ſtimulantibus immunis ſit; adeoque horum reſpectu juſtitiæ etiam propoſito ac motu officio ſuo fungatur. Sic e. g. homo in ſequiorem inclinis ſexum, concepto vehementiori in alienam uxorem adfectu, jus mariti, corrumpi ſuam conjugem vetans, vix obſervaverit: at furari, occidere, dolos fraudesque in contractibus adhibere, patriam aut Principem prodere &c. forſan religioni duxerit. Equidem vi ejusmodi adfectus abreptus, ſi alia ratione voti compos fieri nequeat, ad committendum homicidium, audendam proditionem, aliudve patrandum ſcelus induci poterit; verum hæc tunc non niſi ægre,

gre poſt vehementes animi luctas, aut impotenti jam fervore excœcatus, ſuſtinebit. Si juſti hominis, teſtante Auctore, *non pauca* poſſunt eſſe per infirmitatem *actiones injuſtæ:* ſi *David*, Propheta quidem, ac *vir ſecundum cor Dei*, turpe adulterium, cædemque impiam committere potuit: cur injuſtus homo, aut qui vitii alicujus habitum contraxit, plures actiones juſtas, pro talibus agnitas, easque ut tales, facere non valeat: ita ut hoc reſpectu aliqua ipſi juſtitia adtribui poſſit? Hoc ſaltem deſiderandum, quod tunc *imperfecta* tantum *probitas* ſit; periculumque immineat, ne, quod uſu venire ſolet, ejusmodi homines ex vitio in vitium ſenſim prolabantur, ac omnem denique virtutis fere ſenſum amittant. Verum non ideo confundendæ diverſæ ideæ; aut ſupponendi homines deteriores, ac revera ſunt. Tanta quippe eſt, maxime ratione nonnullorum officiorum, virtutis venuſtas, tantaque ejus vis in animos hominum, ut ii omnes, qui tantiſper ratione utuntur, atque inter moratas gentes degunt, ea, ſin minus hoc, ſaltem altero modo pellici ſoleant. Imo homines certis addicti vitiis, ipſos ad præcepta juſtitiæ, ratione officiorum cupiditatibus ſuis adverſorum, proculcanda concitantibus, interdum eo promptius in aliis juſte agere ſatagunt, quod, turbata ſubinde conſcientiæ morſibus illa ſecuritate, qua piacula dominantibus ſuis vitiis conformia committunt, expiaturos ſe ea utcunque, ſtrictiori officiorum cupidinibus ſuis haud repugnantium obſervatione, exiſtiment.

§. XIII.

Juſtitia autem præterea involvat reſpectum] At, juxta ipſam Auctoris definitionem, nonne *bona actio* etiam objectum conveniens involvit? Vide ſupra ad §. 11. *not.* 2. Porro, prout juſtitiam dividit, videtur tantum *alios homines* pro objecto ejusdem habere. Satius fuiſſet *bonas actiones* diſtinguere ſecundum tria objecta, erga quæ exerceri poſſunt, *Deum* nempe, *alios homines*, & *nosmet ipſos.* (Vide §. 13. *cap. ſeq.*) Illæ, quæ ad *Deum* referuntur. PIETATIS: quæ ad *alios homines*, JUSTITIÆ: quæ vero directe ad *nos ipſos*, *Moderationis* aut TEMPERANTIÆ vocabulo comprehenduntur. Hæc diviſio, ut ſimpliciſſima ac facillima: ita quoque receptiſſima eſt, ac antiquiſſima. Vide ad J. N. & G. *lib. II. cap.* 3. §. 24. *not.* 1.

§. XIV.

Quando quodcunque officium exercetur erga alios, etiam] Illa ſunt, quæ non abſolute ad conſervationem humani generis, aut ſuſtentationem ſocietatis humanæ in univerſum requiruntur;

Digitized by Google

tur; etiamſi ad reddendam eam amœniorem commodioremque inſerviant. Huc pertinent commiſerationis, liberalitatis, beneficentiæ, gratitudinis, hoſpitalitatis officia: verbo, quæcunque vulgo *humanitatis* aut *caritatis* vocabulo comprehendi ſolent, ad contradiſtinctionem *juſtitiæ* rigoroſæ, proprie ſic dictæ, cujus officia utplurimum pacto vel conventione aliqua nituntur. *Utplurimum*, inquam: etenim & citra ullam conventionem perfecte quis obligatur neminem lædere, ac damnum datum reparare; alios ceu naturaliter ſibi æquales habere &c. Verum ſedulo obſervandum, caſu extremæ neceſſitatis *jus imperfectum* ex legibus *caritatis* ortum, mutari in *jus perfectum*; ita ut tunc per vim queant adſeri, quæ extra hunc caſum ſolo cujusque pudore ac conſcientia ſtant. Vide J. N. & G. *lib. I. cap.* 7. §. 7. & *lib III. cap.* 4. §. 6.

Et hæc iterum ſolet dividi in] Quemadmodum vitioſa eſt diviſio *juſtitiæ* in *univerſalem* & *particularem*; quod unum membrum altero contineatur: ita ſubdiviſio *juſtitiæ particularis* in *diſtributivam* & *commutativam* inadæquata eſt; quia hoc ſolum complectitur, quod alteri vi pacti alicujus aut contractus cum ipſo initi debetur; cum tamen non pauca ſint, quæ, nulla intercedente conventione, alii a nobis jure ſuo poſtulare queant. Vide *not. præced.* Mallem itaque *juſtitiam* dividere in *imperfectam*, aut non rigoroſam; & *perfectam*, aut rigoroſam: hancque deinde ſubdividere in illam, *quæ a pari erga parem*; & *quæ inter ſuperiorem & inferiorem* exercetur. Prior tot habet diverſas ſpecies, quot officia ſunt, quæ homo a quolibet altero homine, qua tali, aut civis ab quovis altero membro ejusdem civitatis perfecte exigere poteſt. Altera tot includit ſpecies, quot variæ ſunt ſocietates, quibus imperant alii, alii obediunt.

§. XV.

Quod ſuo jure] Sicut e. g. reparatio damni ipſi dati; aut adimpletio contractus cum ipſo initi &c.

Vel ſi auferatur, quod] Id eſt, bona & jura, quæ actu poſſidet.

Suo jure adverſus auferentem] Hæc exceptio reſpicit ſummorum Imperantium jus, bona eorum, qui certa delicta commiſerunt, fiſco addicendi: aut etiam de bonis eorum, qui non deliquerunt, in quibusdam caſibus diſponendi; donec hoc vel illo modo deinde indemnes præſtari poſſint.

Vel ſi malum aliquod alteri inferatur] Hæc iterum exceptio pertinet ad jus ſummorum Imperantium, pœnas ſontibus infligendi.

§. XVI.

Digitized by Google

§. XVI.

Lex reſpectu auctoris dividitur in] Id eſt, quæ immediate auctorem habet *Deum*; namque alias ipſarum legum humanarum vis ex lege naturali, quæ vere divina lex eſt, promanat.

CAPUT III.

§. VIII.

Vocantur] Vide quæ dicentur infra ad §. ult. hujus capitis.

§. X.

Tamen ut eadem vim legis obtineant] Vide ad J. N. & G. *lib. II. cap.* 3. §. 19. *not.* 2. & quæ monui ad *Epiſtolam cenſoriam Anonymi* heic adnexam §. 15.

§. XIII.

Tamen etiam] At hæc officia, ut & quæ ad noſmet ipſos referuntur, aliud directum ac immediatum fundamentum ſemoto quocunque ſocietatis reſpectu, habent. Etenim homo ſolus in orbe, aut in deſerta aliqua inſula, nihilominus ſane colere Deum, ſe ipſum conſervare, facultatesque ſuas, quantum poteſt, perficere &c. teneretur. Enimvero plane neceſſum non eſt, omnia officia, quorum ſolo rationis lumine intelligi neceſſitas poteſt, ex una fundamentali propoſitione deduci. *Tria* nempe ſunt primaria naturalis juris *principia:* RELIGIO, quæ omnia hominis erga *Deum* officia complectitur: AMOR SUI, ex quo quicquid erga *ſe ipſum* idem homo directe obſervare tenetur, fluit: & SOCIABILITAS, unde quæ *aliis hominibus* debentur, reſultant: uberrima quidem principia; quæ etſi arctiſſimo inter ſe vinculo cohæreant, unaque ad promovendos Creatoris fines concurrant; revera tamen invicem differunt, ac prudenter temperari debent, ita ut juſtum inter illa, quantum fieri poteſt, æquilibrium ſervetur. Vide ad J. N. & G. *lib. II. cap.* 3. §. 15. *not.* 5.

Quam quousque illa inſervit] Vide quæ dixi ad *præfationem* Auctoris §. 6.

CAPUT IV.

§. I.

Inde religio naturalis conſtat]. Vide ad hæc ſingula CLERICI *Pneumatologiam ſect*. 3. ut & BUDDEI *Diſſertationem*, cui titulus *de Pietate Philoſophica*; quæ eſt IV. inter ejus *Selecta Juris Nat. & Gentium.*

§. II.

Et graviſſimis.] Modo quidem diſſeminare impietatem hanc pertendant: alias enim indoles ac finis pœnarum foro humano infligendarum, non exigit, eas adverſus Atheum, ideo tantum, quod Atheus ſit, exerceri. Vide ad J. N. & G. *lib. III. cap.* 4. §. 4. *not.* 1.

§. III.

Nec minus indigne de Deo ſentiunt, qui eum.] Vide BAYLII *Continuationem Cogitationum circa cometam*, &c. p. 120. & *ſeq.*

Et ſic ipſum Deum negat.] Modificationem aliquam hæc meretur conſequentia: maluerintque forſan plures verba Dn. CUDWORTHII in excerptis *Bibliothecæ ſelectæ* Dn. CLERICI *Tom. III.* p. 21. 22. ſua facere:

„ Etſi preſſe quidem loquendo ii tantum agnoſcant Deum, „ qui ipſum omnipotentem, unicumque rerum omnium principium credunt: poſtulat tamen humani ingenii debilitas, „ latius hæc verba intelligi: ut inter illos, qui Numen agnoſcunt, & ii comprehendantur, qui credere ſe Ens æternum „ atque independens profitentur; licet creaſſe iſtud materiam haud credant. Nunquam Atheismi *Epicurus* ac *Democritus* accuſati fuiſſent: ſi tantum ſtatuiſſent, Atomos eſſe „ æternos; neque alii etiam Philoſophi, qui idem ipſum contendebant: & ſi non negaviſſent, ullum exiſtere Ens intelligens, quod ex materia univerſum condiderit. Conf. TITII *obſervationes in Pufend. de offic. Hom. & Civ.* &c. ad *lib.* I. *c.* 4. §. 3. lit. (*i*) & (*n*) Sunt & aliæ circa Numen opiniones, quarum reſpectu indulgere aliquid par eſt humanæ mentis caligini, educationis inſtillationibus, peculiari cujusque indoli ingenii, temporibus, locis, aliisve circumſtantiis. Alias enim periculum fuerit, ne Atheismi temere inſimulentur homines ab eo alieniſſimi; immo plures etiam ſancti viri, quorum collaudatur in ſacris ſcripturis, atque imitanda proponitur pietas; tametſi in nonnullis crudæ ſatis de Numine ipſis ſententiæ hæſerint.

§. V.

Digitized by Google

§. V.

Nullum attributum in Deum cadere, quod aliquam.] Certum quidem eſt, nullum Deo attributum eſſe adſignandum, quod ullam involvat imperfectionem: At bene notandum obſervationem hujus regulæ relativam eſſe ad captum uniuscujusque: quippe cum adſcribere imperfectiones Numini quis poſſit, quas pro talibus non habeat; quo caſu reverentiæ in illud ac honoris defectus, ſaltem formaliter, non proditur. Ut vero conſtet, an tunc quis de errore teneatur: diſtinguendum eſt inter *graviores* illas *imperfectiones*, quæ in ſenſus quaſi incurrunt; & *ſubtiliores imperfectiones*, quas non niſi adhibita meditatione ac perſpicacia vulgi captum ſuperante, licet detegere. Ad priorem claſſem pertinebant pleræque gentilis ſuperſtitionis ac idololatriæ hallucinationes, quibus Deo hominum non ſolum indigentia, ſed quoque infirmitates ac vitia ipſa adfingebantur. Referenda & huc eorum eſt opinio, qui Deum peccati auctorem conſtituunt: item, qui cum ita ſibi concipiunt, ac ſi homines talia velit ſuſcipere, quæ citra piaculum fieri nequeunt: cujus farinæ ſunt fautores perſecutionis ex cauſa Religionis. Enimvero circa Dei *omniſcientiam* e. g. aut *omnipræſentiam*, & id genus alia quæ ad intimiores naturæ divinæ receſſus ſpectant, facile eſt, ut falſæ quæpiam obrepant notiones; ita ut vel attentiſſimis perſpicaciſſimisque, dum ultra vulgi ſphæram adſcendunt, non cautum ſit, quominus in aliquem errorem ipſimet illabantur.

§. VI.

Honor.] At ipſe Auctor in Opere Majori *lib. VIII. cap. 4.* §. 11. atque hoc compendio *lib. II. cap.* 14. §. 11. aliter *honorem* definit, hocque ipſo ſigna externa intelligit, quibus judicium noſtrum de alterius præſtantia teſtamur. Iſtud revera vocabulum hocce involvit; ita ut denotando *cultui externo* potius, quam *interno*, adplicari poſſit. Ceterum non ſolum conſideratione *potentiæ* & *bonitatis* Dei fundatur veneratio illa, qua abſolvitur *cultus internus*: eandem pro rata ingrediuntur etiam reliquæ omnes naturæ divinæ perfectiones, in quantum nobis ſunt cognitæ: in primis *ſapientia* & *ſcientia infinita*, quarum hæc neceſſario ad perſcrutanda corda noſtra, internamque devotionem recipiendam requiritur. Porro ad *externum cultum* Auctor talia refert, quæ etiam & potiſſimum ad *cultum internum* pertinent, ceu adparet ex *nota* 1. §. *ſeq.* inter alia *admirationem*, quæ vel primo loco poni debuiſſet; quandoquidem ea primus utique ſenſus eſt, quem excitare in nobis conſideratio perfectionum in univerſum apta eſt; dum

dum reliqui ſenſus alicui tantum, vel aliquibus earum peculiariter reſpondent.

Ei denique in omnibus humillime.] Dicit auctor ſimpliciter, *ei obſequi.* Jam vero *actuale obſequium*, prout ex eo conſtat, quod ipſe §. *ſeq.* tradit, in exteriori aliqua actione conſiſtit.

§. VII.

Ut homo Deo.] At hæ *gratiarum actiones*, æque ac *admiratio* & *preces* aliquando citra externum actum fieri poſſunt ac debent; quicquid ignorantia ac ſuperſtitio circa hæc comminiſcantur.

Ut ejus magnitudinem admiretur.] Vide *not.* præced.

Ut preces.] Vide *not.* 6. hujus §.

Per ſolum Deum juret, &c.] Vide, quæ dicentur infra *cap.* 11. hujus Libri, quo de *juramento* in genere agitur.

In ſuo genere ſit.] Sic lege *Moſis* Deus offerri ſibi victimas immunes a maculis, optimaſque terræ fruges, præceperat.

Ut homo Deum non ſolum ſecreto, ſed &c] Id eſt, quantum fieri poteſt majeſtate divina profanorum ludibrio aut inſultibus non expoſita; nec arceſſito nobis ipſis gravi aliquo malo, abſtinendo a certis externis actibus, quorum omiſſio nullum contemtus ſignum involvit. Vide, quæ dixi ad J. N. & G. *lib. II. cap.* 4. §. 3. *not.* 2. & *cap.* 6. §. 2. *not.* 3. 2dæ *Edit.*

§. VIII.

Enimvero id certum eſt,] Vide dicta ad *Præfationem* Auctoris §. 6.

§. IX.

Quem in vita humana.] Vide ad J. N. & G. *lib. II. cap.* 4. §. 3. *not.* 4.

Tunc enim revera locum haberet.] *Cogi qui poteſt, neſcit mori.*
SENEC. *Herc. fur. verſ.* 425.

Rege vitam ſuam non ſatis caute circumſepiente.] *Pone ſeram; cohibe, ſed quis cuſtodiet ipſos Cuſtodes?*
JUVENAL. *Satyr.* VI. *verſ.* 346. 347.

CAPUT V.

§. I.

Cum enim non ſibi ſoli ſit natus homo; ſed] Officia hominis erga ſe ipſum directe ac immediate fluunt ex *amore ſui ipſius*, quem ſupra inter tria primaria juris naturalis principia conſtitui-

ſtituimus: quo quidem obligatur homo non ſolum ſe conſervare, quantum citra violationem legum *religionis* ac *ſocialitatis* poteſt; ſed etiam ita ſe pro viribus componere, ut omnem, cujus capax ſit, felicitatem conſequi valeat. Vide ad J. N. & G. *lib. II. cap.* 3. §. 15. *not.* 5.

§. III.

Actionibus & eventibus humanis indiſpenſabilem.] Omnis opinio libertati hominis adverſa, doctrinæ moralis, naturalis juris, ac ipſius religionis flagellum eſt ac ſpongia. Si per impoſſibile quidem ſupponere daretur, omnes actiones humanas neceſſarias eſſe: myſterium tamen hoc foret, hominum notitiæ ſubtrahendum; ipſosque ſe in agendo liberos credere, par ſemper eſſet: alias enim ipſo naturalis ſuæ indolis impulſu in deſidiam prolaberentur, ſeque ineluctabilis ejusmodi neceſſitatis tractui pronos committerent. Sic conſtat quoque, eos, qui libertatem ſubvertere adgreſſi ſunt, ejusdem ſenſum, utut ſuo judicio fallacem, negare haud potuiſſe.

Quo ipſis lucri aperiatur occaſio.] Qua opinione ducuntur, qui Deum orant, ut crebris littora ſua naufragiis locupletentur. Vide *Diſcurſum meum de Beneficio Legum Part.* 1.

§. IV.

De ſimilibus] Præcipuus hujus regulæ uſus reſpicit caſus, quibus exſtimulatur quis ad judicandum diſſimiliter de cauſis ſimilibus, prout ſua quocunque modo intereſt, eas juſtas eſſe, vel minus.

§. V.

Ut omnium maxime.] Ad hoc ipſum quis tenetur, non ſolum proprii commodi cauſa: (nam, ut ad benevolentiam alii ac favorem erga nos permoveantur, non ſufficit, nos eſſe probos: requiritur præterea, ut nullum ejus hæreat illis dubium) ſed etiam quia opinionem boni viri negligendo, occaſio præbetur ſuſpicandi, nobis ipſam quidem probitatem non adeo curæ eſſe. Hoc modo interna quis honeſtate videtur quaſi erubeſcere; aliosque, dum ad eam ſibi comparandam excitare deberet, inde abſterret.

§. VIII.

Aut quatenus pœnitentia ob prava facinora exprimenda requiritur.] Et heic cavendum ab exceſſu. Perperam debilioribus animis triſtitia ac dolor pro ſignis habentur veræ pœnitentiæ. Optima

ma reſipiſcentia eſt, emendationi dare operam: cui vero inſtituto haud ita conducit mœror. Ut quis officio ſuo fungatur feliciter, alacriter eidem incumbat, neceſſe eſt: jam autem ei vix alacriter incubuerit, qui triſtitiæ ſe permiſerit.

§. IX.

Datur præterea peculiaris animi.] Vide Dn. BUDDEI Diſſertationem, cui titulus *De cultura ingenii*; quæ eſt V. inter ejus *Selecta Jur. Nat. & Gent.* ubi plures egregiæ circa hanc materiam obſervationes occurrunt.

Cultura in variarum rerum, artium & diſciplinarum.] Vide Diſcurſum meum *de litterarum ac ſcientiarum utilitate in civitatem redundante*, gall. Dantur *notitiæ unicuique neceſſariæ:* aliæ *unicuique utiles:* aliæ denique *certis tantum hominibus neceſſariæ aut utiles;* iis nempe, qui peculiarem aliquam artem aut ſcientiam amplexi ſunt. Cuilibet ea omnia, quæ non univerſis ſolum hominibus, ſed etiam arti ſuæ aut vitæ inſtituto addictis *neceſſaria* ſunt, quanta fieri poteſt, ſolertia, inveſtiganda eſſe atque addiſcenda, extra omne dubium eſt. Quod vero adtinet ad *notitias utiles* ſive unicuique, ſive ratione artis aut ſcientiæ, quam quis profitetur: tantum ſibi par fuerit adquirere, quantum præſens rerum conditio patitur. Quamplurima hoc circa poſſent ediſſeri: at ſuffecerint hæc Notæ loco, atque ad campum iis aperiendum, quibus perſequi id negotii ulterius propoſitum fuerit.

§. XI.

Vel indignatione.] Ut ſi fœmina violationem pudicitiæ, poſtquam alias pro viribus reniſa eſt, propria cæde declinet. Nec enim prudentiores ita violentiæ ſuccumbentem minoris æſtimaverint.

§. XVI.

Aut irreparabile.] Talia ſunt, quæ in commercium non veniunt: uti membra corporis noſtri, aut liber eorundem uſus, pudicitia honeſtæ fœminæ &c. Et hoc quoque locum habet, cum quis res etiam reparabiles eo tempore nobis ereptum venit, quo cognoſci is nequit, aut ſperare non datur fore, ut alia via nobis ſatisfiat. Inde etiam variorum populorum conſtitutionibus, ipſaque *Moſis* lege, fures nocturnos licebat occidere.

§. XVII.

Non ideo ſtatim meo nomine eum invadere ultro poſſum.] Poteſt quis,

quis, ſi vires ſuppetant, immo debet, cuicunque injuſte ab altero oppreſſo præbere auxilium. Eo leges humanitatis, citra fœdus etiam, aut quemvis peculiarem nexum, obligant. Vide, quæ commentatus ſum ad J. N. & G. *lib. II. cap.* 5. §. 6. *not.* 3. 2dæ Edit.

§. XIX.

Nam ſufficit, quod alteri.] Solidiſſima hæc eſt ratio, ſufficitque ad refellendam eorum ſententiam, qui cum GROTIO *de Jure Belli ac Pacis lib. II. cap.* 1. §. 9. contendunt, ceſſare jus legitimæ defenſionis ſui, ſi injuſtus invaſor princeps ſit, aut alter quispiam auctoritate in ſocietate civili inſtructus. Enimvero ſtatim atque magiſtratus, aut ſuperior quicunque per malitiam, ac deliberato conſilio, eo furoris progreditur; in ſtatum hoſtilem cum eo, quem adgreditur, deſcendit; ſubjectionis vinculum abrumpitur; ab ſubditus aut inferior, quippe qui obligare ſe ad illimitatum ejusmodi obſequium nec voluit, nec potuit, eo ipſo priſtina ſua jura naturalia omnino recuperat. Vide, quæ ex Dn. VAN DER MEULEN referuntur in *Bibliotheca univerſali Tom. XIII. p.* 143. *ſeqq.* Incasſum objecerit quis commodum ſocietatis, quæ ejusmodi reſiſtentia iis, qui eidem præſunt, aut in adminiſtratione imperii munus aliquod gerunt, facta turbaretur. Præterquam enim quod trepidanti in tanto periculo vix talia licet ponderare: potius non ſubſtiturus hac violentia invaſor, ſed reliquis ſubditis parem, quoties libido inceſſerit, illaturus injuriam merito præſumitur.

Neque in me ſit.] Ut ſi bonus princeps aut parens involuntario aliquo, quem moderari aut prævertere non potuit, motu agitatus, ſubdito cuipiam, aut filio, mortem intentaverit. Vide, quæ dixi ad J. N. & G. *lib. II. cap.* 5. §. 5. *not.* 1. 2dæ Edit.

§. XXII.

Sed & quod pro vita, id & pro.] Negat quidem hoc Dn. BUDDEUS in *Elementis Philoſophiæ Practicæ Part. II. cap.* 4. *ſect.* 3. §. 14. hac adducta ratione, quod *pudicitia neutiquam vitæ hominis ſit æquiparanda.* Verum nonne vel extrema ab ejusmodi libidinoſo invaſore imminent fœminæ? Porro pudicitia non ſolum irrepabile bonum eſt, maxime ſi qui vim intentat, jam junctus uxori ſit; ſed etiam inter cultiores gentes eodem fere, quo vita, cenſu venire ſolet. Et denique an non ejusmodi hoſtilis actus plenum jus praebeat, quæcunque media adverſus eum uſurpandi, qui, ut libidinem ſuam depleat, pudicitiam ſimul ac libertatem honeſtæ fœminæ adgreditur?

Ut

Ut taceam plura alia graviſſima, quibus hoc modo eadem exponitur, incommoda; uti ſunt ingrata, quæ marito inde excitari facile poſſunt, faſtidia, temeraria vulgi judicia &c.

§. XXIII.

Modo res non ſit] Putat citatus ante Auctor eodem loco, tum demum pro *rebus* violentam defenſionem licite ſuſcipi, *ſi nihil amplius, unde vivamus, nobis ſuppetat.* Verum non evertit Vir doctiſſimus Auctoris noſtri principia ac rationes, fuſius in Opere Majori, cujus hoc compendium eſt, conſpiciendas *lib. II. cap.* 5 §. 16. Ceterum præterquam quod æque parum vel minimam, quam maximam inferre injuriam licet; quod quidem in univerſa hac materia ſedulo obſervandum: an conſtiterit, auferri tantummodo rem levioris pretii? Cenſetur potius fur, quantum potuit, eripere, ſaltem libentiſſime erepturus. Quin ſi mox hanc mihi rem impune detrahere, mox alteram, ipſi liceat: funditus tandem me exſpoliatum iri, certum eſt.

§. XXV.

Imperium civile tam rigidam nobis obligationem injungere queat, ut] Locum hoc habet in legibus divinis, cum poſitivis, tum naturalibus; ſi earum violatio aliquem auctoritatis legislatoris contemtum, ſive directum, ſive indirectum, ſit involutura. *Directus* eſt *contemtus* in *blaspbemia* e. g. *perjurio*, *idololatria*, *mutatione religionis*, quæ bona, cum religione, quæ prava exiſtimatur &c. *Indirectus* autem *contemtus* eſt, cum, etſi directe Numen non lædatur, is tamen, qui ad patrandum aliquid legibus divinis contrarium nos per vim ſollicitat, aut formaliter intendit ad violandum officium nos permovere; aut, ſi alia quidem ducatur ratione, cenſetur nihilominus velle ad crimen nos adigere; ſive quia ipſa rei natura vix aliter interpretari ejus intentionem patitur: ut ſi ad inceſtum concubitum quis compellatur; ſive quia repugnantia, quam teſtamur, ac teſtari omnino debemus, efficit, ut ſuccumbere jam violentiæ nequeamus, niſi prodito majori hominum, quam Numinis metu, quantumvis legitima cogenti forſan actio videatur: ut ſi princeps ſub graviſſima comminatione te jubeat aliquem occidere, cujus perſpectam tibi exploratamque eſſe innocentiam profeſſus es.

Niſi expreſſe, aut propter] Ut in bello; cum alicui e. g. ſtatio aliqua periculoſa adſignatur, eo mandato, ut ne inde, niſi rite evocatus, recedat.

§. XXVII.

§. XXVII.

Neque ad unum.] In omnibus iis caſibus, quibus cura conſervationis noſtræ & aliorum colliditur, ſupponendæ duæ ſunt conditiones meo judicio plane neceſſariæ, ut præferri legitime propria ſalus poſſit. I. Ut alter, qui in communi verſatur periculo, ex quo eripere utrumque non datur, peculiare jus in medium a Providentia divina oblatum non habeat. Sic ad quem ſcapha pertinet, is ejici non debet, neque fortis ſubire periculum tenetur. II. Ut ille, quocum quis concurrit, non ſit ſocietati longe utilior. Sic enim in ejusmodi caſibus neceſſitatis par fuerit, ſubditum e. g. vitam propriam pro principis ſui, maxime boni principis, vita devovere.

§. XXVIII.

Sic in naufragio, ubi ego.] Hoc caſu, jus primi occupantis excludit quamvis aliorum prætenſionem, ad quos non magis, quam ad eum, qui arripuit, tabula pertinebat.

§. XXIX.

Sic ſi robuſtior mortem intentans me perſequatur,] Supponendum eſt, viam regiam eſſe. Si enim infans, aut claudus in ſuo fundo verſaretur; eo ipſo jus peculiare haberet, impediens, quo minus propriam conſervationem ſaluti alterius fugiens recte præferre poſſet.

§. XXX.

Si quis.] Hæc reſtrictio meo quidem ſenſu ita rigoroſe capi non debet, ac ſi ſemper abſolute neceſſaria foret. Pone enim, prodigum quem fuiſſe, aut in rebus ſuis negligentem: an ideo fame eum perire paſſus fueris? an commiſeratio, ac beneficentia eos tantum juvet, qui ad inopiam ſuam nihil contulerint? Sufficit ſane, indigo propoſitum eſſe, prudentius ſe gerere in poſterum: atque id eſſe ipſi conſilii, pie ſupponendum eſt.

CAPUT VI.

§. I.

Vel ex certo hominum.] *Status adventitius* eſt, in quo facto aliquo humano antecedente quis ſive in nativitate, ſive poſt nativitatem conſtituitur. Talis e. g. eſt ſtatus, in quo invicem verſantur *pater* & *filius*, *maritus* & *uxor*, *herus* & *ſervus*, *imperans* & *ſubditus* &c.

§. V.

Quod ex jure]. Vide ſupra *cap.* 2. §. 15.

§. VI.

Sed & fructus]. Nec *fructus* ſolum, qui *naturales* vocantur; verum etiam *fructus*, *civiles* dicti, qui non ex ipſa re proveniunt, ſed occaſione tantum rei capiuntur. Sic v. g. qui alterius ædes incenderit, aut negligentia ſua dederit cauſam incendio, non ſolum eas inſtaurare tenetur, ſed & reparare penſiones & reditus, qui ex illis interea poterant percipi.

Quicquid ex aliqua læſione velut naturali neceſſitate deinceps profluxit]. E. g. qui alterum vulneraverit, tenetur non tantum expenſas in curationem vulneris factas pendere, ſed & detrimentum reſarcire, quod ex neglectis interea operis aut negotiis ſuis vulneratus ſentit. Quippe hoc caſu, aliisque ſimilibus, ſequela damni ita eſt comparata, ut prævideri aut liquido, aut ſaltem probabiliter potuerit; id quod ad imponendam reſtitutionis obligationem ſufficit.

§. VII.

Quandoque omnes pari paſſu ambulant]. Vide ſupra *cap.* I. §. *ultimo.*

§. VIII.

Quantum quisque ad damnum contulerit]. Ut ſi plures citra conſpirationem fuſtibus aliquem invaſerint: quorum unus capiti vulnus inflixerit: alter brachium fregerit: tertius oculum excuſſerit &c. Quod exemplum ab ipſo Auctore in Opere Majori adlegatur.

§. IX.

Si modo negotii]. Adludit heic Auctor ad nonnullos contractus, ut *Depoſitum*, qui ipſius ac Jurecenſultorum Romanorum judicio, exactiſſimam diligentiam ac circumſpectionem non depoſcunt. Sic e. g. ſi is, apud quem ciſtella depoſita eſt, conclave vel riſcum, quo eam reconditam tenebat, ex incogitantia minus bene occluſerit; atque hac occaſione ciſtella furto ablata fuerit: a præſtanda ejus æſtimatione immunis eſt: quoniam ad tantam ſeſe curam obſtrinxiſſe non cenſetur.

Qui damnum accipit]. E. g. ſi quis jaculis ſe in loco ſolito exercens, nec conjiciens quenquam ſcopo adſtare, occlamare, antequam evibraret, aut undique attente circumſpicere ac-

neglexerit: ejus magis, qui læſus fuerit, quam alterius culpa verſatur.

§. XII.

Dominus]. Ad neutrum me judice obligatur: animal enim, quum ratione deſtitutum ſit, eo ipſo *damnum* proprie ſic dictum, ad reparationem obligans, dare non valet. De quo prolixius ediſſeram in notis ad GROTIUM *lib. II. cap.* 17. §. 21. ubi etiam diſtinctius videbuntur rationes, propter quas a penſando damno a ſervo dato, aut eodem dedendo, dominum non immunem reputem, quemadmodum ab hoc onere liber eſt ratione damni ab animali ſuo dati, ubi ad illud culpa ſua nihil contulerit.

CAPUT VII.

§. II.

Conſiſtit autem iſthæc hominum æqualitas]. Aut potius hæc *virium æqualitas* heic plane non attenditur, ubi de *æqualitate morali* agitur. Illud omne, quod æqualitatem phyſicam hominum in univerſum ſpectat, conſiderari tantum poteſt, ceu indicium aliquod, ex quo liceat colligere, nec voluiſſe Creatorem etiam ratione jurium homines naturaliter invicem inæquales conſtituere.

Quam alteri]. Et conſequenter, ſi quis ſe ad præcepta juris naturalis omnibus hominibus communis adverſus alios violanda diſpoſitum oſtendat: eo ipſo iſtos, ab eorundem erga ſe obſervatione, quantum in ſe eſt, ſolvit. Id quod in bello locum habet.

§. III.

Ex hacce porro æqualitate]. Duo ſunt conſectaria, quæ commemorare hoc compendio Auctor, immo primo ponere loco debuiſſet. 1. Omnes homines ad maturam ætatem provectos, naturaliter eſſe liberos, atque invicem independentes. 2. Non obſtante illa, quam conditionum diverſitas alias inducit, inæqualitate, eos, qui vel maxime aliis præſunt, inferiores ſuos, tanquam naturaliter ſibi æquales tractare ſemper poſſe ac debere, omnem faſtum ac inſolentiam deponendo; nihil præterquam quod ſibi debetur, imponendo; illudque ipſum, quod optimo quoque jure poſtulare poſſunt, benigne atque humaniter exigendo.

§. IV.

Quippe]. Vide Diſcurſum meum *de natura ſortis* §. 38.

Digitized by Google

CAPUT VIII.

§. I.

Quantum commode poteſt, promoveat]. Hoc officium *imperfectam* tantum *obligationem* imponit. Vide ſupra *cap.* 2. §. 14. *not.* 1.

§. III.

Ut ipſis ne invideant]. Quin potius colendi ſunt atque adjuvandi pro viribus, qui inſervire quocunque modo ſocietati graviter contendunt: potiſſimum ſi egregiis ad hoc ipſum dotibus inſtructi ſint.

Promotum eant]. Calcar hoc quoque addit aliis, quos ad imitanda ejusmodi exempla id ipſum excitare aptum eſt.

§. V.

Quibus benigne videtur fieri]. Intempeſtiva e. g. liberalitas fuerit, valido mendicabulo erogare, aut id genus hominibus, quos conjicere omnino liceat uſuros datis, ad alendam luxuriam, ad patrandum ſcelus nequitiamve &c.

Quid cuique maxime neceſſe ſit]. Quandoquidem in hiſce omnibus Auctor ipſis verbis utitur CICERONIS de *offic. lib. I. cap.* 14.-18. explicari ejus mens melius non potuerit, quam ſi exemplum, ab ipſo Oratore ac Philoſopho Romano adlatum, heic referam. *Non iidem*, inquit, *ſunt* ſemper *neceſſitudinum gradus, qui & temporum. Suntque*, pergit, *officia, quæ aliis magis, quam aliis debeantur: ut vicinum citius adjuveris in frugibus percipiendis, quam aut fratrem, aut familiarem; at ſi lis in judicio ſit; propinquum potius & amicum, quam vicinum defenderis.*

Et cum conteſtatione benevolentiæ demus]. Par quoque, ſi fieri queat, fuerit, inopum prævenire neceſſitates: iis clam ferre opem, ac tempeſtive: quicquid inſultationem oſtentationemve redolet, evitare, &c.

§. VII.

Contra rationem fecerit]. Hoc quidem teſtatur, prout plerorumque mortalium eſt indoles, neceſſum fere eſſe, ut ad conferenda in alios beneficia ſpes referendæ gratiæ eos peculiariter commoveat. At ſane mero benevolentiæ atque officii motu exerceri vera beneficentia debet: eique omni retributionis exſpectatione multum detrahitur pretii. Auctor noſter verbotenus heic exſcribendo HOBBESIUM *de cive III.* 8. non adtendit, hunc ex diverſis plane principiis ra-

ratiocinari: quemadmodum ex iis adparet, quæ ipſe §. ſequenti tradit.

§. VIII.

Id referre negligit]. Nec etiam in ſtatu naturali ſimplicem ingratitudinem armis licet vindicare.

CAPUT IX.

§. II.

Quid alteri quis]. Neceſſum fuit, iniri pacta & promiſſa non ſolum 1. ad producendas novas obligationes, aut imponendam alicui obligationem certas res faciendi aut omittendi, ad quas nulla alias ratione tenebatur, ceu natura ſua plane liberas ac indifferentes: verum etiam 2. ad perfectas reddendas obligationes, quæ antea non niſi erant imperfectæ. Sic e. g. ubi quis in ejusmodi etiam circumſtantiis verſatur, quibus ex legibus humanitatis aut caritatis vendere aliis, mutuare, aut donare de ſuo deberet; ita ut negare minus rectum ſit: hi nihilominus queri de *injuria* hactenus non poſſunt, donec ad præſtandam ſibi, quam deſiderant, opem, alter ſeſe peculiariter obſtrinxerit. Verum ſtatim atque data fides eſt, æque valida ſit obligatio, ac quas pleniſſimo jure ac per vim etiam licet exigere: 3. Inſerviunt quoque hæ conventiones tollendis, quæ incumbebant, obligationibus: ut ſi creditor expreſſe aut tacite liberare ſe debitorem teſtetur: 4. Denique vim conventiones habent interruptas, aut etiam penitus exſtinctas obligationes inſtaurandi. Quod in tractatibus pacis conſpicitur, quibus componitur bellum: item in illis transactionibus, quibus uxorem adulterii, aut alterius cujuspiam perfidiæ, juſtam divortio cauſam præbentis, accuſatam convictamque maritus dignatur recipere.

§. IX.

Ex ipſa]. Ut ſi e. g. creditor debitori acceptum in ſecuritatem crediti chirographum reddat: hoc enim ipſo is ſeſe ad nihil petendum obligat; niſi alias expreſſa declaratione, aut liquida quadam circumſtantia adpareat, ipſi animum non eſſe, debitorem liberare, ſed tantum ipſius arbitrio atque fidei modum aut tempus ſolutionis permittere, aut compenſationem inſtituere &c. Sic quoque ex ipſa negotii natura, is e. g., qui in diverſorio ad menſam accedit, ad ſolvendum uſitatum cibi pretium conſenſiſſe intelligitur: etſi nullum cum hoſpite verbum circa hoc commutaverit.

Negotii natura]. Talia ſunt ſigna quædam arbitraria, quæ

pro ratione temporum ac locorum variant. Sic e. g. ſi ruſticus a Præfecto bellico nummum accipiat, eoque propinante, in ſalutem Regis bibat, militiæ nomen dediſſe cenſetur.

Loco ſigni]. Hoc valet, cum is, cujus res agitur, præſens, aut alias ſufficienter de negotio informatus eſt, cui obſiſtere debuiſſet, ſi quidem videri noluiſſet conſentire: e. g. ſi quis ſe pro altero adſtante tertio cuipiam hujus creditori fidejubere declaret: debitor eo ipſo, quod ſileat, illum fidejuſſorem ſuum conſtituiſſe cenſetur. Locator, qui poſt elapſum conductionis tempus conductorem in re locata continuare patitur, relocaviſſe intelligitur. Aliud exemplum vide Numeror. XXX. 4. 5.

Conditiones neceſſariæ ſint ſubintelligendæ]. E. g. qui ex prædio vendito aliquam ſibi particulam recipit, eo ipſo viam, quæ eo ducit, tacite ſibi reſervat. Et vana ſane ſubtilitas fuit, quam refert NOODTIUS *obſerv. II.* 27. ac ſi tempore *Ciceronis* ac *Labeonis* vim legis obtinuerit.

§. XII.

Tanquam conditionem ſuppoſuerim]. Suppoſita conditio aliquando ex ipſa negotii natura fluit: ut ſi quis cum fœmina, virginem ſe ferente, contraxerit ſponſalia; aut pater tantum in dotem filiæ promiſerit: ex quo enim deflorata fœmina deprehenditur, nulla fiunt ſponſalia: nec validior etiam eſt dotis promiſſio, ſi nuptiæ ſecutæ non ſint: quamvis de hoc caſu nihil ante vel a ſponſo, vel a patre dictum fuerit. Verum interdum etiam conditioni cum negotii natura nullus per ſe nexus intercedit: & tunc, licet utcunque id ſignificandum ſit, quod ſupponitur; non tamen ſemper diſerte iſtud fieri, neceſſum eſt. Si e. g. alteri dixerim: *duo mibi ſunt bujus vel illius libri exemplaria: unum tibi dabo*: ſufficit hoc, ut non tenear, ſi deprehenderim poſtea, me erraviſſe, nec præter unum in bibliotheca mea exemplar offenderim libri, quem promiſeram, duo mihi ſuppetere exemplaria exiſtimans. Quandoquidem enim heic de promiſſis mere gratuitis agitur: a promiſſore nihil aliud poteſt exigi, niſi ut bona fide in errore verſatus ſit: neque etiam is ante promiſſum, ſumma in factum, quod ſuppoſuit, inquirere diligentia tenebatur; ita ut, ſi alter, cui promiſſum erat, hoc ceu indubium exſpectaverit, habeat, quod ſibi imputet.

Si ex errore]. Modo quidem error circa aliquid pacto eſſentiale verſetur; id eſt, cum præſentis negotii natura, aut alterutrius contrahentium intentione, tempore contractus ſignificata, ac pro cauſa, citra quam contractum non fuiſſet, utrinque agnita, neceſſarium nexum habeat: alias enim error, cum in contractum non influat, neque etiam hunc irritum

ritum reddit; ſive ſit præſtitum quid, ſive minus: e. g. ſi perſuaſus, me equi jacturam feciſſe, alium emerim, quem citra hoc emturus non fueram: recuperato forſan equo meo, venditorem deinde ad recipiendum alterum, quamvis nec traditus equus, nec ſolutum conventum pretium fuerit, adigere non poſſum, niſi inter contrahendum diſerte ſtipulatus ſim, nec ſolum per modum confabulationis præ me tulerim, me ideo tantum emere hunc equum, quod perditum meum ſupponerem. Vide, quæ dixi ad J. N. & G. *lib. III. cap.* 6. §. 7. *not.* 2. Unde nullo nititur fundamento diſtinctio Auctoris; *prout res adhuc integra ſit, aut minus*: quoniam conventio, ſi aliquid eſſentiale adfectum ſit, ſemper nulla efficitur: uti e contrario ſemper valida eſt, ubi error, qui ad paciſcendum aut contrahendum impulit, nihil pacto aut contractui eſſentiale adtingit.

Non tam ob errorem]. Hæc ratio ex priori, ut liquet, ſequitur: adeoque opponi invicem non debuiſſent.

Qui lædendus fuerat]. Pactum eſt nullum, ſi deceptus id, circa quod erratum eſt, præcipue ob oculos habuerit. Verum ſi illud ipſum non præcipue ob oculos habuerit: tametſi alias maluiſſet, rem talem eſſe, quam credidit: ſubſiſtit tamen conventio; ac jus tantum habet penſationem defectus, quem non præcaverat, exigendi. Vide quæ dixi ad J. N. & G. *lib. III. cap.* 6. §. 1. *not.* 4. 5. E. g. ſi quis emtis ædibus intelligat, aliquem ibidem jus *uſusfructus* habere, aut *habitationis* in aliquibus conclavibus: hoc ad diſſolvendum penitus contractum ſufficit; quia quicunque adquirere proprietatem ædium vult, regulariter omnibus harum ædium conclavibus ac commodis frui intendit. At deprehenſa aliqua, præſertim non adeo gravis, *ſervitus* ſæpe contractum validum relinquere poteſt, ac jus tantum tribuere, pretii imminutionem petendi; ubi nihil dictum ſit, ex quo adpareat, ædes ab omni ſervitute immunes ſuppoſitas fuiſſe. Quamvis enim vicinus e. g. facultatem eundi per partem prædii mei habeat: non ideo minus hujus partis & mihi uſus patet. Unde facile præſumere licet, me, etſi de hac ſervitute conſtitiſſet, non tamen ab emendis ædidus deſtitutum; ſed hoc intuitu aliquid tantum de pretio cum venditore conſtituto detracturum fuiſſe. Ceterum in omnibus illis caſibus, qui ad tertiam hanc regulam referuntur, ſupponitur, a neutro contrahentium dolum eſſe adhibitum: quod ſi enim alterutrius fraus intervenerit: ex regulis ſequentis §. de hoc fuerit judicandum. Jam autem aliquando uterque contrahens bona fide errat: aliquando alter tantum. Prior caſus contingit circa res, quarum qualitatem aut pretium neuter contrahentium rite valet dignoſcere: ut ſi quis lapillorum impe-

ritus, alteri æque imperito ſpurias gemmas pro genuinis, aut vice verſa; aut indoctus pariter indocto egregium aliquod Manuſcriptum, aut rariorem librum vendiderit. Sed fieri poteſt, ut alter tantum contrahentium decipiatur; ita tamen ut alterius dolus non intercedat. Hocque locum habet, ubi res, de qua contrahitur, indefinite tantum deſignatur: ut ſi dicatur: *quantum petis pro hoc?* atque alias etiam ipſa ad eas res pertinet, quarum valde variat pretium, pluresque diverſiſſimos recipit gradus; nam ſi ſtannea pelvis e. g. pro argentea ſumeretur: ſane inſigne illud diſcrimen conſtituti hiſce metallis pretii, fraudem in alterutro contrahentium neceſſario ſupponeret.

§. XIII.

Quod ſi quis dolo & malitioſa]. Datur *fraus poſitiva*; cum nempe immediate quis, vel mediate aliquid facit, quo ad credendum id, quod non eſt, promittens vel paciſcens inducitur: e. g. ſi quis falſum adamantem pro vero exhibeat: aut ſi verbo quidem non prolato adfectata expoſitione, aut alia quapiam callida ratione efficiatur, ut merx alius plane coloris aut qualitatis videatur, ac revera eſt. Verum eſt etiam *fraus negativa*; quando ſcilicet reticentur aut diſſimulantur eſſentialia quædam momenta: idque ſive conſilium ante fuerit decipiendi; ſive jam tantum errorem alterius in rem quis ſuam vertat: ut ſi venditor e. g. emtorem ſpurias gemmas pro genuinis capere conſpiciens, iſtum de errore non commonefaciat.

Negotium erit]. Modo quidem ratio, quæ intercedente hujus tertii dolo nos ad promittendum aut paciſcendum movet, nullum cum ipſa conventione neceſſarium nexum habeat. Quod ſi enim e. g. accepto nuncio omnes mihi equos periiſſe, alios coëmerim, addita expreſſa hac clauſula: *ſiquidem id, quod mihi eſt nunciatum, verum fuerit*: ex quo falſum nuncium deprehendo, contractus redditur irritus; ſalvo interea venditoris adverſus eum, qui me deceperat, jure.

Aut læſionis penſationem exigere]. Quod ſi deceptor ipſe ſe deceperit; puta, ſi exiſtimans, ſe pro vero lapillo minus genuinum aut pyxidem chalybejam politam pro argentea vendere; jam ex errore adamantem majoris pretii, aut pyxidem confectam ex argento puriore, ac emtor exſpectabat, tradiderit: iſte fraudulento mercatori neque ad reſtituendum recepto pretio adamantem, aut pyxidem, neque ad ſupplendum, quod juſto pretio deeſt, obligatur: quippe ille jacturam utique meretur pati, quæ ſibi præter intentionem accidit, dum alterius diſpendio injuſte cupiebat locupletari.

Taci-

Tacite cogitavit; aut]. E. g. ſi quis ambiens puellam nuptiis, eam divitem eſſe, aut nobilem exiſtimet: etſi in falſa hac opinione parentes ipſum ſiverint, aut detinuerint: non ideo minus valida fuerint ſponſalia: dum nulla exſtet clauſula, qua adpareat, in eum tantum caſum ſponſum ea contraxiſſe, quo nobilis puella, aut potens opibus fuerit. Quippe citra talem clauſulam, non magis divitiæ in ſponſa, aut nobilitas generis ad eſſentiam ſponſaliorum, quam elegantia corporis, faciunt. Idem ſentiendum de caſu, quem refert CICERO *de Offic. lib. III. cap.* 14. modo non diſerte quidem *Pythius Canio* adſeruiſſet, hortulis ſuis adeſſe quotidie piſcatores: atque conſpectis ibi forte illa die piſcatoribus *Canius* ultra haud percontatus, conſuetum id omne eſſe, inde reputaviſſet.

§. XIV.

Qui confidit illius promiſſis & pactis, cui]. Tales ſunt *piratæ*, *ſicarii*, *meretrices*, *athei &c.* Quantumvis enim male de id genus hominibus ſentiamus: eo ipſo tamen, dum ad paciſcendum cum iis ſerio ac libere accedimus, declaramus, non ſufficere eorum vitia, quominus ipſis fides a nobis queat haberi; hactenus ac cum probis cordatisque agimus; adeoque exceptioni, quæ ex ipſorum moribus peti poterat circa renuendam pacti impletionem, renunciamus.

§. XV.

Propter metum a tertio incuſſum]. Ut ſi e. g. in manus piratarum aut latronum illapſus, pecuniam mutuo acceperim ad redimendam libertatem &c. aut aliquem graſſante bello, aut minus tuta via, ut iter facienti contra prædatores mihi adſiſtat, conduxerim.

Quæ pacta ex metu aut reverentia]. Ut ſi Princeps propter prægnantes publica utilitate rationes juſſerit, ſubditos emere certas res, vel vendere, aut alium quempiam contractum inire: aut vero non adhibita, qua inſtructus eſt, auctoritate poteſtateve coactiva, ſimpliciter incurſuros in ſuam indignationem, qui hoc vel illud egerint vel omiſerint, ſignificaverit.

Aut ob Auctoritatem eorum]. E. g. ſi filius aut filia ex reverentia erga parentes, quibus alias non erat jus invitos pro imperio compellendi, inviſo ſponſo aut ſponſæ fidem dederit.

Quod ſtatim reſtitui debebat]. Hac fictione juris non opus eſt. Defectus quippe libertatis in eo, qui promiſit, ac incapacitas ejus, qui promiſſum vi extorſit qualecunque ſibi jus ex ejusmodi actu quærendi, omnino ſufficiunt ad evincendam

ejus ſummam nullitatem. Vide, quæ diſſerui ad J. N. & G. *lib. III. cap. 6.* §. 10. *not.* 5. & §. 11. *not.* 6.

§. XVII.

Quod ipſi eſt impoſſibile]. Datur *impoſſibilitas abſoluta*, ſemper talis, ac reſpectu omnium hominum; ita ut nemo cenſeatur ſerio paciſci aut promittere hoc modo impoſſibilia: ut *ebibere oceanum* e. g. *volare*, *cœlum digito tangere*. Obſervandum tamen, poſſe nonnullos facile certa quæpiam arbitrari poſſibilia, quæ habere omnino pro impoſſibilibus conveniat; at quorum impoſſibilitas non niſi rationibus, cujuslibet captui haud ita patentibus, detegitur. Hujus indolis eſt e. g. lapis ille Philoſophorum, cui tanto abhinc tempore tot homines fruſtra inhiant. Si jam quis ejus enitendi flagrans prurigine, inaniſque plenus ſpei, alicui rerum Phyſicarum ac Chemicarum imperito promiſerit, ſe transmutationem metallorum ipſum condocturum; atque hoc pacto conſumendis temere opibus cauſam dederit, aut alia quadam ratione damni quid fecerit, quin illud penſare teneatur, nullus dubito. Quæcunque enim de poſſibilitate magni operis ipſi hærere queat perſuaſio: ejus vanitatem, ſi debita uteretur circumſpectione, facili negotio intelligeret: neque immunis a culpa eſt, quod alterius, cui ad cavendam illuſionem non ſatis erat perſpicaciæ, abuſus ita ſimplicitate ſit. Ceterum impoſſibilitas in pactis & promiſſis, regulariter talis tantum eſt reſpectu certorum hominum, aut interventu caſuum quorundam peculiarium. In *promiſſis mere gratuitis* ſufficit, promiſſorem bona fide habuiſſe rem poſſibilem, nec ultro ſibi vires eam præſtandi ademiſſe. Quod ad *conventiones oneroſas* adtinet: ſi ipſo pacti initi tempore res præter exſpectationem, aut cauſam ullam illud conjiciendi, jam erat impoſſibilis; puta, ſi contigerit, locatam villam incendio periiſſe: ad nihil quis tenetur: pactumque evadit nullum.

Ubi quid præſtitum ab altero jam fuit]. E. g. Promiſi alicui equum meum loco rei alius mihi exhibitæ: perit equus: alterum ejusdem qualitatis, aut ſaltem ejus æſtimationem præſtare teneor.

Sibi ipſi vires præſtandi detraxit]. Talis eſt caſus Debitorum, qui luxuria ſua, aliisve inanibus expenſis, ſolvendo eſſe deſierunt.

§. XVIII.

Si igitur pactum circa rem turpem]. Ad tradenda circa egregiam hanc, hactenus haut ita rite tractatam materiam, principia: hæ meo judicio faciendæ diſtinctiones, ponendæque regulæ ſue-

fuerint. I. Non niſi *res in ſe*, ſive natura ſua, ſive civilium legum prohibitione *illicitæ*, pactum debitis alias inſtructum requiſitis irritum valent reddere. Si in contractu ſuper re quapiam licita ac innoxia inito, alterutra pars ratione *cauſæ* ac *ſequelæ* actionis, aut alterius externæ atque accidentalis circumſtantiæ peccet: hoc ſolum, quominus conventio valida ſit, non impedit. Sic e. g. *donatio*, aut inconſulta donandi facilitate facta, aut ſine ratione ac diſcrimine, aut in favorem indigni, eaque in vitiorum pabulum uſuri, aut in odium alicujus, qui rem donatam exſpectabat, vel ad quem ſucceſſionis titulo tranſire poterat: ejusmodi, inquam, donatio, etſi donatoris fini ac diſpoſitioni vitium ſubſit, non ideo minus valet. Caupo iis, quos ebrioſos novit, quotidie vinum miniſtrans, procul dubio male agit; æque ac illi, qui ebrietatis inde captant occaſionem: neque ideo tamen minus ille præbiti vini ſolutionem exigendi jus habet, & his eandem præſtandi incumbit obligatio. Non uno quoque modo naturalem legem violant, qui magnis ludo ſummis certant: non inde tamen ſequitur, vetari, qui citra dolum vicit, jure & depoſitum recipere pretium, &, quod adhuc debetur, petere. Quippe ſi vitium paciſcenti hærens vitium ſemper in ipſa re, de qua pactum eſt, involveret: nemini vel ſolemniſſimis promiſſis alienationibusve rationes firmiter ſuas liceret ſuperſtruere: verendum eſſet continuo, ne fidem datam promiſſor, dominus traditam rem foret revocaturus eo obtentu, quod in alterutro contrahentium ratione certarum circumſtantiarum ipſum contractum non tangentium aliquid exſtaret vitioſi. Quo quidem modo fiducia commercii inter homines, omniumque, quæ inter eos geruntur, negotiorum fundamentum plane everteretur. II. Diſtinguendum hic eſt inter *id, quod juri naturali adverſum*, & *id, quod tantum lege aliqua civili prohibente illicitum eſt.* Ratione pactorum circa *priorem illicitarum rerum ſpeciem* initorum has regulas conſtituerim. 1. *Si quis data fide de ſuſcipiendo actu in ſe turpi, obire illum poſtea recuſaverit: alter, quicum pactum eſt, jus non habet ipſum ad implendum pactum compellendi: nec queri merito poteſt, falli ſibi fidem; ſive receptum hoc nomine aliquid ſit, ſive minus:* tantum reſtitutionem ejus, quod dedit, valet exigere. 2. *Si quis ad turpe facinus patrandum conductus, illud revera exſecutus fuerit: alter ad ſolvendam promiſſam mercedem non tenetur:* quamvis, ſi vindicare iſte hanc detrectationem, tanquam injuriam, adgrediatur, alteri cauſa conquerendi tunc omnis defutura ſit. 3. *Aſt ubi occaſione aut intuitu ſceleris jam datum aliquid ſit: repeti illud ab eo, qui recepit, nequit:* modo juxta honeſtorum ac innoxiorum contractuum fere leges alienatio facta fuerit, id eſt, neque dolus aut vis recipientis, neque enormis læſio intervenerit. Non

equi-

equidem ſalva conſcientia retineri ſalarium ſceleris poteſt: verum reſtitutionis obligatio heic ita eſt comparata, ut is, qui alteri ob ſcelus ſolvit, nullum repetendi jus proprie ſic dictum inde nanciſcatur: quippe legis, reparari damnum jubentis, favore dignus neuter eſt; eique alias uterque eo ipſo, quod in illicitum pactum ultro conſenſit, pariter renunciavit. III. Quod ad *conventiones* adtinet *ideo tantum illicitas, quod circa rem aliquam civilibus legibus vetitam verſentur:* diſtinguendæ ſunt illæ, quæ *cum extraneo*, ab iis, quæ *inter concives* ineuntur. 1. Si cum *extraneo* pactum ſit circa rem in civitate prohibitam: is *aut interdictum novit*, *aut non novit.* Si *noverit:* aut expetiit pactum, aut non expetiit. *Si expetierit: neque ad præſtandam ipſam rem, neque ad penſandum, quod inde is forte ſentit, damnum alter tenetur:* hoc tantum, quod jam præſtitit, ei fuerit reſtituendum. Verum *ſi alter ipſe pactum expetierit: non quidem ad illud implendum tenetur: interea indemnem eum, quicum pactus eſt, præſtandum habuerit.* Quod ſi *extraneus interdictum non noverit;* ſive expetitum pactum fuerit, ſive minus: *eo validior adhuc incumbit obligatio id omne ipſi refundendi, quod forte intereſt, datæ fidei confiſum eſſe.* Aſt *ſi interdictum poſt initum pactum demum ſecutum ſit: nulla tunc penſandi damni exiſtit obligatio.* 2. Ratione conventionum inter *concives* initarum: quum leges hoc vel illud prohibentes latere ipſos nequeant; inde paciſci invicem, ac ſi nulla ſuper hoc lex exſtaret, atque renunciare beneficio, quod indulgere illa alterutri poſſet, cenſentur. Unde perfecta ſemel atque adimpleta conventio, validiſſima inter contrahentes eſt; ita ut, qui dedit, repetere haut quicquam poſſit; &, qui dare promiſit, præſtare omnino debeat: niſi hoc ipſo gravem in ſe pœnam arceſſiturus, aut magnum aliud incommodum, a quo, ſi illud prævidiſſet, vehementer ſibi caviſſet, in ipſum redundaturum ſit. Principia heic mea circa amplam ſubtilemque admodum doctrinam non niſi fere indico. Fulta autem omnibus ſuis argumentis illa reperientur in prolixiore nota, adjecta ſecundæ Editioni Majoris Operis Auctoris noſtri de J. N. & G. *lib. III. cap. 7. §. 6. not. 2.* Cui adjungere duo ſcripta licebit, quæ mihi evolvendæ adhuc magis materiæ, ejusque adplicationis ad illuſtre exemplum fuſius commonſtrandæ occaſionem præbuerunt. Inſerta ambo *Diurnis Eruditorum Gallicanis* ſunt: prius quidem Menſe *Auguſti* 1712. Editionis *Pariſienſis* (*Octobris*, Edit. *Amſtelodamenſis*) in forma *Epiſtolæ Reſponſoriæ* ad ea, quæ Dn. TREMBLÆUS adverſus me diſſeruerat: alterum vero Menſe *Decembris* 1713. Edit. Paris. (*Februarii* ac *Martii* 1714. Edit. Holland.) ſub titulo: Duplicata Reſponſio ad Dn. TREMBLÆUM prima ac poſtrema &c.

§. XIX,

§. XIX.

Aut paciſci circa res alienas]. Addendæ quoque res ſunt, quæ revera ad aliquem pertinent; at de quibus tamen diſponere non poteſt. Qualis caſus eſt *pupillorum* ac *minorum*. Vide, quæ tradidi in Tractatu de Ludis *lib. II. cap.* 4. §. 4. *ſeq.*

Me quid imperare non poſſe]. Inde eſt, quod cum ſuper actionibus alterius, in quem mihi eſt imperium, ſpondeo, magis proprium factum, quam alienum, quousque ſe poteſtas in alterum mea extendit, cenſeat promittere.

Et quantum vitæ civilis ratio fert]. Diſtinguendum hic eſt inter *promiſſiones mere gratuitas*, & *conventiones oneroſas*. Ratione priorum valet id, quod ait Auctor: niſi expreſſe aliquid ulterius promiſſor receperit, aut ex negotii natura intelligatur recepiſſe. Verum in conventionibus oneroſis, ſi factam ſpem eventus deſtituerit, penſandum alteri id, quod intereſt: alias enim is nihil dato vel promiſſo aequipollens conſequeretur; quod quidem conventionis naturæ ac ſcopo repugnat. Atque eo ipſo, quod adjecta clauſula aut exceptio impoſſibilitatis non eſt, facilis res declaratur haberi. Supponendum tamen, penſationem non multum excedere pretium ejus, quod datum aut promiſſum eſt. Quod ſi enim e. g. alteri decem aureos dederim, ut debitam mihi mille aureorum ſummam faciat ſolvi: ad ſummam refundere mihi decem aureos teneretur; quin utplurimum iſte retinendi hanc ſummam, aut petendi jus haberet, utpote quæ pro inſumta, quamvis incaſſum, opera loco æquipollentis eſſe poteſt.

Sed & ſuper rebus]. Sic e. g. nihil proprietarius poteſt promittere circa bona, quorum uſusfructus ad alterum pertinet, vel quia ipſe conceſſit, vel quia non niſi ſub hac conditione eadem bona in ipſum tranſierunt. Fruſtra quoque operam ſuam alteri ſervus addixerit, quamdiu eam præſenti præſtare hero obſtrictus eſt. Neque validius dominus ædium locatum jam conclave, priusquam conductoris tempus exſpiraverit, tertio promiſerit.

§. XX.

In caſuales ſeu fortuitas]. Ut ſi dicatur e. g. *Dabo tibi tantum, ſi intra octo dies non pluet:* aut *ſi hoc anno pax ſucceſſerit.*

Poteſtativas ſeu arbitrarias]. E. g. *Dabo tibi tantum, ſi intra ſex menſes non luſeris, vel non frequentaveris diverſorium:* aut *ſi hanc vel illam uxorem non duxeris &c.*

Et mixtas]. Si dicatur e. g. *Dabo tibi tantum, ſi hanc vel illam*

illam duxeris: fieri enim poteſt, ut nubere puella ei, cui promittitur, renuat, aut ante nuptias ipſe fato defungatur.

Ut ſi adjectæ ſint negotio alicui ſerio]. Id eſt, promiſſum aut pactum non obſtante conditione validum habeatur. Quod quidem jure Romano expreſſe conſtitutum eſt.

CAPUT X.

§. II.

Qui eadem lingua utuntur]. Melius dixeris, conſenſum tacitum; cui nihil quidem ſubeſt obligatorii, ſi conſideretur in ſe, ac ſepoſita peculiari obligatione aliis ſenſa animi aperiendi. Vide ad J. N. & G. *lib. IV. cap.* 1. *not.* 1. 2. 2dæ Edit.

§. IV.

Jus perfectum, aut imperfectum]. E. g. ſi deliberanti fidele conſilium dandum, erranti monſtranda via, aut aliud quodpiam, cum poſſis ac debeas, exhibendum officium ſit.

§. V.

Ut diverſum ab eo, quod in animo volvo, exprimat]. Quoties illi, quibuſcum ſermo nobis intercedit, nullum vel *perfectum*, vel *imperfectum jus* habent exigendi, ut ſibi ingenue cogitata noſtra patefaciamus: non infertur ipſis injuria, verum diſſimulando; adeoque diſſimulatio tunc præcipuum veri *mendacii* characterem haut præ ſe fert. Verum etiamſi non lædatur quodcunque jus alterius: *minus recte* tamen *faciunt*, qui nulla urgente neceſſitate, aut in rebus, ubi operæ pretium non eſt, aliter loquuntur aut agunt, ac ſentiunt. Nam 1. qui temere falſa geſtiunt loqui, omnem denique dictis ſuis fidem detrahunt. 2. Et ſummum præterea periculum eſt, ne leviſſimas ob cauſas diſſimulando ſæpius, ſimulando, fictionibusque utendo, pravam quis adſuetudinem contrahat, qua ad dicendum falſum, etiam ubi jus alteri fuerit intelligendi omnino animi ipſius ſententiam, facile deinde inducatur. Hiſce adhibitis reſtrictionibus, extra omnem teli jactum Auctoris ſteterit opinio: eamque fuſe ſatis explicui ac propugnavi prolixiori obſervatione ad J. N. & G. *lib. IV. cap.* 1. §. 7. *not.* 1. quam in 2da Majoris illius Operis Editione denuo elaboratam auctioremque exhibui.

§. X.

§. X.

Si vel partem duntaxat veri dicat, aut ambiguo]. Quemadmodum fecit e. g. Romanus ille, qui poſt *Cannenſem* pugnam ab *Annibale* cum novem aliis nobiliſſimis captivis *Romam* miſſus, ea lege, ut *in caſtra ſua redirent:* paulo poſt quam egreſſus erat ex caſtris, rediit, quaſi aliquid eſſet oblitus: hocque reditu in caſtra liberatum ſe eſſe jurejurando interpretabatur. Vide CICER. *de Offic. lib. III. cap.* 32.

Aut tacitam quandam]. E. g. ſi aliquis, qui licere ſibi arbitratur in omnibus ac per omnia ejusmodi reſtrictionibus impune uti, interrogetur: *an hunc hominem iſte occidit?* audacter reſpondebit: *non occidit:* ſubintelligendo, *ſclopeto*, aut *illa die vel hora &c.* quæ exceptiones ſequi ex ſolis vocabulis nunquam poſſunt.

CAPUT XI.

§. III.

Vindictam ſuam in iſtam potiſſimum rem exſerat]. Sic e. g. non dubitabant primævi *Chriſtiani* jurare *per ſalutem* aut *incolumitatem Cæſaris.* Vide TERTULLIAN. *Apologet. cap.* 32. Ad quem fere etiam modum *Joſephus* in Veteri Teſtamento deprehenditur jurare: *per ſalutem Pharaonis.* Geneſ. *cap.* 42. *vers.* 15. Ubi vide CLERICUM.

§. VI.

Quod ſupponitur]. Hæc ratio non videtur admodum recta; aut ſaltem minus recte expreſſa eſt. Sæpius enim quis jurat atque obligat ſe ſimul ad aliquid; ita ut ipſa promiſſionis verba juramentum involvant: ut ſi dicatur: *promitto tibi coram Deo, me in tui gratiam hoc vel illud facturum:* adeoque tunc concipi obligatio juramentum antecedens, ac citra religioſum iſtum actum valida, non poteſt. Verum hæc ſententiæ Auctoris noſtri, quam maxime conſentaneam veritati habeo, vera ac propria eſt ratio: quod etſi juretur ac contrahatur obligatio ſimul, juramentum tamen ratione obligationis ſemper ſe habeat, ut modi vel accidentia ratione ſubſtantiæ, citra quam ſubſiſtere nequeunt. Enimvero jusjurandum non niſi ut acceſſorium aliquod conſiderari poteſt, adhibitum ad confirmandum pactum, quod inire ſe quis profitetur. Deo, cum teſtis invocatur, nihil promittitur: alias enim inter votum ac juramentum nihil intercederet diſcriminis: & unde conſtiterit, Deo ejusmodi promiſſa probari atque acceptari? Inde ex quo pactum, cujus invocatus Deus teſtis

teſtis fuerat, aliquid, quod illud in ſe nullum reddat, involvit: omnem ſuam vim jusjurandum amittit: præſertim ſi ore tantum juratum ſit; quod facere eos veroſimillimum eſt, abs quibus metu mortis, aut gravis alicujus periculi, jurata promiſſio extorquetur.

Nec qui injuſto metu me ad jurandum adigit]. Latro e. g. qui ſclopeto pectori admoto, peregrinantem in via regia ad jurandum adigit, fore, ut ſibi centum aureos ſolvat, & ipſum non denunciet.

Cui accedit]. Ex hiſce principiis deduci quoque poteſt, quare ac quomodo ſuperior obnoxios ſuo imperio liberare aut ſolvere juramento ſuo queat. Supponendum ſtatim, talia eſſe, circa quæ iſte ſuperior jus habeat poſtulandi, ut ne præter voluntatem ſuam ſubditi paciſcantur aut promittant. Diſtinguendum deinde eſt, an rem juratam jam ante prohibuerit, an minus. Si jam prohibuerit: aut adjecta fuit expreſſa declaratio, conventiones ſuper his initas nullas fore; atque hoc caſu ſponte ſua jusjurandum ruit, nec ulla ſuperioris diſpenſatione opus eſt; ita ut, ſi illam largiatur, hoc ipſo tantum juramentum ſemper irritum fuiſſe ſignificet: aut vero interdicto pœna nullitatis diſerte adnexa non fuit; & tunc nihilominus facultatem juramenta circa ejusmodi rem præſtita annullandi ſuperior tacite ſibi reſervaſſe intelligitur. Utroque caſu, qui prohibitionis conſcius juraverit, grave committit peccatum. Quod ſi id, circa quod juratum eſt, nondum ullo modo fuerit prohibitum; non equidem irreverenter habitum ſacroſanctum Dei nomen: at iſtud non obſtat, quominus ſuperiori, ſi prægnantes ſuaſerint rationes, uti ſuo jure liceat. Hanc quoque exceptionem, ex ipſa negotii indole liquido fluentem, qui inierunt conventionem, aut acceptarunt, ipſi ſupponere potuerunt ac debuerunt.

§. VII.

Sed &]. Jurijurando hoc proprium non eſt: quamvis gravius omnino ſcelus ſit, cavillationes vanasque tricas ſectari in actu, quo ſanctum Numinis nomen intervenit.

§. VIII.

Non tamen ſemper late, ſed & ſtricte quandoque]. Hoc quoque locum habet in ſimplicibus promiſſis & pactis. Vide notas ad J. N. & G. *lib. IV. cap.* 2. §. 13.

Et non tam promiſſioni, quam minis]. Invalida ſunt juramenta comminatoria omnia, 1. quia nulla adeſt alterius, in quem minæ conceptæ ſunt, acceptatio: adeoque nec impoſita juranti obligatio, 2. quia ejusmodi juramenta impotenti ſemper motu

motu fiunt, ac citra plenam deliberationem. Vide, quæ dixi ad Opus Majus l. c. *not.* 2.

§. X.

Quædam enim promiſſis pactisque adduntur]. Hæc vocantur *juramenta promiſſoria*: reliqua *juramenta adſertoria*.

CAPUT XII.

§. I.

Citra peccatum tamen ab homine cibi cauſa occiduntur & conſumuntur]. Etenim 1. cum deſtituta ratione animalia ſint, citra quam jus vel obligatio proprie ſic dicta concipi nequit: inde nullum hominibus intercedit cum animalibus legis conſortium. 2. Morte animalibus nihil adimitur; pereunte cum corpore ipſa eorum anima. 3. Niſi occiderentur animalia, in primis certarum ſpecierum, generi humano eorum multitudo in perniciem cederet. Unde heic ſuffecerit vitare ſævitiam, quæ ratione pravorum effectuum, qui promanare inde in homines queunt, deterior eſt, quam ratione ipſorum animalium, quibus citra neceſſitatem dolor adfertur.

§. II.

Placuit]. Ad hoc ipſum conventione vel expreſſa, vel tacita opus non fuit. Jus quippe primi occupantis ex intentione ejus, qui rem aliquam pluribus in medio exponit, neceſſario conſequitur: modo quidem ea, quæ nullius propria hactenus ſunt, adprehendendo, quantum ceterorum poſtulant neceſſitates, relinquatur. Vide ad J. N. & G. *Lib. IV. cap.* 4. §. 4. *not.* 4. 2dæ Edit.

§. III.

Niſi quatenus]. Ut ſi alteri conceſſum fuerit jus aliquod *ſervitutis*, aut *uſusfructus*, aut *emphyteuſeos*, aut *feudi &c.*

Sed certis limitibus circumſcriptum per imperium civile]. Sic ademta eſt *prodigis* bonorum ſuorum adminiſtratio. Dantur quoque res, quas non niſi certo alienare modo leges permittunt. In univerſum imperans, qua talis, ſpeciem *Dominii*, quod dicunt, *eminentis* in bona ſubditorum ſuorum habet. Vide infra *Lib. II. cap.* 15.

Aut ex diſpoſitione]. *Donatores* e. g. aut *teſtatores* bona, de quibus in gratiam alicujus diſponunt, aliquando vetant alienare; aut illud ſub certis tantum conditionibus concedunt. Adjiciuntur etiam

iam ſæpe *contractibus emtionis venditionis* variæ clauſulæ, quæ translatum Dominii jus reſtringunt. Vide infra *cap.* 15. §. 9.

§. IV.

Inexhauſta tamen ſunt]. Hæc ratio per ſe omni validitate deſtituitur. Inde enim ſequitur e contrario, licere ex talibus rebus, quantum quis voluerit, proprium ſibi facere: quippe cum tantundem quilibet alter ſuo loco poſſit, nec ulli hac ratione quicquam decedat. Hoc quidem expeditum eſt, ut proprietatem res aliqua admittat, requiri 1. ut ejus ſit indolis, quæ poſſideri hoc vel illo modo queat; conſiſtit enim in poſſeſſione finis atque uſus proprietatis: 2. ut adprehendere eandem rem ac cuſtodire quis valeat: alias ſupervacuæ fuerint omnes, quas formare prætenſiones voluerit.

Uti eſt]. Ex eo, quod ejuſmodi res inexhauſtæ ſunt, ſequitur tantummodo, ex legibus humanitatis fas eſſe, earundem uſum, quantum ſine proprio incommodo fieri poteſt, cuilibet permittere. Alias enim nihil impedit, quominus ſuo modo & *aqua profluens*, & *aër*, & *lumen calorque Solis* poſſideantur; prout facile, ſi neceſſum foret, oſtendi illud poſſet.

§. VI.

Ei, qui primus eadem]. Eo proprie jus *occupantis* fundatur, quod prior ipſe animum hanc vel illam rem ſibi habendi oſtenderit. Si ergo intentionem ſuam alio aliquo actu æque ſignificativo declaraverit; puta, ſimplicibus vocibus, geſtu, nota certis rebus appoſita &c; aut ceteri in ejus gratiam juri, quod ſibi in aliquam rem æque, ac illi competebat, manifeſte renunciaverint: poteſt tunc originarium hujus rei dominium citra ullam corporalem adprehenſionem adquirere. Vide, quæ dicta ſunt in *notis* ad J. N. & G. *Lib. IV. cap.* 6. §. 2. 8. 9.

Non ſit interdicta]. Cenſetur cœtus populi, aut caput civitatis omnes res mobiles in territorio ſuo exiſtentes ceu totidem acceſſoria occupaſſe. Quippe animus ejuſmodi bona ſibi habendi ex ipſa rei natura fluit; ita ut niſi alias manifeſtaverit, velle ſe illa in medio relinquere, ea ad ipſum revera pertinent, quantum naturalis eorum indoles patitur. *Quantum*, inquam, *naturalis eorum indoles patitur*: *feræ* enim *beſtiæ*. e. g. in ſylvis regionis alicujus vagantes, tranſire in alienas ſylvas poſſunt, ubi eas repetendi jus non fuerit. Verum non inde ſequitur, illas ante ad dominum ſylvarum, quas deſeruerunt, non pertinuiſſe. Jus proprietatis iſtius, tametſi vacillans atque extinctioni obnoxium, non ideo minus

nus verum erat. Perinde hic ſe res habet, ac circa flumina. Aqua per agros noſtros quotidie fluens *noſtra* eſt; quamvis continuo effluat, terras alienas ingreſſura, unde non amplius revertetur.

Ut corporaliter adprehendamus]. Vid. *notam primam* ad hunc §.

Qui inventori cedit]. Etiamſi illum in fundo alieno invenerit. Nec enim acceſſorium eſt fundi; ut metalla, mineralia; & id genus alia, quæ natura ipſi connexa cenſentur, atque ideo fundi domino propria haberi queunt.

§. VII.

Sed variis auctibus ſuam ſubſtantiam]. Ut *matallifodinæ, lapidicinæ &c.* Huc quoque pertinent *arbores* ac *plantæ*, quæ exiguo ſemine formantur, atque ex terra prodeuntes ſenſim excreſcunt.

Quibusdam extrinſeca]. Id cernitur in *adluvionibus*.

Multis per formam induſtria humana ſuperinductam]. Sic ex *frumento farina*, atque ex *farina panis* conficitur. Pictor coloribus ac penicillo ex vulgari *linteolo* vel *tabula* raram pretioſiſſimamque *picturam* parat.

Circa quas iſta eſt regula]. Hæc regula ad caſus tantum ſpectat, quibus acceſſio aut ex ſola ipſius rei natura, tanquam fructus provenit, aut facto & induſtria ejus, ad quem res pertinet, procuratur. Verum ubi acceſſio aut in totum, aut ex parte alterius fuerit, aut facto alieno ac induſtria ſupervenerit: en meo judicio ſimplicia principia, ex quibus hujusmodi caſus, ſatis alioquin difficiles, levi opera liceat decidere. 1. Diſpiciendum eſt, an *bona vel mala fide* quis rem ſuam aut induſtriam cum re alterius commiſcuerit. Quod *ſi enim mala fide id contigerit: facere jacturam rei aut induſtriæ ſuæ is meruerit:* quippe alias proprietarius impediri quotidie aliorum malitia poſſet, quominus de re ſua pro lubitu valeret diſponere. Si quis ergo e. g. ſolo, quod ſuum non eſſe noverat, arbores implantaverit, aut ſemen inſeverit: dominus ſoli non tenetur pati ipſum arbores alio auferre, nec cum eo ſemen dividere; quin potius jus habet poſtulandi penſationem damni, ſibi forſan inde emergentis, quod occupatum ſolum ſuum, aliisque, quam quibus ipſe deſtinaverat, uſibus adhibitum fuerit. Facienda nihilominus hic eſt exceptio: ſi nempe res aliena cum in ſe, tum etiam in comparatione ad pretium formæ ipſi ſuperinductæ, læviſſimi ſit valoris. Pone e. g. aliquem adprehendiſſe ſcapum chartarum, aut tabulam vulgarem, aut linteolum, quæ pertinere ad alium noverat; iisque inſcripſiſſe res peculiaris momenti, aut inde egregiam picturam confeciſſe: hoc caſu haut tantum malæ fidei ſubfuerit: præſumere enim licet,

eum, qui proprio auſu chartam, tabulam aut linteolum cepit, exiſtimaſſe, proprietarium non difficulter conſenſurum; præſertim reſtituta ſibi pari ejusdem generis quantitate, aut ejus æſtimatione: adeoque vindicare ſibi iſte proprietarius ſcripturam, aut picturam, non poterit. 2. *Cujus rei adjectum aliquid alieni eſt, ac coalitum, vel innocenti ejus ipſius, ad quem pertinebat, facto, vel citra ullum ejusdem factum, ei ceteris paribus opus vel concretum inde reſultans adcreſcit.* Utplurimum enim in eo, qui erravit, aliquid eſt negligentiæ: & quamvis ad commixtionem ipſe nihil plane contulerit; ſi damnum inde experiatur, alterius tamen culpa non eſt. Sic e. g. ſi avulſam terræ particulam vicino agro aqua adpoſuerit: dominus agri vindicare ſibi illam poteſt; niſi alter, ad quem pertinebat, mox retraxerit. Nec tenetur prior huic pretium portionis terræ agro ſuo jam hærentis pendere: cum nullum inde lucrum capiat: quin contingere poteſt, ut detrimento hoc ipſi ſit, ad quod tamen penſandum antiquus particulæ terræ dominus non obligatur; quoniam ei cauſam, prout ſupponimus, non præbuit. Verum ſi e. g. alienum quis agrum bona fide conſeverit: ipſi dominus agri pretium ſeminis ac operæ ad ſerendum adhibitæ tenetur perſolvere: quoniam lucrum ex eo ipſi accedit; niſi nobiliori agrum ſuum ſemini, aut rei alteri, majorem proventum edituræ, deſtinaverit. 3. *Si unius res aut opera functionem recipiat, alterius vero minus; nec ulla utrinque mala fides intervenerit: is, cujus res iſta, aut opera eſt, recepta alia plane æquali ejusdem generis, aut ejus æſtimatione, debet adquieſcere.* Nec enim poſteriori tunc quicquam detrahitur: dum alteri aliquando plurimum poſſet decedere, immo ſemper inde decederet, quod loco rei ſuæ aut operæ nihil foret conſecuturus. Hinc vi hujus principii, *plantam* aut *conſita* domino *ſoli* ſolent cedere: *acta* aut *ſcripta* ei, qui fecit; non vero ei, cujus charta fuerat: *pictura pictori*, non domino *tabulæ* aut *linteoli*: *ſigillum* ei, qui ſculpſit, aut ſcalpendum curavit &c. Verum pari ratione, ſi proletarius aliquis pictor pretioſæ ac rariori tabulæ vel linteo, ad me pertinenti, inepti quid illeverit; aut ſi in gemma mea aliquid ſit expreſſum: reſtitui mihi tabulam meam, linteum, aut gemmam, æquum fuerit.

§. VIII.

Inter illas numerantur uſusfructus]. *Uſusfructus* eſt jus *gratis* (hoc enimin omnibus ejusmodi juribus in res alienas ſupponendum: alias ſpecies contractus locati conducti fuerit) aliena re utendi fruendi ſeu omne emolumentum, quod provenire inde poteſt, percipiendi, ſalva ipſius rei ſubſtantia.

Uſus]. Id, quod Auctor ex Jureconſultis Romanis, quorum

rum placita in univerſa hac ſervitutum diviſione ſequitur, *uſum* vocat, eſt jus ex re aliena commodum tantum quotidianum, ac ſibi ſuisve pro dignitate & conditione neceſſarium percipiendi, ſalva rei ſubſtantia.

Habitatio]. *Habitatio* eſt jus omne emolumentum ex inhabitatione ædium alienarum provenire ſolitum, ſive ædes quis ipſe inhabitet, ſive aliis ſuo loco inhabitandas locet, percipiendi.

Operæ ſervorum]. Facile intelligitur, eſſe jus omnem utilitatem ex operis ſervi alieni provenire aptam capiendi.

Reales iterum dividuntur in ſervitutes prædiorum &c]. Id omne iterum ex Romano jure eſt. *Prædiorum ruſticorum* nomine veniebant agri, exiguaque illa ædificia, quæ non niſi ad agriculturam, remque pecuariam ſpectant. *Urbana* vero *prædia* vocantur ædificia omnia, inhabitationi hominum, commerciis exercendis, ſimilique uſui deſtinata; ſive intra urbes, ſive ruri iſta locata ſint.

§. X.

Univerſitas bonorum]. Hic modus adquirendi non meris nititur civilibus legibus. Pendet iſte ex tacita voluntate defuncti probabiliſſime præſumenda. Intervenire quidem inter eos, qui ejusdem civitatis membra exiſtunt, plures legum civilium ordinationes ſolent. Interea valent *ſucceſſiones ab inteſtato* ad certum usque gradum, & inter illos, qui in naturali vivunt libertate.

§. XI.

Et leges populorum cultiorum præ naturalibus favent]. Debentur his nihilominus alimenta & educatio æque ac liberis maxime legitimis.

§. XII.

Huc quoque referendus peculiaris alias adquirendi modus]. Dicendum heic idem ipſum, quod *nota* ad §. 10 circa *ſucceſſiones ab inteſtato* obſervavi. Quippe *uſucapio* ac *præſcriptio* in ſe eſt modus adquirendi fundatus jure naturali: tantum, ejusdem tempus ac modum leges civiles definiunt.

Cujus juris introducti]. Hoc jus ex ipſo dominii fine ſequitur. Quod fuſe ac nova ratione oſtendi in commentatione ad Opus Majus J. N. & G. *lib. IV. cap.* 12. §. 8. *not.* 8.

§. XIII.

Ut nempe]. Hoc eſt juris naturalis. Vide, quæ dixi ad Opus Majus *lib. IV. cap.* 10. §. 2. & 4.

§. XIV.

Prioris generis translationes vocantur]. Vide J. N. & G. *lib. V. cap.* 4. §. 1. *not.* 1.

CAPUT XIII.

§. III.

Tantum reſtituere domino]. Hoc neceſſum non eſt. Sequitur heic Auctor falſas opiniones, quæ vulgo circa jura *poſſeſſionis bonæ fidei* circumferuntur. Id potius verum eſt, ejusmodi poſſeſſorem non niſi ad reſtituendam rem ipſam teneri, ſi non alienaverit, aut eadem non petierit. Quicquid autem tanquam bonæ fidei poſſeſſor ratione rei alienæ, quam arbitrari omnino ſuam poterat, egit atque exſecutus eſt: id tanquam verus dominus exſecutus eſt, ejusque omnia jura habuit; ita ut dominii emolumenta, ſubſiſtente hacce interregni quaſi ſpecie, jure ad ipſum pertineant. Unde ad nullius fructus aut lucri reſtitutionem obligatur. Vide, quæ monui ad J. N. & G. *lib. IV. cap.* 13. §. 3. *not.* 1. 2dæ Edit.

§. IV.

Sed & fructus adhuc exſtantes]. Ad hoc non tenetur. Vide *notam* ſuperiorem.

Ad reſtitutionem rei & fructuum conſumtorum]. Hæc deciſio pejus adhuc priore regulæ præcedentis fundata eſt. Vide *not.* ad §. 3. & in Opere Majori *lib. IV. cap.* 13. §. 9. *not.* 1. 2.

Niſi omnino ex officio aliquo tantundem]. Supervacua hæc eſt exceptio, propter rationem ſupra adlegatam.

Niſi quatenus ex ea lucrum fecit]. Eadem ratione hoc lucrum ipſi jure cedit.

Tenetur reſtituere]. Omnino poteſt; ſi via non ſit ab eo id, quod erogavit, recuperandi, abs quo rem accepit. Paucis, bonæ fidei poſſeſſor non tenetur rem pure ac ſimpliciter reſtituere; niſi quum mero eam dono habuerit, aut invenerit, nullasque alias occaſione hujus rei expenſas fecerit; aut vero lucro ex ea percepto ſartæ eædem fuerint. Vide dicta ad J. N. & G. *lib. V. cap.* 13. §. 6. *not.* 1. & §. 13. *not.* 1.

CAPUT XIV.

§. III.

Vulgaris pretii fundamentum in ſe eſt]. Hæc ratio non ſufficit. Res quippe recipere pretium aptæ, non ſolum debent ali-

alicujus eſſe *uſus*, ſin minus re vera, ſaltem ex hominum opinione, atque adfectu, quo in eas feruntur; ſed etiam ejus indolis, *ut non omnium neceſſitatibus ſufficiant*. Quo *utilior* jam, aut *rarior* res aliqua hoc ſenſu fuerit, vel minus; eo *vulgare* ejus *pretium* intenditur magis, aut remittitur. *Aqua*, tametſi res adeo utilis, pretio tamen non niſi certis locis ac circumſtantiis peculiaribus, quibus rareſcit, venit.

Quibus nullum certum pretium impoſitum intelligitur]. Proprie loquendo, nihil eſt, cui imponi pretium nequeat: ſufficit enim, contrahentes invicem tanti vel minoris rem aliquam habere, ut æſtimationem iſta recipere ſit idonea. Verum dicendum eſt, nonnullas res ita eſſe comparatas, ut ponere ipſis pretium ſupervacuum foret; uti *corpora cæleſtia*, *vaſtus oceanus &c.* alias vero addici pretio non debere vetante lege aliqua divina vel humana; ita ut, ſi fiat, *turpe pretium* ſit, quamvis in ſe æque *verum*, ac quod rebus vel maxime licitis atque innoxiis conſtituitur.

Quibus effectus aliquis moralis ex inſtituto divino eſt adſignatus]. Qualis e. g. eſt exhibitio *Sacramentorum &c.*

Et improbe juſtitiam venalem habet judex]. Sedulo in his omnibus obſervandum, pretio non venire e. g. *juſtitiam*, aut *actiones ſacras*, cum *judices* ac *miniſtri eccleſiæ* pro adhibita opera, ac inſumto functionibus muneris ſui tempore, aliquod ſalarium recipiunt. Verum juſtitiam tunc venalem habet judex, ſi corrumpi ſe donis patiatur. Ac vendit miniſter eccleſiæ actiones ſacras, ſi exercere illas non niſi in gratiam eorum, qui mactare ipſum largitionibus valent, velit. Mercatum quoque ſacrarum rerum collatores beneficiorum atque officiorum eccleſiaſticorum faciunt, quando ea non in digniſſimos, ſed ex favore, aut accepta pecunia conferunt.

§. IV.

Maxime ſolent intendere]. At nonne egregiorum artificum, adeoque etiam ſubtilium elegantiumve operum eſt raritas? Temere heic Auctor ab raritate momenta ad eam pertinentia deſtinguit. Quin adſerere in univerſum licet, omnes illas circumſtantias, quibus pretium intenditur, hanc vim tantum inde habere, quod hoc vel illo modo efficiant, ut quæ magis erant vulgaria, rariora jam evadant.

§. V.

Quippe cum illis liberum ſit]. Addenda eſt hæc exceptio: niſi agatur de rebus ad vitæ ſuſtentationem plane neceſſariis, quibus quis abundat, & quas alter indigens comparare ſibi aliunde non poteſt: tunc enim hanc adripere illius indi-

Digitized by Google

gentiæ occaſionem ad exigendum ab ipſo enorme pretium, inhumanum fuerit.

Si velint, non prohibeantur]. Niſi magiſtratus definito pretio figere obicem monopoliis, aut conſulere in univerſum mercatoribus ac commercio propoſitum habuerit.

CAPUT XV.

§. III.

Et quæ proprie ex ipſa re mandata profluxerunt]. Quin & a caſibus fortuitis, in quos probabiliter, niſi iſtud mandatum fuisſet, non incidiſſet: veluti e. g. ſi ſpoliatus in itinere, eique veſtimenta, aliave neceſſaria ademta fuerint, aut ſi naufragio ea amiſerit &c.

§. IV.

Et ſumma cum diligentia]. Quacunque ratione alterius rem quis in manibus habeat, aut negotia expedienda ſuſceperit: jure naturali, & citra leges civiles ad omnem, cujus capax eſt, diligentiam induſtriamve circa illa adhibendam tenetur: nunquam vero ad plus, niſi temere ſe ac ſine neceſſitate negotio ſibi ab iis, quorum intereſt, haut demandato immiſcuerit; aut conventionis expreſſe vel tacite initæ indoles peculiarem curæ ac ſolertiæ gradum, ſive pertingere ipſe eo queat, ſive minus, depoſcat. Intelligo autem per *diligentiam induſtriamque, cujus quis capax ſit*, illam attentionem, quam in propriis ipſe rebus, quas habet cariſſimas, adhiberet. Vide circa hæc ſingula novas notas 2dæ Editioni Operis Majoris adjectas ad *lib. V. cap.* 4. & 5.

Commodatarium æſtimationem rei præſtare]. Subeſt hic utplurimum conventio tacita, vi cujus ad reſtituendam rem ipſam, aut præſtandam ejus æſtimationem, commodatarius ſeſe obligat. Vide, quæ dixi ad J. N. & G. *lib. V. cap.* 4. §. 6. *not.* 2. 9. 10. 11. 2dæ Edit.

§. V.

Niſi ea reſtitutio domino]. Veluti e. g. ſi qui gladium apud nos depoſuit, jam inſaniens repetat: aut deprehenderimus, rem depoſitam quæſitam furto eſſe: aut qui pecuniam depoſuit, illam ſit adhibiturus ad bellum patriæ inferendum &c.

§. VI.

Seu ut uterque contrahentium]. Nempe ſecundum ſuam æſtima-

mationem; at non ultra, quam alter contrahentium cauſam habet conjiciendi, illam ſe extendere.

Sed & earundem privationes & vitia]. Aut dicendum potius, emtorem tantum non daturum fuiſſe, ſi de iſtis privationibus ac vitiis ipſi conſtitiſſet.

Etſi illas circumſtantias]. Ut ſi nuncium quis acceperit, advectam eſſe, aut advectum iri magnam mercium aut aliarum rerum copiam, diminutionem pretii earundem mox inducturam &c.

§. VII.

Aut in pretio eſt erratum]. Hoc valet præcipue in rebus, quarum pretium lege eſt definitum. Quin & in iis, quæ pretium commune, aliquantum variabile, habent, nemo regulariter ultra ſummum iſtius pretii gradum dare velle cenſetur. Verum ubi variationis latiſſime patuerint ſpatia; eodem modo ſe res habent, ac circa illa omnia, quorum determinatum non eſt petium: ita ſcilicet, ut ſi neque dolus, neque error circa eſſentiales rei qualitates intervenerit, juſtum ſemper illud ſit pretium, quod ultronea conventione eſt conſtitutum.

§. IX.

Sed probabilis tantum ſpes emitur]. Ut ſi ematur a piſcatore jactus retis, aut a Venatore captura hodie ſucceſſura &c.

§. X.

Uti dominus eam præſtare debet]. Adde, quod locator rem locatam conductori relinquere debeat, donec locationis exſpiraverit terminus; niſi ejusmodi ſupervenerint caſus, quos, ſi prævidiſſet, probabiliter fuiſſet excepturus: ut ſi penſionem conductor per longum temporis ſpatium non ſolverit: ſi ædes corruperit, aut ita egerit, ut incendii immineat periculum: aut ſi turpe ibi exercuerit commercium, vel paſſus fuerit exerceri. Hiſce enim caſibus omnibus locatori jus eſt, conductorem pure ac ſimpliciter expellendi. Aſt ſi dominus ædium vendere eas, aut neceſſarias ibidem inſtituere reparationes velit; aut ad propriam inhabitationem ipſe iis egeat: locatio, ſi ex ſolo naturali jure id metiaris, ea tantum lege diſſolvitur, ut locator indemnem præſtet conductorem, quod e. g. habitationem ita commodam, aut tam modica mercede alibi reperire non licuerit; quippe non niſi hac reſtrictione cenſeri conductor poteſt in id tacite conſenſiſſe, ut re locata ante conventum tempus ſit diſceſſurus. Tenetur quoque locator ſarcire damna, quæ ex vitiis rei, de quibus ipſi conſtitit, aut conſtare debuit, conductor ſentit:

tit: veluti ſi locata vitioſa dolia fuerint, ex quibus effuſum vinum jam perierit &c.

Niſi caſus, qui proventum interceperint, rariores fuerint]. Veluti gelu inſolitum, aut ſingularis aiiditas, fluminis exundatio, aliive ejusmodi infrequentes caſus, quibus proventus omnis vel maxima ex parte intercipitur.

§. XI.

Recepiſſe dicatur]. Talis eſt *pecunia*, *aurum rude*, ac reliqua metalla haut fabricata: *frumentum*, *vinum*, *ſal*, *oleum*, *lana*, *panis &c.* Sub cenſum etiam *rerum fungibilium* veniunt illa omnia, quæ venalia habentur; etiamſi uſu non conſumantur. Si enim is, qui mihi librum e. g. credidit, bibliopola ſit: ſufficit, ſi aliud ipſi exemplar ejusdem qualitatis reſtituam: niſi reſtituturum me idem ſpecie exemplar expreſſe receperim.

Quo reſpectu etiam]. Sic dicitur: *tibi mutuo do mille aureos*, aut *centum ferri pondo*, aut *viginti modios frumenti*, aut *decem vini amphoras*, aut *centum menſuras olei &c.*

§. XII.

In ipſa quoque re partem habere intelligitur]. Hoc caſu condominium ſocius nanciſcitur. Pone e. g. me textori dare centum, pro quibus rudem lanam emit. Ex ea iſte pannos conficit, ejusque opera itidem valet centum, ubi venditi panni fuerint, pecunia inde redacta, æqualiter eſt dividenda.

§. XIII.

Quando eventus alicujus, nondum]. Valet tamen ſponſio, etſi alterutri contendentium de eventu certo conſtiterit: niſi is dolo ſcientiam ſuam reticuerit, aut diſſimulaverit. Vide, quæ dixi in *Tractatu de Ludis lib. II. cap.* 2. §. 16.

Huc pertinent omnia ludorum genera, in quibus]. Ad æquitatem ludorum, ceterorumque contractuum aleam continentium, non id tantum requiritur, ut quæ utrinque periculo exponuntur, ſint æqualia; ſed ut etiam periculum amittendi & ſpes lucrandi utrinque proportionem habeat ad rem, circa quam certatur. Vide mox citatum *Tractatum de Ludis*, *Amſtelodami* typis expreſſum an. 1709. in quo de ludis ex profeſſo agitur.

Seu contractus periculi avertendi & præſtandi]. Majorem vel minorem exigere adſecurator mercedem poteſt, prout gravioribus vel levioribus periculis res ſubjicitur. Verum nullus eſt contractus, ſiquidem adſecurans rem, cui cavetur, ſal-

ſalvam jam perveniſſe, quo debebat, aut mercator eandem jam periiſſe noverit.

§. XIV.

Non tamen repugnat, iſtum, quam hunc]. Fidejuſſor e. g. pure ac ſimpliciter id poteſt promittere, ad quod non niſi conditionate ſe principalis debitor obligaverat. Poteſt idem ſolutionem breviori tempore, aut loco minus commodo præſtandam in ſe recipere &c.

§. XV.

Circa poſteriores autem lex commiſſoria]. Quin cenſeri debet hæc clauſula commiſſoria, tanquam tacite adpoſita, locum habere, quoties per longius temporis ſpatium debitor pignus non reluit. Nemo enim citra iſthanc clauſulam credere ſuum in diuturnum tempus oblato pignore voluerit: atque alias cumulatis ſenſim uſuris pignus ſterile haud amplius ſuffecerit ad præſtandum indemnem creditorem, cujus jura denique in nihilum ceſſerint.

CAPUT XVI.

§. I.

Hæc diſſolvitur]. Sic e. g. ſi credita ſit pecunia: modo tantundem, ac creditum eſt, probis nummis recipiatur; undecunque procedat ſolutio, nihil intereſt. Verum ſi opus aliquod peritus artifex promiſerit: per quemcunque alium præſtare illud nequit: nec enim pluribus operariis eadem, quæ ipſi, dexteritas longe fuerit; unde alteri, cui operam iſte ſuam addixit, inde decederet, quod ignobile opus pro egregio, quod exſpectabat, conſequeretur.

§. IV.

Niſi leges]. Exempli loco ſunt *contractus matrimoniales.*

Accedat oportet vel hujus condonatio]. Ut ſi emtor merce nondum ſibi exhibita pretium ſolverit: aut vice verſa venditor pretio nondum recepto mercem tradiderit. Priori enim caſu venditor pretium; altero mercem emtor tenetur reſtituere.

§. VI.

Vel is]. Civis e. g. ad præſtandum priori magiſtratui obſequium non amplius tenetur, ex quo in alienam civitatem ipſe

ipſe tranſierit; aut, qui magiſtratum gerebant, jam munere ſuo abierint.

§. VII.

Ut intra illud tempus facultas exigendi obligationem extiterit]. Intelligenda eſt hæc reſtrictio de ejusmodi conventionibus, quibus neceſſario requiritur, ut quis per totum conventionis tempus ipſe eo fruatur, de quo cum altero convenit. Si enim conductis e. g. in annum ædibus, in alio loco jam morbo decubuerim, ita ut per totum illud tempus inhabitare iſtas ædes non licuerit: uti non ideo abrupta eſt locatio: ita nec illo obtentu poſtulari ejusdem prorogatio poteſt.

CAPUT XVII.

§. I.

In id quilibet obligari in foro humano cenſetur]. Etſi in animo quis habuerit, in quid ulterius ſeſe obligare, quam quod verba ſecundum rectam ſuam interpretationem præ ſe ferunt: non ideo tamen vel in foro divino præſtandi hoc ipſum, quod excedit, ulla exiſtit obligatio: quippe cum circa iſtud acceptatio defuerit alterius partis; quæ internam augurari mentis deſtinationem haud potuit. Unde non perſpicio, in quem finem hanc reſtrictionis ſpeciem Auctor heic adjecerit.

§. III.

Vocabula artium explicanda ſunt ſecundum]. Niſi is, qui loquitur, cum artis, tum vocabulorum ſit imperitus. Tunc enim ex ſermonis ſerie aliisve circumſtantiis, quem forte ſenſum iſte habuerit in animo, judicandum fuerit.

Quod ſi &c.]. Alienum a propoſito eſt hoc monitum. Nec enim heic quæritur de modo, quo loqui conveniat, ut propriam quis voluntatem liquido ſignificet: ſed tantum de regulis, quibus de alterius mente, ubi ea obſcurius expreſſa fuerit, conſtare queat; prout illud ad Opus Majus eſt adnotatum.

§. V.

Secundum ſubſtratam materiam]. Sic ſi initæ inter duos Præfectos bellicos induciæ *quindecim dierum* fuerint, teſtatur abunde ipſa induciarum materia, intellectum eſſe per vocem *diei* ſpatium 24. horarum æqualium, noctis durationem, æque ac moram ſolis ſupra Horizontem complectens. Unde frivola fuerit cavillatio, ſi non obſtante conventione alter

alter hoſtium occupare alterum noctu, hoſtileſque tunc adverſus ipſum actus exercere ſuſtinuerit.

§. VI.

Vel nullum]. Talis fuit illius diſcipuli cavillatio, qui promiſſa in mercedem magiſtro ſuo Rhetorices certa pecuniæ ſumma tunc demum ſolvenda, *ubi primam, quam acturus in foro eſſet, cauſam obtinuiſſet:* paſſus deinde eſt, ſe a magiſtro, cui ſatisfacere renuebat, in foro conveniri; reputans, ſe hac ratione a ſolvendo fore liberum eo obtentu, quod condemnatus ad id ipſum a judicibus, jam *primam ſuam cauſam amiſiſſet.* Quippe tali verborum interpretatione conventio nullum plane effectum erat ſortitura.

Vel abſurdum]. Huc pertinet caſus miſelli illius barbitonſoris, qui *Bononiæ*, quod alicui in platea venam ſecuiſſet, delatus fuit, quia ibi ſtatutum erat, ut quicunque in platea alteri *ſanguinem elicuiſſet*, graviſſimas pœnas daret. Vide EVERHARDI *Locos Legales*, *Loc. ab abſurdo pag.* 144. Manifeſte enim abſurdum fuerat, ſub verbis *elicere ſanguinem*, ſalutarem chirurgi operationem comprehendere.

§. IX.

Aliam mixtam]. Incerta pariter ac inutilis eſt hæc diſtinctio. Promiſſa & pacta, ut & privilegia, cum circa res licitas ac innoxias, prout hoc loco ſupponendum, verſentur, natura ſua indifferentia ſunt, adeoque nec extendi, nec reſtringi, niſi quantum eorum auctoris intentio poſtulat, debent. Porro in caſibus adlegari ſolitis, uſitata interpretatio aut fieri poteſt non habito ejus, quod odioſum vel favorabile in iis deprehenditur, reſpectu: ut ſi dictum fuerit, hoc vel illud jus *alicui pro ſe & ſuis deſcendentibus* conceſſum eſſe: ſuffecerit vulgaris vocabuli *deſcendentium* uſus, ut privilegium non ad eos, qui primi ſunt gradus, reſtringatur; aut vero aliquid etiam Auctoris noſtri principiis minus conſentaneum involvit; dicit enim e. g. favorabile eſſe, quod communem utilitatem ſpectat: jam quis non norit, pœnarum inflictionem, quam inter odioſa recenſet, publicæ utilitati convenire? Denique præterquam quod iſta diſtinctio rationum conflictum impedientem quominus decidi quicquam poſſit, aliquando inducit: ſæpe numero etiam interpretationem ſenſui loquentis manifeſte adverſam ſuggerere apta fuerit. Pone e. g. magiſtratum ſub gravi comminatione exportari ex regione frumentum vetuiſſe: & vero aliquem exportare farinam: hoc caſu, ex principiis Auctoris, is qui in exteras regiones farinam exportaverit, non poterit puniri: gra-

gravata enim ejus eſt libertas, ac prohibitio pœnam in ſe continet: quæ ambo quidem ſunt odioſa. Ceterum vide, quæ adnotavi ad J. N. & G. *lib. V. cap.* 2. §. 12.

§. X.

Et ut &c.]. Nec enim neceſſum exiſtimat legiſlator, omnes ſemper ac ſingulos caſus enunciare. Quippe tales dantur, quibus res ita eſt liquida, ut eo ipſo in mentem non veniat, omne id, quod legis vel pacti ambitu comprehenditur, exprimere. Veluti e. g. ubi lex pœnam ei, qui *patrem occiderit*, infligendam decernit: manifeſtiſſimum eſt voluiſſe legiſlatorem iſtud pariter de eo, qui *matrem* interemerit, intelligi; & quod *matris*, cui eandem filius, quam patri, reverentiam debet, peculiariter mentionem non injecerit, inde eſſe, quod exprimere rem, cuilibet per ſe patentem, ſuperfluum duxerit.

§. XI.

Cum voluntate repugnantia]. Deprehenſum eſt in hac diviſione ex GROTIO depromta aliquid vitii: circa quod vide dicta ad Opus Majus de J. N. & G. *lib. V cap.* 12. §. 9. *not.* 2. 2dæ Edit. At diſculpare utrumque Auctorem utique licuerit, explicata prioris mente melius, ac factum eſt: prout illud in notis ad *Jus Belli & Pacis* oſtendam.

Ex defectu rationis]. Addendæ hic ſunt nonnullæ exceptiones. 1. Ubi plures fuerint rationes, quæ ad determinandum legiſlatorem vel contrahentes parem efficaciam habuerint: una quidem ceſſante verba legis aut conventionis par eſt reſtringere. Aſt ſi principalis ratio adſit, quamdiu hæc ſubſtiterit, etſi una aut plures rationes ſubordinatæ forſan ceſſaverint: non propter hanc ſolam cauſam reſtrictio locum habuerit: quemadmodum e contrario, deficiente iſta principali ratione, reliquæ omnes vim ſuam amittunt. 2. Non ſufficit, ad ſuadendam hoc vel illo caſu reſtrictionem, malum lege cautum actu non contigiſſe: modo certum ſit, accidere potuiſſe illud malum: totam ſuam vim lex retinet. 3. Etſi ratio legis in certis caſibus minus frequentibus ceſſaverit: non ideo tamen reſtringere generalem locutionem licet: ubi conjicere datur, legiſlatorem ad ejusmodi exceptiones, ſive quod rarius obveniant, ſive quod difficili admodum diſcuſſioni occaſionem ſint præbituræ, adtendere plane noluiſſe. Sic teſtamentum factum ab impubere, non deſierit eſſe nullum: etſi contingerit, iſtum ſufficienti præditum eſſe judicio ad teſtandum matura cum deliberatione ac prudentia; & lex propter talis judicii defectum teſtamenta talium impuberum irrita declaraverit.

§. XIII.

§. XIII.

Id, quod permittitur tantum, cedit ei]. Non valet hæc regula, niſi ubi permiſſio generalis, juſſio vero ſpecialis fuerit. Conſtat enim e contrario, id, quod generaliter jubetur, cedere ei, quod ſpecialiter permittitur. Quippe poſteriori hoc caſu permiſſio juſſui exceptionem dat; veluti priori juſſus permiſſum limitat.

Adfirmativum præceptum cedit]. Diſtinguendum & heic, an præceptum adfirmativum aut negativum, generale ſit, an ſpeciale: prout obſervatum eſt ad J. N. & G. *lib. V. cap.* 12. §. 23. Vide *notam* ſuperiorem.

Iſtius impletio]. Sic e. g. erogari eleemoſyna non debet, ubi fieri iſtud, niſi ablata re aliena, nequeat. Poſito, gloriam Dei, vexatis religionis cauſa hominibus, promoveri utcunque poſſe: neque hoc medio, utpote cum legis naturalis, tum etiam Evangelii prohibitioni aperte contrario, uti licuerit. Vide ſupra *cap.* 1. §. 22.

Peculiaris præfertur generali]. Inde eſt, quod peculiaris reſtrictionem generali aut exceptionem formet: ut ſi duæ ſint leges, quarum una filiosfamilias nondum emancipatos facere vetet teſtamentum: altera vero illud filiisfamilias militiæ vel eccleſiæ operam dantibus indulgeat. Ex iſto principio peculiaria provinciæ aut urbis alicujus ſtatuta generalibus regni legibus derogant.

Hanc iſti cedere par fuerit]. Sic præſtat inſervire publico, quam privato: ſatius eſt egregias ſcientias excolere, quam arti alicui illiberali dare operam.

Injuratum pactum cedit jurato]. Vera hæc regula non eſt, niſi cetera omnia ſuppoſueris paria. Si enim de duobus pactis directe invicem oppoſitis agatur: poſterius tempore priori, ſive juratum ſit, ſive minus, prævalere debet. Quod ſi autem ambo pacta tantum diverſa fuerint, peculiare majorem, quam generale, vim obtinet.

Obligationi perfectæ cedit imperfecta]. Sic exſolvenda prius debita, quam erogentur eleemoſynæ. Poſteriores hæ duæ regulæ quinta continentur, cujus, prout cuilibet patet, non niſi conſectaria ſunt.

Digitized by Google

AD LIBRUM II.

CAPUT I.

§. IX.

Quam quod ſecuritati parum ibi ſit conſultum]. Heic Auctor commoda ſtatus civilis præ ſtatu naturali præter modum exaggerat. Vide, quæ dixi in notis ad J. N. & G. *lib. II. cap.* 2. §. 2.

CAPUT II.

§. II.

Omnem uſum membrorum genitalium]. Conſtat quidem, ut ad propagationem humani generis conjunctio utriusque ſexus neceſſario requiritur; ita hanc quoque conjunctionem eo tendere, ac regulariter etiam eo dirigi debere. Nec minus conſtat, propter effectum naturalem, qui pro Creatoris deſtinatione ex copulatione maris ac fœminæ reſultat, omnem commixtionem cum diverſa ſpecie, aut eodem ſexu ſuſceptam, turpiſſimam eſſe, ac naturali juri adverſari; æque ac illorum inſtitutum, qui de induſtria ipſi ſe ad generationem ineptos reddunt. Verum non inde ſequitur, quod cupido naturalem illum adpetitum, amoris ſtimulos concitantem, deplendi, ita cum ſpeciei propagatione debeat confundi, ut, quoties poſterior hicce finis ceſſat, prior omnino ſit illicitus. Ut enim matrimonium ſenum, quod per ſe turpe eſſe ac illegitimum haut quaquam demonſtraveris, taceam: deprehenduntur utroque ſexu, qui ipſo ætatis flore, ſive caſu aliquo, ſive naturali vitio, progenerandæ ſoboli ſunt inhabiles; & tamen eadem, qua aptiſſimi ad multiplicationem, premuntur libidine: fingas jam, conſtare de hac inhabilitate, quemadmodum aliquando nullum ejus reliquum eſſe dubium poteſt: an ergo damnandi tales intolerabilis coelibatus fuerint? Fuerint autem omnino, niſi pro principio poſueris, exſtinctionem illius deſiderii, æque naturalis, ac cibi & potus, innocenter in ſe, ac tanquam primarium finem poſſe adpeti: modo quidem ne hoc ipſo detrimentum adferatur ſocietati, ac in primis generis humani propagatio, commodaque ac decora educatio liberorum impediatur. Suffecerint iſthæc circa ſubtilem adeo materiam. Nec vero difficile jam fuerit, conſequentias ex principio brevibus conſtituto fluentes elicere.

§. IV.

§. IV.

Quod ubi &c.]. Supponit heic Auctor, dari *matrimonium* aliquod *irregulare*, at nihilominus in naturali libertate innoxium ac legitimum: cum nempe mari ac fœminæ de concedenda invicem ſibi ad certum tempus, uſura corporis, citra perpetuæ cohabitationis pactum, convenit; ita ut elapſo præfinito tempore ſolvatur ſocietas, ac nati ex iſta conjunctione deinde vel penes virum, vel penes fœminam, prout tulerit conventio, maneant. Adpellare hoc *matrimonium Amazonicum* licuerit, adluſive ad narrationem veram, vel falſam de fortibus illis, gentem ex uno duntaxat ſexu olim conſtituentibus fœminis, quarum quidem Regina, *Thaleſtris* dicta, *Alexandro Magno* temporarium ejusmodi conſortium ipſa oblatum venit.

§. VI.

Matrimonium debere eſſe perpetuum]. Hoc indoles ac finis matrimonii ſemota omnis poſitivæ legis conſtitutione, aut pacto inter conjuges peculiariter inito tantum requirit, ut longum tempus hæc ſocietas perduret. Vide, quæ dicta ſunt ad J. N. & G. *lib. VI. cap.* 1. §. 20. *not.* 3.

§. VII.

Si ætas &c.]. Vetantur ergo pueri ac puellæ ante annos pubertatis, Eunuchi, illi, vel illæ, quibus vitioſa quædam eſt organorum conformatio &c. Secus ſentiendum de ſterilibus, aut iis, qui provectioris ætatis ſunt, quam ut ſperare ſobolem liceat. Vide *notam* ad §. 2. hujus capitis.

§. VIII.

Quo nomine etiam]. Vide dicta ad Opus Majus de J. N. & G. *lib. VI. cap.* 1. §. 32. *not.* 2.

§. IX.

Aut ſaltem ejusmodi conjunctio]. Liberi e. g. ex tali conjunctione progeniti eadem, quæ reliqui, in bonis paternis jura non obtinent &c.

CAPUT III.

§. II.

Tacito quoque conſenſu prolis nititur]. Hæc hypotheſis fun-

damento pariter atque uſu deſtituitur. Vide, quæ monui ad J. N. & G. *lib. VI. cap.* 2. §. 4.

§. VII.

Liberi in eorum familia adhuc hærentes]. Aderat circa hoc vel expreſſus, vel tacitus liberorum conſenſus. Vide J. N. & G. *lib. VI. cap.* 2. §. 10. cum *notis*.

§. X.

Ex ipſius familia excedet]. Niſi quidem pater ex peculiari moroſitate animique adſperitate proli propter graves rationes, puta, ad ineundum decorum ac utile matrimonium, vel aliam juſtam ob cauſam, excedere familia contendenti, conſenſum negaverit.

CAPUT IV.

§. III.

Perpetuas operas]. Modo nihil turpe aut injuſtum contineant; id, quod circa obſequium ſuperioribus præſtandum ab inferioribus, nunquam non ſubintelligitur.

Ubi familia ſegrex fuerit]. Et *debet:* ne dominus fautor ac defenſor ſceleris exiſtimetur. Quod ſi læſus, cui utcunque hac ratione lædens deditur, vindicare nequeat injuriam, aut nolit: poteſt ipſe dominus, ſi viſum fuerit, eam punire, tum qua caput familiæ, tum etiam vi juris cuilibet in naturali libertate competentis; quamvis hoc jus commune Auctor temere inficietur.

§. V.

Receptum &c.]. Hoc jus alienandi non neceſſario ex natura ſervitutis, etiam in quam bellica vi quis abſtractus eſt, ſequitur. Verum in regionibus, ubi illud moris invaluerat, cenſebantur ſervi cum domino, in cujus poteſtatem deſcendebant, hunc in modum paciſci: modo tamen, ubi alienare placuiſſet, iſte rationem æquitatis ac humanitatis, quam ſuadet Auctor, utpote conventione tacite ſtipulatam, haberet.

§. VI.

Non multum fere excedant]. Adde, quod parentes, prout capite ſuperiori conſpectum eſt, prolem, ſi nulla alia ratio alendi ſuppetat, vendere poſſint; unde pari ratione ſequitur,

Digitized by Google

tur, ubi ipſi ſervi fuerint, adeoque etiam nihil habeant proprii, poſſe eos natam prolem eidem conditioni ſubjicere. Accedit porro ipſius quoque prolis tacitus conſenſus. Nam ſi recuperare jura naturalis libertatis erat animus: ſignificare illud, quamprimum adolevit, ejusque ſectari media oportebat. Quod cum neglexerit, conſenſiſſe ipſa in ſervitutis durationem intelligitur. Atque eo validius præſumere ejusmodi conſenſum licet, quod poſtulare vernæ libertatem jure nequeant, niſi reſtitutis matris domino expenſis in ſui alimentationem factis: quæ reſtitutio, uti liquidiſſimo naturalis juris præcepto præſcripta, ita vero comparata eſt, ut, obſervante poſt *Grotium* Auctore noſtro, præſtare eam ipſi vix unquam, aut ſaltem non niſi per longiſſimum tempus valeant. De cetero, quamvis natura homines ſint liberi, hoc tamen non obſtat, quominus etiam naſcentes redigi in ſervitutem facto aliquo humano, cui adtributa hæc vis eſt, queant. Atque naturaliter homines ab omni civili imperio immunes exiſtunt: nec minus tamen liberi ex ſubditis alicujus civitatis progeniti, ſubditi & ipſi iſtius civitatis naſcuntur.

CAPUT V.

§. VII.

Genuina igitur & principalis cauſa]. Hoc aliquanto generalius eſt, ac minus determinatum. Vide, quæ prolixius adnotavi ad J. N. & G. *lib. VII. cap.* 1. §. 7. Conſuli quoque poterunt, quæ de origine civitatum tradit Dn. NOODTIUS *duobus diſcurſibus:* altero *de Jure Summi Imperii & Lege Regia:* altero de *Religione ab Imperio Jure Gentium libera*; qui Gallice verſi altera vice prodierunt an. 1714. *Amſtelodami.*

CAPUT VI.

§. VII.

Ut civitas regulari modo coaleſcat]. Vide dicta ad J. N. & G. *lib. VII. cap.* 2. §. 8. *not.* 2.

§. XI.

Sanam rationem conſtare]. Modo etiam hoc caput leges civitatis fundamentales non violet, nec alias poteſtate ſua, modo fini, in quem conſtitutum eſt, pactisque cujusque ſummi imperantis, ut talis, adverſo abutatur.

§. XII.

Regulariter]. Equidem non ſemper majoris partis ſaniora ſunt judicia: aſt alia in concilio non datur via negotia expediendi; cum ſinguli æquali jure ſuffragium, prout ſibi videtur, ferendi polleant, & vix ſit quisquam, cui aliena magis, quam ſua placeat prudentia. Inde modo certo membrorum concilii numero conſpiratio non intercedat, neque alias ipſa circa præſens negotium ſuſpecta adpareant: publica ſane poſtulat utilitas, id ratum haberi, quod pluribus ſuffragiis conſtitutum fuerit. Præſtat ſubeſſe periculum, ut imprudentior aliquando prævaleat ſententia, quam relinqui in ſuſpenſo negotia, aut perpetuas circa decidendi modum lites agitari.

Illa prævalebit]. E. g. ſi uni ſententiæ 20. ſuffragia faveant: alteri 30. tertiæ vero 40. poſtrema prævaluerit.

Caput VII.

§. II.

Quid pro illicito]. Scilicet in rebus lege aliqua divina, ſive naturali, ſive revelata non præceptis vel prohibitis. Vide J. N. & G. *lib. VIII. cap.* 1. §. 2. *ſeqq.*

§. VII.

Puta ſi vel cives]. Referri huc poteſt jus *venandi* aut *piſcandi:* jus *cudendæ monetæ:* jus omnia illa, quæ in medio relicta ſunt, ſibi vindicandi &c.

§. VIII.

Summi imperii eſt conſtituere]. At in hujus juris exercitio occurrere poſſunt, imo ſæpe revera occurrunt errores atque abuſus graviſſimi: ſive quod nocere id credatur reipublicæ, quod nullum ipſi adfert detrimentum, aut potius inſigne aliquando commodum conciliare idoneum foret: ſive quod hoc prætextu principes proprio ipſi motu, aut ſceleſtorum quorundam hominum ſuggeſtionibus, circa vel maxime indifferentes innoxiasve, interdum etiam veriſſimas opiniones, præſertim in cauſis religionis, acres agere inquiſitores adgrediantur. Vide, quæ dicta ſunt ad J. N. & G. *lib. VII. cap.* 4. §. 2. *not.* 2. nec non Noodtii diſcurſum de *Religione ab Imperio Jure Gentium libera*; qui Gallice verſus altera vice prodiit an. 1714.

§. IX.

§. IX.

Regularis forma civitati conſtare debeat]. Siquidem prudentes ſemper ac probi ſummi imperantes exiſterent: penes ipſos has omnes imperii partes citra ullam imminutionem aut modificationem connexas ſtare, utique e re foret reipublicæ. Verum enim vero quum teſte experientia abuti ampla poteſtate facile admodum ſit: inde quæ ex diviſis aliquibus ſummi imperii juribus oriuntur incommoda, iis, quæ ab illa, quam innuit Auctor regularitate, in idea tantum ſe adprobante, imminent, ſemper longe minora fuerint. Nempe egregia illa eſt regularitas, quæ principibus ſuſcipiendorum e. g. tot non neceſſariorum, aut etiam injuſtorum bellorum vires ſubminiſtrat: quorum haut experturi ærumnas ſubditi eſſent, ſi poteſtas indicendi tributa ac conducendi militem concilio populi, aut ejusdem deputatis, vel in ſolidum, vel ex parte conſtaret.

CAPUT VIII.

§. X.

Ubi leges aut inſtituta civitatis non ſunt adtemperata]. E. g. ſi leges eo tendant, ut populus neutiquam bellicoſus, ſed pacis artibus idoneus in arma convertatur.

Aut regionis] Sic inconſultum omnino fuerit commercio ac opificiis non favere in regione ad ejusmodi inſtitutum opportune ſita, taliumque rerum ferace, ex quibus merces amplum lucrum adferre aptas fabricare liceat.

Diſponunt ad turbas]. Ubi e. g. impune inſignia vitia abeunt, aut leviter tantum enormia delicta puniuntur; veluti in *Polonia*, ubi, qui homicidium commiſit, penſa 30. aſſium multa abſolvitur.

Aut ad juſta]. Si extraneis juſtitia denegetur, aut foveatur piratica &c.

Ut per eas negotia publica non poſſint]. Ut in *Polonia*, ubi diſſenſu unius ex conſeſſu abrumpuntur *comitia*: quæ alias ſex hebdomadis breviori quidem proponendis atque expediendis ſingulis negotiis conſtituto ſpatio terminantur.

§. XII.

Si in aliqua republica]. Hanc indolem cenſente Auctore præ ſe ferebat *reſpublica Romana*, ex quo populus peculiares ſuos magiſtratus, *Tribunos* dictos, nactus eſt. Vide diſſertationem *de Forma Reipublicæ Romanæ* §. 24. *ſeqq.* inter diſ-

Digitized by Google

ſertationes Academicas in unum volumen congeſtas, ac typis exſcriptas *Londini Scanorum* An. 1675.

Aut ſi in regno aliquo]. Ita jam ſe habet *Imperium Romano Germanicum*; prout illud oſtendit Auctor in ſuo MONZAMBANO.

§. XIII.

Uno per communem regem]. Veluti e. g. *Regna Angliæ, Scotiæ* ac *Hiberniæ: Regna Hiſpaniæ* &c.

Altero per fœdus]. E. g. *Fœdus XII. populorum antiquæ Achajæ*: & hodie *Confœderatæ Provinciæ Belgii*, ac *Pagi Helvetii &c.*

CAPUT IX.

§. I.

Tanquam ſuperiore]. Sedulo eſt obſervanda hæc reſtrictio. Quippe etſi in limitato imperio Monarcha in quibusdam negotiis inconſulto populi concilio, aut ejus deputatis, nihil valide conſtituere poſſit: non ideo tamen rege idem populus eſt ſuperior. Debuiſſet nihilominus heic Auctor ea, quæ pariter cum *limitato*, tum *abſolute imperio* competunt, diſtinctius denotare.

§. IV.

Habet denique & peculiarem ſanctimoniam]. Vide NOODTII diſcurſum *de Jure Summi Imperii & Lege Regia*: qui Gallice verſus recuſus prodiit An. 1714.

§. VII.

Quidam enim reges dicuntur regnum ſuum habere]. Non eſt ullum *regnum patrimoniale* citra conſenſum vel expreſſum vel tacitum populi. De quo fuſius egi in notis ad GROTIUM *de Jure Belli ac Pacis lib. I. cap.* 3.

In patrimonio]. Modo quidem illud in populi perniciem non tendat. Hæc enim exceptio tacite ſemper continetur conventione, qua vel maxime Deſpoticum imperium fundatur.

CAPUT X.

§. X.

Qui propiore gradu proxime defunctum regem adtingat]. E. g. Filius minor natu regis defuncti propior gradu eſt nepote aut

Digitized by Google

aut filio majoris natu præmortui: nihilominus hic filius aut nepos excluſo patruo aut patruo magno ſucceſſerit.

§. XII.

Optimum fuerit]. Tunc caſu, & ad *interim*, ad priſtinam ſuam libertatem redit populus. Ac proinde penes ipſum eſt, ſuper hac controverſia ferre ſententiam; quemadmodum oſtendam in notis ad GROTIUM *lib. II. cap.* 7. §. 27.

CAPUT XII.

§. V.

Actionem accommodare]. Satius fuiſſet dicere: illis obligationibus, quas ceteri ſtricte valent exigere, aut ad quas *jus perfectum* habent, etiam vi legis naturalis: quippe multifarii ſunt modi, damnum e. g. alteri, nullo intercedente pacto, inferendi, pro quibus tamen inter omnes cultiores gentes actio in foro conceditur.

Fere actionem denegarunt]. Vide diſcurſum meum *de Beneficio legum* Gall.

§. VI.

Inde lex civilis ad decus]. E. g. præcipere lex civilis poteſt, ut hoc vel illo tempore, aut loco, contractus adimpleatur: ut in plurium creditorum concurſu hi vel illi præfixantur: ut hoc vel illo modo damnum datum reparetur; veluti ſi deflorata virgo fuerit, ejus ducendæ imponetur neceſſitas; aut vero multa tantum pecuniaria ſolvenda decernetur &c.

§. IX.

Tanquam actionem civi propriam]. Oſtenſum dedi ampla nota ad J. N. & G. *lib. VIII. cap.* 1. §. 6. inanem eſſe hanc diſtinctionem; nec licere unquam obtutu vel graviſſimarum comminationum, etiam ſuperioris mandato ac nomine, quicquam omnino, quod manifeſte injuſtum ac turpe habeatur, ſuſcipere. Vide, quæ adnotavi ſupra *lib. I. cap.* 1. §. 24.

CAPUT XIII.

§. V.

Neminem habet ſuperiorem]. Argumentatur heic Auctor ex falſa hypotheſi. Arbitratur, prout ex ipſius patet definitione, omnem pœnam a ſuperiore infligendam eſſe. At vero

Digitized by Google

inutiles naturales leges forent, ſi nemini in his terris poteſtas competeret, earundem exſecutionem procurandi, eosque puniendi, qui illas violant, ſive adverſus ſingulos, ſive adverſus univerſum genus humanum, ad cujus conſervationem illæ leges omnibus hominibus communes collineant. Unde in libertate naturali quilibet adverſus quemlibet alterum inſtructus illo jure eſt. Vide, quæ dixi ad J. N. & G. *lib. VIII. cap.* 3. §. 4. *nota* 3. quam in 2da Editione auctiorem exhibui.

§. IX.

Vel vires nocendi]. E. g. ſi pellatur in exilium, aut carcere incluſus detineatur, aut ipſi arma, aliaque nocendi media adimantur &c.

§. XV.

Si fines pœnarum]. Veluti ubi occultum ſit peccatum, aut pauciſſimis cognitum; tunc enim tantum abeſt, ut punire illud juverit, ut potius plus ſæpe damni, quam commodi provenire inde queat.

Producere utilitatem]. E. g. ſi qui deliquit, reipublicæ valde ſit utilis, ita ut ſi capitali, vel alia quapiam pœna adficeretur, non tantam exemplum iſtius pœnæ produceret utilitatem, quantam procurare ipſe egregia ſua opera eſt idoneus.

Aut ſi fines]. Ubi e. g. reus læſo ſponte ſatisfactum venit, cavetque fore, ut in poſterum neque adverſus iſtum, neque adverſus quemcunque alterum ejusmodi facinus ſuſcipias.

Aut ſi peculiaris]. Ratio e. g. *legum ſumtuariarum* eſt ipſum eorum commodum, quibus inutiles ac immodici ſumtus, exhaurire denique illorum patrimonia apti, interdicuntur. Verum ſi talium legum transgreſſori tantæ ſint opes, ut iſtis ſumtibus hautquaquam fatiſcant: hoc quidem intuitu pœna ipſi eo facilius remitti potuerit. Vide Opus Majus de J. N. & G. *lib. VIII. cap.* 3. §. 16. 17.

§. XVI.

Prout illud]. Gravius e. g. homicidium committit, qui parentem, quam qui extraneum occidit. Atrocius peccat, qui magiſtratum laceſſit conviciis, quam qui æqualem.

Nobile & pretioſum]. Latro prætereuntes interficiens gravius delinquit, quam qui ſpoliat tantum &c.

Item ex effectu]. Sic plus damni infert, qui urbanum, quam qui ruſticum ædificium comburit.

Puta ſi &c.]. Sic deterior eſt, qui tranquillo animo, aut ob lu-

lucellum aliquod occidit aut furatur, quam qui intuitu inſignis lucri, aut vehementis adfectus impetu impellitur.

Aut ſi præter communem rationem]. Ejus dignitas e. g. ac munus, quo præfulgere ipſe aliis honeſtate morum debebat, quoque efficitur, ut pravum ejus exemplum jam evadat perniciofius.

Aut ubi circumſtantiæ]. *Tempus*, *locus*, *modus* &c.

Aut ſi animum quis habuerit] Puta, quod ſollicite quis educatus, abundantibusque ad intelligendas officii rationes ſubſidiis ac ingenio inſtructus ſit.

CAPUT XIV.

§. IV.

Donec contrarium probetur]. Diſtinguendum hic eſt inter *indicium internum*, & *ſigna externa* ejusdem judicii. Prius, dum exterioribus contemtus documentis non proditur, nemini nocet, ſive error ſubſit, ſive minus; adeoque nec querendi cuiquam cauſam præbet; etſi forſan ſuper hoc non nihil ipſe conjecerit, aut etiam tertio privatim animi cogitata patefecerimus. Dantur, qui in oculis vulgi plane alii, quam revera ſunt, norunt adparere; perſpicaciores vero, atque omnibus ipſorum conſiliis penitius rimandis adtentos haut fallunt. Ubi tales deprehenderimus, diffidere quidem iis poſſumus ac debemus: interea nulla eſt eos palam obtrectandi ratio, donec manifeſto aliquo ſcelere larvam, ut ita loquar, deponant, ſeque tanto reſpectu ipſi indignos exhibeant.

§. VI.

Ad aliis promiſcue nocendum]. Tales ſunt *latrones*, *fures*, *piratæ*, *ſicarii* &c.

§. VII

Exiſtimatio ſimplex intra civitates degentium eſt]. *Exiſtimatio ſimplex naturalis*, ſive opinio boni viri jus quoque intra civitates conſtituit, quo ſepoſitis legibus quilibet gaudet, quodque ut illæſum ſibi relinquatur, omnino valet exigere, dum nihil, quod improbitatis ac infamiæ notam inurat, commiſerit.

§. VIII.

Quod idem contingit quibusdam circa fœda aut vilia]. Quales ſunt e. g. *foricarii*, *carnifices*, *lictores*, *laniones*, *excoriatores* &c.

§. X.

Contrahi poſſe]. Si injuſtitiæ horum juſſorum conſcius, ad illa exſequenda quis ultro obtulerit miniſterium ſuum, aut illud, cum poſſet, non detrectaverit: is certe complicem ſe reddit ſceleris, partemque adeo infamiæ apud omnes cordatos viros in ſe derivat. Quod ſi autem metu mortis aut gravis alterius mali ad obeunda ejusmodi juſſa injuſta adactus fuerit; etſi iſtud in foro divino, prout alibi oſtenſum eſt, non plane excuſet: poſtulat tamen humana imbecillitas, ne ullam inter homines talis caſus maculam inducat.

CAPUT XV.

§. II.

Circa uſum eorundem]. Huc referuntur *leges ſumtuariæ*, leges contra *aleam*, contra *prodigos* &c.

Aut circa modum]. Ut cum vetantur privati ultra definitum numerum jugerum agri emere, ne nimiam conquirant poſſeſſionum amplitudinem, eoque enormis ipſorum evadat potentia.

Qualitatemque]. Sic prohibitum eſt emere certum genus mercium, in primis exoticarum, aut certa bona; quemadmodum e. g. lege *Moſis* fundos ex una tribu transferre in eos, qui alterius tribus eſſent, non licebat.

Uti & rationem]. Hoc cernitur in *donationibus*, *teſtamentis*, *legatis*, quæ per leges cujusque civitatis ſæpius non niſi adhibits certis ſolemnitatibus, aut in gratiam aliquorum, aut præſtituta portione &c. fieri poſſunt.

CAPUT XVI.

§. II.

Offenſivum dicitur]. Accurate loquendo, diſtinctio belli in *offenſivum*. & *defenſivum*, bello juſto ac injuſto æqualiter convenit. Vide quæ dicta ſunt ad J. N. & G. *lib. VIII. cap.* 6. §. 3. *not.* 3.

§. IX.

Bello peti poſſit]. Si revera noxius ſit, tradere eum civitas, aut punire ipſa debet Auctoris autem deciſio nititur falſa hypotheſi exemtionis ab omni obligatione juri infligendarum pœnarum correſpondente. Vide dicta ad J. N. & G. *lib. VIII. cap.* 3. §. 4. *not.* 8.

§. X.

Ut extranei]. Modo cauſa querendi conſtans quidem ſit ac liquida, atque uſurpari illud remedium utilitas ferat reipublicæ. Vide notata ad J. N. & G. *lib. VIII. cap.* 6. § 13.

EPI-

EPISTOLA CENSORIA ANONYMI

IN COMPENDIUM S. PUFENDORFII

DE OFFICIO HOMINIS ET CIVIS;

CUM ANIMADVERSIONIBUS

VIRI CONSULTISSIMI AC CELEBERRIMI

D^N. JO. BARBEYRACII,

NONNULLA AUCTORIS PRINCIPIA ILLUSTRANTIBUS;

Ex Gallico Latinum in Sermonem verſis

A

SEB. MASSON.

Digitized by Google

Digitized by Google

EPISTOLA CENSORIA ANONYMI *

IN S. PUFENDORFII COMPENDIUM;

Cum Animadverſionibus Viri Celeberrimi

DN. JO. BARBEYRACII,

In Latinum ſermonem verſis, nonnulla Auctoris principia illuſtrantibus.

* Nuperrime intellexi, B. Dn. PAGENSTECHERUM, Anteceſſorem meum in cathedra Juris Publici & Privati, Groningæ, hoc ſcriptum appendici editionis libri Pufendorfiani de *Off.* H. & C. heic apud VAN VELSEN publicatas, inſeruiſſe; ubi ejusdem Auctorem nominat. Hoc ſcriptum eſt Groningæ] Menſe Novemb.] 1717.

Annus eſt, vel circiter, ex quo mihi in manus incidit Epiſtola Anonymi, qua cenſuram ſuam in hoc compendium *de Officiis Hominis & Civis* exercet. Iſta Epiſtola, An. MDCCIX. typis exſcripta, Programmati Academico Dn. JUSTI CHRISTOPHORI BOEHMERI (1), Profeſſoris *Helmſtadienſis*, quo duodecim Diſputationes in Syſtema Juris Naturalis ab Auctore noſtro hoc libello concinnatum, publice defendendas indicabat, inſerta deprehenditur.

Moverunt procul dubio Anonymum, qui *Vir illuſtris* nuncupatur, graves quædam cauſæ, ne nomen palam ſuum profiteretur. Veritus eſt forſan, ne moroſiori vel invido animo, probatum adeo univerſis opus obtrectare videretur. Hinc forte etiam animadverſiones ſuas tantum Programmate Academico, cujusmodi nempe edita haud ita late ſpargi ſolere conſtat, evulgandas duxit. Quin nec futurum fortaſſis conjecerat, ut Epiſtola, de qua ipſo inconſulto Profeſſor *Helmſtadienſis* diſpoſuit, ad huncce uſum traheretur. Utcunque vero iſta ſe habeant: non offenſum iri ſpero Auctoris modeſtiam, quod fœtum jam antea publici juris factum ipſe nunc denuo exhibeam, majorique exponam luci. Velum, quo latere Auctor voluit, detrahere haud contendam: conjiciendi cuique conſtiterit libertas. Hoc ſaltem indicaverim, me in perlegenda iſthac epiſtola, ſubito perſpicacioris alicujus, nec aliorum auctoritati facile parentis ingenii documenta depre-

(1) Politices ac Eloquentiæ.

Digitized by Google

prehendiſſe. Gratulatus mihi ſum, æquo factum fato, ut ſcriptum, de quo ante ferme in vicinia ne verbulum quidem audiveram, quodque rarum pariter nunc, ac parum cognitum fuerit, ita deinde e longinquo ad me perveniſſet. Proſpiciens itaque fore, ut compendium *Officiorum Hominis & Civis* mox iterum ſubjiciendum prelo haberem, novam editionem exornare cenſura Anonymi adjectis meis animadverſionibus conſtitui. Quippe hoc ipſo magis magisque adparituram exiſtimavi notatum Opus, ſiquidem non omni careat nævo, quale vix ullum ſane extiterit, ſaltem in univerſum haud mediocri eminere præſtantia. Neque diſſimulaverim, gratum mihi fuiſſe conſenſum Anonymi circa nonnulla, in quibus non prorſus placere Auctoris noſtri opiniones, jam prius declaraveram: unde ſpes enata eſt, mihi non verſum iri vitio, ſiquidem iſtum in aliis defendendum ſuſciperem. Si feliciter ceſſerit conſilium: nullam inde tamen aucupari gloriam, aut me vel minimum *illuſtri* illi *viro*, quem egregium aliquod ſidus crediderim, exæquare animus fuerit. Quum teſtetur ipſe, ſe opus, quod examinat, a multo tempore non conſuluiſſe; ac reliqua Auctoris ſcripta procul dubio haut ſollicitius inſpexerit: mirum non adeo fuerit, ipſi non tam perſpecta illius principia fuiſſe, quam mihi, qui in explicandis iisdem tantum collocavi operæ. Nunc itaque Epiſtolam, non continuo quidem filo, ſed interjectis, pro re nata, meis obſervationibus, referam. Nec tamen ulla confuſio extiterit. Quippe ſeparatæ ſcripti pericopæ, quas in remiſſionum ac citationum facilitatem, numeris diſtinguam, non aſteriſcis ſolum ſingulæ notabuntur, ſed majoribus etiam exprimentur typis, ita ut eas ſimul colligere facili negotio potuerit, qui perlegere una ſerie totam Epiſtolam cupiet. En procœmium.

*§. I. Rogaſti me ſententiam (1), Vir Summe, in amici gratiam, an commode prælegeretur juventuti liber viri ſuo quondam merito (2) celeberrimi, Samuelis Pufendorfii, quem de Officio Hominis & Civis inſcripſit. Inſpexi opus, quod a multo tempore non conſulueram; deprehendique, principia defectibus non exiguis laborare. Quum tamen pleræque ſententiæ in progreſſu non admodum principiis cohæreant, neque ex iis, tanquam cauſis, deducantur; ſed potius aliun-

§. I. (1) Is, ad quem ſcribitur, ſuppreſſo etiam nomine, heic *Vir Summus* ſalutatur.

(2) Major adhuc poſt fata, nominis ejus eſt celebritas, quam cum eſſet in vivis.

aliunde ex bonis Auctoribus mutuo ſumantur: nil prohibet, libellum multa bonæ frugis continere, & vicem compendii doctrinæ de Jure Naturæ iis præſtare, qui levi aliqua tinctura contenti, ſcientiam ſolidam non adfectant; quales ſunt nimis multi auditores.

Laboraret utique inſigni defectu præſens opus, vel potius Auctoris ſcopo parum omnino foret accommodatum: ſiquidem, ut innuere heic videtur Anonymus, mera aliqua Rhapſodia eſſet, *ſcopa diſſolutæ, arena ſine calce.* Aſt judicandum æquo Lectori reliquerim, an non in brevi hoc, jam per totam fere *Europam* noto ſyſtemate cum omnibus, quos in ipſo deprehendere licet, defectibus, in univerſum tum ſolida ſatis principia, tum etiam ſat liquida fundamentorum peculiaris cujuſque materiæ cum iisdem principiis cohærentia conſpiciantur. Non equidem ibi omnia Geometrarum modo, per quæſtiones, definitiones, axiomata, corollaria &c. digeſta ſunt: verum nec in ſingulis diſciplinis, minime autem omnium in illis, quæ circa mores occupantur, jejuna illa methodus requiritur. Sufficit, modo heic animo quodam Geometrico, accurato nempe, quem quidem (3) profundum abſtractarum ſcientiarum ſtudium non ſemper conciliaverit, procedatur: ordo ac perſpicuitas ſedulo obſervetur: propoſito argumento preſſo inſiſtatur pede: nullum principium alicujus momenti vel falſum, vel dubium, nullaque temere elicita conſequentia, & quæ non per principia ad primos velut fontes revocari queat, admittatur. Inſtituto ejus, quod Anonymus adverſus Auctoris principia infra movet, examine, liquido me oſtenſurum ſpero, iſta ſimul ſumta firmiſſimo niti fundamento. Et quod ad conſequentias adtinet: evolvatur, quodcunque lubuerit, caput: mox profecto, ſi adtentis modo oculis perlectum fuerit, palam fiet, Auctorem ibi ſummatim circa aliquam veritatem, ex generalibus totius operis principiis vel immediate, vel mediate profluentem, diſſerere. Hoc demonſtrare, facta analyſi, facillimum foret: aſt in nimiam molem meæ obſervationes excreſcerent: illamque ſubjungere jam libro, quod vel me ſuperſedente ſuſcipere illam Lector ultro potuerit, ſupervacuum exiſtimo.

*§. II. Optarem tamen, exſtare aliquid firmius & efficacius, quod lucidas fœcundasque definitiones exhibeat:

(3) Vide egregiam *commentationem* DN. CROUSAZII *de utilitate Mathematum.*

beat: quod ex rectis principiis concluſiones veluti filo deducat: quod fundamenta actionum exceptionumque natura validarum omnium ordine conſtituat: quod denique ſcientiæ alumnis certam rationem præbeat prætermiſſa ſupplendi, oblatasque quæſtiones per ſe decidendi determinata quadam via. Hæc enim a ſcientia abſoluta & rite tradita exſpectari debent.

Optarem ego, non gravari Anonymum ipſum, ejusmodi opus emittere, quale probum Naturalis Juris ſyſtema debere eſſe arbitratur. Conceptum animo exemplar omnium optime procul dubio exſequi valuerit. Vereor ſaltem, ne ratione *actionum exceptionumque natura validarum*, quarum ampliſſimum ſupponere numerum videtur, Juris Civilis *Romani* ſubtilitates cum ſimplicitate Naturalis Juris confundat. Cavendum quoque fuerit, ne idem ipſum heic ſit ſucceſſurum, quod homini, qui aliquibus ſolidarum alias, ac rite conditarum ædium offenſus defectibus, dum corrigendis utcunque levibus nævis dare operam debuiſſet, dejicere potius totum ædificium, novumque in multis tandem longe vitioſius exſtruere inſtituerit.

*§. III. Et tale aliquid potuiſſet ab incomparabilis GROTII judicio & doctrina, aut a profundo HOBBII ingenio præſtari: niſi illum multa diſtraxiſſent; hic vero prava conſtituiſſet principia, iisque nimis conſtanter inſtitiſſet. Meliora etiam, quam vulgo habemus, & pleniora potuiſſet FELDENUS: ſi ingenium & doctrinam majore ſtudio in tale opus conferre voluiſſet.

Non ſatis mihi ultimus iſtorum Auctorum innotuit, ut dijudicare liceat, num iis celebrari encomiis mereatur: neque exploratum bene habeo, an (1) ea, quæ in GROTIUM edidit, tantum de peculiari ipſius ad producendum deſideratum opus aptitudine, facere ſpem potuerint. Quod ad GROTIUM adtinet: meminiſſe par fuerit, ipſum primum extitiſſe, qui ſcientiam antea præter modum confuſam, ſpiſſiſſimisque ſæpius obductam tenebris, in ſyſtema redegerit; adeo ut vix melius ſane Vir Summus, præſertim qua ætate vixit, potuerit. Nil tamen obſtat, quominus eximium ejus opus *de Jure Belli ac Pacis*,

§. III. (1) *Sricturæ in Grotium &c.* Hoc opus, ejusque Auctor peritioribus ex ipſa gente haud ita ſe adprobant. Vide *Hiſtoriam Juris Naturalis* Dn. BUDDEI §. 27. quæ præmiſſa eſt ejus *Selectis Jur. Nat. & Gent.* & *Bibliothecam Juris* Dn. STRUVII §. 256. 3 Edit.

Pacis, dirigendis iis omnibus qui aliquid plenius exactiusve conati deinde ſunt, aut conaturi, ſufficientem in univerſum lucem prætulerit.

*§. IV. Plurimum etiam referret, parallela addi Juris Civilis inter homines recepti, præſertim *Romani*, ipſiusque etiam juris ſacri. Ita uſus juris Naturæ apud Theologos & Jurisconſultos pronior futurus eſſet; quod nunc magis ſermonibus celebratur, quam negotiis adhibetur.

Ejusmodi parallela, quæ referre tantopere Anonymus exiſtimat, GROTIUS in laudato libro, ac PUFENDORFIUS in Opere ſuo Majori *de Jure Naturæ & Gentium* paſſim addiderunt. Illa vero in iſthoc compendio, quod tironum quidem uſui accommodatum eſſe, ac proinde elementa tantum hujus ſcientiæ tradere debet, valde requiri non video. Nocere potius talis commiſtio inde apta foret, quod turbaret conceptus: quippe cum paucæ ſint leges civiles, quæ non aliquid Juri Naturali addant, aut detrahant. Cum id tantum Naturalis Juris addiſceretur, quod in Jureconſultorum libris promiſcue cum jure Civili ſparſum reperiebatur: neutrius facile accurata hauriri notitia poterat. Hoc curandum potius, ut doctrina Juris Naturalis ſeparatim rite percepta, ejus deinde, in peculiari legum cujusque civitatis ſtudio, cum Civili Jure inſtituatur comparatio. Non metuenda tunc fuerit confuſio: revocabuntur tantum atque adplicabuntur hærentia jam animo principia. Hinc Auctori noſtro fuerat propoſitum, *Indicem* aliquem in libros Juris Romani conficere, quo diſcernerentur, quæ Juris Naturalis ſunt, ab iis, quæ ad jus tantum Poſitivum pertinent: optandumque fuiſſet, ut ab exſequendo hoc conſilio, ut & nonnullis aliis, quorum in præfatione ſecundæ Editionis Majoris ſui Operis meminit, ipſum mors celerior non abſtraxiſſet. Ceterum ſi Jurisconſulti ac Theologi decidendis caſibus peculiaribus, in negotiis vitæ communis ſibi oblatis, Naturale Jus haud ita ſolent adhibere: non inde profecto eſt, quod Juri Naturali dantes operam, iſtud conferre cum Jure Civili omnium in orbe gentium prætermiſerint, ſed potius, ut verum fateamur, quod parum omnino plerique, aut non eo, quo par eſt, modo, Jus Naturæ excoluerint.

*§. V. Interim vero quia deſideratum opus non exſtat, & præ aliis *Pufendorfianum* compendium apud nos vulgo innotuit: hoc ſaltem e re eſſe puto, ut quædam Lectores Auditoresve, in primis circa principia abuſibus magis expoſita, moneantur: quorum potiſſima in his ſummis capitibus conſiſtunt, quod nec *finem*

objectumque, nec *cauſam efficientem* Juris Naturæ recte conſtituiſſe Auctor videatur.

Addere Anonymus, qui ſe heic Germanum profitetur, potuiſſet, opus, quod tot ipſe laborare defectibus cauſſatur, non in *Germania* ſolummodo inter optima, immo optimum quoque in hoc ſcientiæ genere haberi. Quippe & alibi, vel apud gentes in faſtidium eorum, quæ aliunde ad ſe, ac potiſſimum ex nonnullis regionibus advehuntur, aliquantum proniores, haud minoris æſtimatur. Non dicam, quo favore excepta hactenus Gallica verſio fuerit: hoc ſaltem monuerim, ante quartam noſtram Editionem, jam quoque Anglicam metaphraſin quartum recuſam prodiiſſe, vel potius quintum: quandoquidem integrum hoc opuſculum compendio noviſſime edito *de Jure Naturæ & Gentium* inſertum eſſe percepimus.

(a) Noſtra diſtributione, §. 6.

*§. VI. De *fine* ita deſerte pronunciat (*a*) §. 8. *Præfationis* ſuæ: *finem ſcientiæ Juris Naturæ tantum ambitu hujus vitæ includi*. Et quoniam objici poſſe prævidebat, immortalitatem animæ naturali ratione evinci; ac proinde, quæ hinc conſequantur ad juris juſtitiæque obſervationem facientia, ad doctrinam juris naturali ratione cogniti pertinere: reſpondet eodem loco: *animum quidem hominis ardenti adfectu immortalitati imminere, ſuique deſtructionem vehementer averſari; atque inde apud pleraſque gentes inoleviſſe perſuaſionem de animæ a corpore ſeparatæ duratione, & quod tunc bonis bene, malis male ſit futurum: ejuſmodi tamen circa hæc perſuaſionem, in qua animus homines plene ac firmiter adquieſcere poſſit, ex ſolo Dei verbo hauriri*. Hæc Auctor. Verumenimvero licet tam verum eſſet, quam falſum eſt, immortalitatis animæ plenam demonſtrationem a naturali ratione non ſuppeditari: ſufficeret tamen prudenti, ſaltem magnum pondus habere argumenta, & ſpem bonis melioris vitæ eximiam dare; juſtum vero improbis metum futuræ graviſſimæ pœnæ incutere. Ingentis enim mali etiam non magna timendi ratio, ne dicam, magna veriſimilitudo, curam cavendi excitare debet. Neque aut conſenſus omnium pæne gentium, aut inſitum deſiderium immortalitatis ſperni poſſunt. Sed firmum argumentum & obvium omnibus (ut cetera nunc prætere am ſubtiliora) præbet ipſa divini Numinis agnitio, quam recte admittit Auctor, & inter

Digitized by Google

inter ipſa Juris Naturæ fundamenta merito collocat. Neque enim dubitari poteſt, Rectorem univerſi ſapientiſſimum, eundemque potentiſſimum, bonis præmia, malis pœnas diſtinaſſe, & exſequi deſtinata in futura vita; quando in hac præſente pleraque impunita impenſataque transmitti conſtat. Itaque negligere hic futuræ vitæ curam, quæ cum providentia divina inſeparabiliter connexa eſt, & contentum eſſe inferiore quodam Juris Naturæ gradu, qui etiam apud Atheum valere poſſit ((1), de quo alias dixi), eſt ſcientiam pulcherrima ſui parte multare, & multa hujus quoque vitæ officia tollere. Cur enim aliquis pro caritatibus, pro patria, pro republica, pro recto & juſto, diſcrimen fortunarum, dignitatum, vitæque ipſius ſubeat: ſi everſis aliorum rebus ipſe conſulere ſibi, & in honore atque opulentia vitam ducere poſſit? Nam uni nominis immortalitati, famæque poſthumæ, id eſt, rumoribus, unde nihil ad nos perveniat, vera ac ſolida bona poſthabere: quid aliud, quam ſplendida ſtultitia fuerit? Sublimior eſt pleniorque diſciplina Juris Naturæ, expoſita ſecundum diſciplinam Chriſtianorum, (de qua (2) PRASCHIUS), immo verorum Philoſophorum, quam ut omnia præſentis vitæ commodis metiatur. Quin amplius, niſi quis ita natus inſtitutusve ſit, ut inſignem in virtute voluptatem, in vitiis moleſtiam inveniat, (quod non eſt cujusvis) nulla ratione a magno ſcelere deterrebitur, quo ingentia bona impune ſibi parare poſſit.

(3) *Sit ſpes fallendi: miſcebit ſacra profanis.* At divinam vindictam, in futuram usque vitam productam, nemo fallet; eaque firma ratio eſt, qua homines omnem juris obligationem in factum traduci debere intelligant, ſi ſibi ipſis conſulere velint.

(a) *lib. II. cap.* 3. §. 21. *not.* 6. 1mæ Edit. 7. 2dæ Edit.

Jam ſtatim prima Editione verſionis meæ cum Majoris Operis (*a*) de *Jure Naturæ & Gentium*, tum (*b*) compendii de *Officiis Hominis & Civis* obſervaveram, non excludendam eſſe a Jure Naturali omnem futuræ vitæ conſideratio-

(b) *Nota ad Præfat.* §. 6.

§. VI. (1) Edidit itaque adhuc alia Anonymus, prout etiam indicat ſub finem Epiſtolæ. At arte divinandi non polleo.

(2) Nempe in opere, cui titulus: Jo. LUDOVICI PRASCHII *Deſignatio Juris Naturalis ſecundum diſciplinam Chriſtianorum.*

(3) Eſt verſus ex HORATIO *lib. I. Epiſt. XVI,* 54.]

tionem: idque eodem, quo heic Anonymus, poſt alios argumento comprobavi. Principium, quo nititur iſtud ratiocinium, Auctor noſter nunquam negavit; quin potius illud ipſum ultro in peculiari Majoris ſui Operis loco agnoſcit: ubi in tradentis regulis circa (4) eligenda utilia (c) locum citat ex ARNOBIO, atque ad egregium illud caput PASCALII ablegat.

(c) Jus Nat. & Gent. lib. I. cap. 3. §. 7.

Non diſquiſiverim, an argumenta, quæ ſola naturalis ratio pro immortalitate animæ, ac præmiis & pœnis alterius vitæ ſuppeditat, vim apodicticam, prout contendit Anonymus, habeant; & an non exemplo vel ſapientiſſimorum gentilium, qui non niſi titubanter de graviſſimo hoc momento locuti ſunt, potius adpareat (5), iis argumentum ipſum, quod heic adlegatur, ac omnium quidem validiſſimum eſt, haud detectum fuiſſe. Hoc obſervabo ſaltem, ita deinde ratiocinari Anonymum, ut circa naturam ac vim propriam *officii* parum accuratas cohærentesve fovere notiones videatur: dum excuſari inde levis omiſſio Auctoris poteſt, quod in eam ex opinione efficaciæ peculiaris, quam in animum cujuslibet prudentis habere ſolum juſtum debeat, illapſus ſit. Confundit manifeſte Anonymus *officium* cum *effectibus* aut *rationibus ejus obſervationis*: vim, quæ *officio* per ſe ineſt, cum illa, quam in mentes mortalium, prout plerorumque comparata eſt indoles, exerit. Exiſtimat, remota præmiorum ac pœnarum futuræ vitæ cura, temere futurum, non ſolum *ſi quis pro caritatibus, pro patria, pro republica, pro recto & juſto, diſcrimen fortunarum, dignitatum, vitæque ipſius ſubierit*: verum etiam *ſi ſibi ipſe*, illata aliis quacunque noxa, deſtructa omni eorum fortuna, ipſis in perniciem datis, verbo Anonymi, *everſis aliorum rebus, non conſuluerit, & in honore atque opulentia vitam duxerit*. Supponit, ſublata beatæ poſt hanc vitam immortalitatis ſpe, non niſi inanis alicujus ac cerebrinæ immortalitatis deſiderio, habitum iri utcunque curam officii. Ex principiis Auctoris contra *obligantur* homines non ſolum alios non lædere ad procurandum ſibi aliquod commodum; ſed etiam fortunas aliquando, dignitates, vitamque ipſam devovere (6), ſecreta quidem præmiorum ac pœnarum futuræ vitæ exſpectatione, ac propter hanc ſolum rationem, quod iſta *officia* ſint, quæ nobis ſapientiſſimus

(4) Vide, quæ dixi ad hoc Compendium *lib. I. cap.* 1. §. 11. *not.* 3.

(5) Vide locum PLATONIS, quem citavi in mea *Præfatione* ad J. N. & G. §. 21. pag. 86. 2dæ Edit. lit. (ii)

(6) Vide, quæ tradit Auctor J. N. & G. *lib. II. cap.* 3. §. 19. ubi adſerit, *nondum liquido eſſe probatum, quodlibet recte factum neceſſario aliquo præmio velut extrinſeco mactandum eſſe*.

Digitized by Google

mus legum naturalium Auctor, ſupremus univerſi Rector impoſuerit. Utra jam, quæſo, moralis doctrina purior videtur, nobilior, prudentumque gentilium, qui tam egregie inter *honeſtum* & *utile* diſtinxerunt, ſententiis magis conſentanea? At qua ratione nunc Anonymi concilietur ratiocinium, cum iis, quæ heic habet: dari nempe *quendam Juris Naturæ gradum, qui etiam apud Atheum valere poſſit*: & infra quoque §. 15. *fore aliquam naturalem obligationem, etſi daretur, Deum nullum eſſe?* Si ulla unquam fuit, ſane hæc palpabilis omnino eſt contradictio. Ex quo enim poſueris, aliquam poſſe eſſe *obligationem*, proprie ſic dictam; aliquam neceſſitatem hoc vel illo modo agendi, aut non agendi, altera non ſolum vita, ſed & ipſo Deo non exiſtente: *officia* omnia, præterquam illa, quæ Numen ipſum directe reſpiciunt, locum reperient; cum ſingula agnoſcente Anonymo §. 15. in *ipſa natura rerum* firmiſſime fundata ſint. Vide, quæ notabuntur ad d. §.

Sic itaque Anonymus, levem Auctoris omiſſionem reprehenſurus, ipſe ſe gravibus illaqueavit incommodis. Sunt certe duæ diverſæ quæſtiones: *Quare ad certa quæpiam facienda vel omittenda quis obligetur?* Et *qua ratione homines ad obſervanda illa, quæ pertinere ad officium ſuum intelligunt, validiſſime poſſint permoveri?* Circa poſteriorem quidem quæſtionem lubenter admiſerimus, rationem *utilitatis*, ac in primis intuitum pœnarum ac præmiorum alterius vitæ, id utique eſſe, quo maxima mortalium pars determinetur. Unde adparet quoque, quam opus hominibus fuerit certa ac liquida ſtatus futuræ vitæ revelatione: cujus tamen ſcopus non eſt, ipſos ad virtutis ſtudium, fugamque vitiorum excitare ſola proprii commodi conſideratione; ſed eosdem hoc pacto ſenſim diſponere, ut nobiliori deinde quodam motu officii partes expleant, inſignemque illam, cujus meminit Anonymus, in virtute voluptatem inveniant: quæ quidem non repræſentatione præmiorum, nedum pœnarum vitæ alterius, ſed longa ac ſeria meditatione venuſtatis ac præſtantiæ ipſius virtutis progignitur. Improbos quippe videas, quos futurorum malorum metus, ac bonorum ſpes adficiat; ita tamen ut non ideo virtutis guſtu, aut horrore vitiorum tangantur: æternæ quidem compotes fieri felicitatis cuperent; at ab eo amando, quod ſolum reddere felices poteſt, noſtrumque per ſe amorem promeretur, ipſi longe ſunt alieniſſimi.

Etſi ad ſolam utilitatem adtendatur: nihilominus ſectandæ virtutis, fugiendique vitii ſat prægnans ratio ſupereſſet, ſepoſitis præmiis ac pœnis futuræ vitæ. Certe parandæ & in his terris felicitati aptior per ſe virtus eſt, quam vitium: ac longe probabiliorem concipere ut plurimum ſpem licet,

 fore,

Digitized by Google

fore, ut ſolida nobis adſeramus commoda, ſi bene & 'audabiliter, quam ſi inordinate ac improbe vivamus: quemadmodum illud Auctor (a) in Majori ſuo Opere rite obſervavit; ubi egregium admodum locum ISOCRATIS (b), huc pertinentem, retuli. Quæ materia a variis auctoribus ex inſtituto pertractata eſt.

(a) lib. II. cap. 3. §. 9.
(b) not. 4.

*§. VII. Itaque neque illud admittendum eſt, quod inſinuat Auctor: quæ intra pectus latitant, nec foris prorumpunt, ad Jus Naturæ non pertinere: qua ratione ex mutilato *fine* Juris Naturæ, etiam *objectum* ejus nimis contrahi, manifeſtum eſt. Quum enim ſub exitum §. 8. dixiſſet, *Juris Naturalis ſcita ad forum duntaxat humanum adaptari, quod ultra hanc vitam ſe non extendat:* mox ſubjicit §. 9. *forum humanum circa externas tantum hominis actiones occupari; ad ea autem, quæ intra pectus latitant, nec aliquem effectum aut ſignum foras producunt, non penetrare; neque adeo circa ea ſollicitum eſſe.* Ulteriora diſerte *Theologiæ Morali* transſcribit; *cujus principium Revelationem eſſe* docet §. 4. & quæ hominem *Chriſtianum informat* §. 8. ubi etiam addit, *Jus Naturæ multis in partibus prave ad forum divinum adplicari, quod Theologo maxime curæ eſt: itaque*, inquit §. 9. *Theologiæ Morali non ſufficit, exteriores hominis mores utcunque ad decus compoſuiſſe;* (quaſi vero Philoſopho Morali, aut juris naturalis Doctori ſufficiat) *ſed in eo maxime laborat, ut animorum motus interni ad placitum Numinis fingantur; & illas ipſas actiones improbat, quæ extrinſecus quidem recte ſe videntur habere, ab animo tamen impuro promanant.* Hæc Auctor ſcilicet Theologis vindicat: quæ tamen omnia non Chriſtianos tantum Philoſophos, ſed & veteres Ethnicos curaſſe conſtat; quorum adeo ſobria magis, & ſevera, & ſublimis Philoſophia fuit. Ut mirer, Viro inſigni in hac eruditionis luce talia excidere potuiſſe, non minus paraloga, quam paradoxa.

Mollius, quæſo: *Parcius iſta viris tamen objicienda memento &c.* Cum de ejusmodi homine, cujus diſſimulare merita non liceat, ſermo eſt: prius, quam paralogorum iſte palam arguatur, par, crediderim, foret, ſedulo diſpexiſſe, an non ejus ſententiæ favorabilem quandam admittere interpretationem ſint idoneæ. Miror ego, Anonymum in tranſcribendis tot dictis, non adtendiſſe ad eſſentiale aliquod momentum,

quod

Digitized by Google

quod intertriduo eorum, quæ citat, deprehenditur, atque admirationem quidem deponere, moderarique fervorem juſſiſſet: nempe §. 9. ubi disertis verbis dicitur, *Jus Naturale* Magnam Partem *circa formandas hominis actiones exteriores verſari* (1). Quin amplius, in uno ex dictis ipſis ab Anonymo citatis, nonne Auctor tradit, *circa forum divinum*, ad quod actus interiores pertinent, *Theologiæ* Maxime *curæ eſſe*? Eſt ergo ex ipſius mente altera quæpiam diſciplina, ac diſciplina quidem naturalis, quæ internorum illorum actuum leges non negligit. Obſervari id quoque debuiſſet, quod habet Auctor in Opere Majori *lib. I. cap.* 8. §. 2. & in ipſo hoc compendio *cap.* 2. §. 11. 12. Indicandum fuiſſet, agere ipſum de *conſcientia*, variisque ejusdem ſpeciebus *lib. I. cap.* 1. §. 5. *ſeqq.* Verum & inde, quam infirmo talo cenſura Anonymi nitatur, liquido demonſtrari poteſt. Solus ipſe actionis alicujus Auctor dignoſcere & dijudicare tuto valet, an intrinſecus illa, æque ac extrinſecus moraliter bona ſit: ceteris omnibus ſuper hoc non niſi indicia, facile æquivoca, ſuppetere unquam poſſunt. Jam addiſcitur Jus Naturæ, ut de actionibus alienis, æque ac propriis judicari queat: adeoque ſcitorum Juris Naturalis adplicatio ut plurimum exteriori actionum habitu debet terminari. Hanc *adplicationem* ad actiones, ad quarum fontem, non niſi *per effectum aliquem, aut ſignum foras productum*, penetrare licet: illa, *circa quæ forum humanum occupatur.* Auctor, prout ex dictis ipſis heic ab Anonymo citatis conſtat, habet propoſita. Porro, nonne circa ea, quæ homines invicem exigendi *jus* habent, maximam naturalium legum partem verti, in confeſſo eſt? At non ultra actum exteriorem illud *jus* ſe extendit: ubi quis hoc reſpectu omne id, ad quod tenebatur, præſtiterit: quantumvis vitioſus actus interior ſit, nemo quicquam amplius habet poſtulandum, neque revera quicquam amplius debetur; etſi forte interno actionis, qua expletum eſt id, quod debebatur, principio aliquid pravi eorum tribunali divino, ac propriæ conſcientiæ, adhæſerit. Hoc judicium unicuique circa proprias actiones ferendum, ut bonas eſſe illas omni nomine ac innoxias certo ipſi conſtet, Auctor Jure Naturali non excludit; ab eodem tantum in adplicatione ſcitorum Juris Naturæ ad ſingulares caſus, in conſideranda peculiarium cujuscunque actionum moralitate abſtrahit.

*§. VIII. *Platonicorum Stoicorumque*, immo & Poëtarum

§. VII. (1) Vide, quæ dicit Auctor in ſuo *Specimine controverſiarum &c. cap.* 4. §. 19. & locum infra referendum ad §. 11.

rum doctrina fuit, Deos eſſe imitandos: Diis offerendum

(1) *Compoſitum jus faſque animi, ſanctosque receſſus*
Mentis, & incoctum generoſo pectus honeſto.

Neque Philoſopho, ſed Jurisconſulto civili tribuit CICERO, externis contentum eſſe: leges enim docet curare, quæ manu teneri poſſunt; Philoſophos, quæ ratione & intelligentia. Adeone degenerabit apud *Chriſtianos* Philoſophia, quam *Ethnici* tam ſanctam & generoſam habuere? De laxitate ARISTOTELIS multi veterum queſti ſunt: ille ipſe tamen longe altius ſurrexit, eumque ſcholæ recte hic ſunt ſecutæ. Præclare enim *Ariſtotelica* Philoſophia ad juſtitiam univerſalem omnes refert virtutes; debemusque non nobis tantum, ſed & ſocietati, eique maxime, quam cum Deo, naturali lege cordibus inſcripta, colimus, ut animum habeamus veris imbutum ſententiis, voluntatemque ad recta conſtanter tendentem.

Singula iſta male adplicata pariter, ac trivialia ſunt, atque ſtipata ſemper acri quadam objurgatione, unice fundata in falſa hypotheſi, quam ſuperius indicavimus. Num oblitus eſt Anonymus, Auctorem capite *de Officiis hominis erga ſe ipſum*, in eo potiſſimum occupari, ut oſtendat, qua ratione ex lege naturali quilibet formando animo ac voluntati, illo veris ac utilibus notitiis imbuto, hujus vero rite temperatis motibus, adlaborare teneatur? Haud in genuino ſuo ſenſu heic, ſpectatum CICERONIS (2) dictum capitur. Ibi enim nec de actibus mere internis quæritur, nec de actionibus exterioribus, conſideratis, quatenus a bona diſpoſitione interna proficiſcuntur, aut minus: ſed tantum de læſionibus aut fraudibus quibusdam ſubtilioribus, ac in foro civili impunitis, etſi extrinſecus æque manifeſte, ac aliæ graviores pateant. Ex omnibus argumentis exemplisque, quæ conſequuntur, aut antecedunt, liquido illud colligitur. Immediate ante iſtam ſententiam, Orator Romanus de iis, qui non bona fide emtori defectus in re vendita ſibi cognitos indicant, ſermonem injecerat.

*§. IX. Neque adparet, quis ſit in Jure Naturæ locus

§. VIII. (1) PERS. Satyr. II. 72. ſeq.

(2) Exſtat tractatu *de Officiis*: *ſed aliter leges, aliter Philoſophi tollunt aſtutias: leges, quatenus manu tenere poſſunt: Philoſophi, quatenus ratione & intelligentia, lib. III. cap. 17.*

cus jurijurando, (cujus tamen Auctor ipſe vim in eo magnam eſſe fatetur) ſi internorum ibi cura nulla eſt.

Veroſimile eſt, hanc obſervationem compoſita jam tota Epiſtola demum adjectam, adeoque etiam male collocatam fuiſſe: cum interrumpi eadem ratiocinii filum quilibet conſpiciat. Temere ſemper ſupponit Anonymus, internorum animi actuum curam. ex Auctoris ſententia, plane alienam eſſe a ſcientia Juris Naturæ. Ceterum vero nonne jusjurandum eſſentialiter actum externum, æque ac internum complectitur? Fateor quidem, actus externi vim originarie ab interna jurantis diſpoſitione pendere. Aſt præterquam quod illa diſpoſitio eo ipſo, quod interna ſit, hominibus occulta manet, quibus meræ ſuper hoc præſumtiones ſuppetunt: nonne ad ſervandum jusjurandum, circa rem non illicitam aut invalidam præſtitum, quis omnino obligatur, etſi jurandi ipſi intentio defuerit? Et nonne graviſſimum foret peccatum jurare ſuper re quapiam illicita, quamvis ore tantum juraretur?

*§. X. Itaque qui educationis aut inſtitutionis aliorum regendæ poteſtatem habet, Jure Naturæ obligabitur ad mentes etiam præclaris monitis informandas, curandumque, ut virtutis adſuetudine, tanquam altera natura, voluntates ad honeſta ferantur. Ea tutiſſima præcipiendi ratio: nam, ut pulchre monitum (1) ARISTOTELI, plus poſſunt mores, quam leges. Et quanquam fieri poſſit, ut aliquis ſpe metuque pravas cogitationes comprimat, ne noceant (quod tamen ægre fit): tamen non efficiet, ut proſint. Itaque qui non recte animatus erit, ſæpe peccabit ſaltem officii omiſſione. Ut adeo etiam parum tuta aut facilis ſit hypotheſis, quam Auctor noſter conſtituit, animi intus pravi, foris innoxii.

Hoc vero eſt unum ſemper idemque referre, *eadem oberrare chorda*. Inſpiciantur modo, quæ tradit Auctor hoc Compendio *lib. II. cap.* 3 §. 2. & *cap* 11. §. 4. ut Opus Majus taceamus, ubi multo fuſius de hoc momento agit: & mirari ſane ſubierit, Anonymum in levidenſi ejusmodi ſcripto tot temere tamen verba profundere.

*§. XI. Equidem laudandi ſunt viri quidam eruditi, *Pu-*

§. X. (1) Ipſe Auctor noſter dictum aliquod hujus Philoſophi, quo hoc ſtatuitur, retulit: cui adjecta ſunt alia in notis ad *J. N. & G. lib. VII. cap.* 9. §. 4.

Puſendorſianæ alioqui doctrinæ fautores, quod ſententiam duriorem & reprehenſionibus obnoxiam emendarunt, & quod Juri Naturæ negant, ſaltem *Philoſopho Morali*, aut *Theologo Naturali* tribuunt, curam ſcilicet internorum. Sed quum in internis quoque jus & obligationem, peccataque in Deum, & rectas actiones natura conſtitui, nemo negare poſſit: ubi, quæſo, tractabuntur hæc naturalis utique juris juſtitiæque capita, niſi in ſcientia Juris Naturalis? Niſi quis aliam quandam univerſalem jurisprudentiam confingat, quæ Jus Naturale reſpectu non hominis tantum, ſed & Dei comprehendat; quod inane fore & ſuperfluum, nemo non videt.

Nihil. magis eſt arbitrarium, quam diſciplinarum diviſio. Modo illud omne, quod ad eas, quæ nexum inter ſe aliquem habent, pertinet, in alterutra deprehendatur; atque in tractanda peculiari aliqua ſcientia, cujus conſtitueris limites, nihil eorum omittatur, quæ ad definitum ſpatium neceſſario requiruntur: non eſt, quod præterea quisquam deſideret. Jam hæc eſt, quam ipſe Auctor jam dudum dedit, reſponſio; unde etiam adparebit, in eo, quod *emendationem ſententiæ ejusdem* vocat Anonymus, laudatos viros eruditos ipſius tantummodo placita ſecutos eſſe: (a) *Quincunque*, ait, *librum meum de Jure Naturæ & Gentium, non ſolo calumniandi animo inſpexit, facile deprehendit, mihi præcipue propoſitum fuiſſe, officia hominum erga ſe invicem tradere, & quid juris inter homines mutuo exerceatur; cui fini nullum commodius principium adſumi, quam ſocialitatem poſſe, in aprico eſt. Et eam ob rationem caput de religione Naturali in eo libro nuſpiam exſtat. Hoc quippe conſectarium eſt doctrinæ naturalis de Deo, quam alii ad* Philoſophiam primam *referunt, alii peculiari diſciplina ſub vocabulo* Theologiæ Naturalis *adornant; eoque nativam velut ſedem in diſciplina Juris Naturalis non ſortitur. Sed cum poſtea in uſum juventutis* Officia Hominis & Civis juxta legem naturalem *in compendium redigenda forent: caput* de Religione Naturali *ex illa ſive* Theologia Naturali, *ſive* Philoſophia prima *mutuo ſumſi, & in eum libellum tranſtuli.* Facta a tam longo tempore hujusmodi declaratione, Auctor ab intemperantioris cenſuræ aculeis tutus utique eſſe debuiſſet.

(a) *Specim. Controverſ.* cap. 5. §. 25.

*§. XII. Quin potius in ſcientia juris, a divina juſtitia, tanquam fonte, humanam, ut plena ſit derivari convenit. Notio certe juſti non minus, quam veri ac boni, etiam ad Deum pertinet, immo ad Deum magis,

Digitized by Google

gis, tanquam menſuram ceterorum; communesque regulæ utique in ſcientiam caduut, & in jurisprudentia univerſali tradi debent; cujus præceptis etiam Theologia Naturalis utetur. Itaque Jus Naturale præter rem coarctantibus adſentiri non poſſumus: quanquam is lapſus periculum non habeat, modo internam probitatem ſaltem alteri Philoſophiæ parti ſerves, nec plane revelatis præceptis tranſcribas.

Juſtitia divina, & juſtitia humana aliquid quidem inter ſe commune habent, nec unquam invicem ſibi adverſantur: ast iis alias cum ratione originis, tum ratione ambitus tantum intercedit diſcrimen, ut, accurate loquendo, divinam juſtitiam humanæ fontem eſſe ac menſuram, dici nequeat. Deus natura ſua juſtus eſt: neque agere, neque agere velle, niſi juſte, poteſt: hæc felix in ipſo eſt impotentia, glorioſaque neceſſitas, ex infinita ejus perfectione unice oriunda. Quam longiſſime vero ab eo abſunt homines, ut natura ſint juſti. Juſtitia qualitas eſt, quam adquirere debent: eaque obligatio ipſis a principio aliquo externo, voluntate nempe Dei ipſius, non vero ejus juſtitia, prout mox videbimus, eſt impoſita. Quin de juſtitia humana potius conſtat, quam de divina; quemadmodum illud poſt Auctorem noſtrum obſervavi ad J. N. & G. *Lib. II. cap.* 3. §. 5. *not* 5. Quod ad ambitum adtinet: ipſa divinæ naturæ excellentia efficit, ut eidem plures juſtitiæ humanæ actus haudquaquam convenire queant; animadvertente pariter Auctore in locis Operum ſuorum Polemicorum, ad quæ in nota mox citata Lectorem ablegavi. Anonymus, cui legenda ac refellenda iſta ſingula fuiſſent, obſtringetur ex iis, quæ in fine hujus paragraphi agnoſcit, Auctorem noſtrum ſaltem reprehenſione conſtitutæ *parum tutæ hypotheſeos* liberare: cum ex loco ad præcedentem paragraphum relato manifeſtiſſimum ſit, Auctorem ex diſciplinis philoſophicis curam *internæ probitatis* neutiquam excluſiſſe.

*§. XIII. Hactenus de *fine* & *objecto*: nunc ſupereſt, ut de *cauſa efficiente* Juris Naturæ, non bene ob Auctore conſtituta, dicam. Hanc enim ille non in rerum natura, rectæque ſecundum hanc rationis præceptis, a divina mente emanantibus; ſed (quod mirum, & contradictioni obnoxium videbitur) in ſuperioris decreto quærit. Nempe *Lib. I. cap.* 1. §. 1. *officium* definitur, *actio hominis pro ratione obligationis ad præſcriptum legum rite adtemperata.* Et mox *cap.* 11. §. 2. *Lex* definitur, *decretum, quo* ſuperior *ſibi ſubjectum obligat, ut ad*

iſtius

iſtius præſcriptum actiones ſuas componat. Quæ ſi admittimus, nemo ſponte officium faciet; immo nullum erit officium, ubi nullus eſt ſuperior, qui neceſſitatem imponat; neque erunt officia inter eos, qui ſuperiorem non habent. Et quum Auctori officium, & actus a juſtitia præſcriptus, æque late pateant: quia tota ejus jurisprudentia naturalis in officii doctrina continetur; conſequens erit, omne jus a ſuperiore decerni. Quæ paradoxa ab HOBBIO potiſſimum prodita, qui in ſtatu, quem vocat, naturali, id eſt, ſuperioris exſorte, omnem juſtitiam obligantem tollere viſus eſt, (etſi ipſe variet) miror a quoquam adoptari potuiſſe. Ergone contra juſtitiam non faciet ſumma poteſtate praeditus, qui tyrannice in ſuos graſſabitur, qui ſubditos pro libidine ſpoliabit, adfliget, per tormenta necabit; qui bellum alteri ſine cauſa inferet?

Id, quod ſtilo ſcholaſtico, *cauſam efficientem* Juris Naturæ heic vocat Anonymus, nihil aliud eſt, quam ratio, propter quam ad conformandum ſeſe naturalis legis præceptis quis obligetur. Agnoſcit Auctor noſter, (nec prætermittendum illud ſilentio erat) iſta præcepta, in ſe conſiderata, fundamentum ſuum in ipſa rerum natura habere; ita ut Deus nihil contrarii, niſi ipſe ſibi adverſus, præcipere potuerit. Vide J. N. & G. *Lib. I. cap.* 2. §. 5. 6. & quæ ex reliquis ejus ſcriptis excerpi ad *cap.* 1. §. 4. *not.* 4. Verum ſtatuit, conſiderationem naturæ rerum non id eſſe, quod proprie ac directe neceſſitatem certo modo potius, quam altero agendi, imponat. Hoc quidem loco Anonymus adgreſſurum ſe maximo ſucceſſu Auctorem videtur confidere. At ſpero, fore, ut ſedulo expenſis, quæ a nobis adnotabuntur, liquido adpareat, nulla forte alia parte ejus cenſuram inſtabiliore niti fundamento.

Statim obſervaverim, totum hunc paragraphum præter rem eſſe: cum ipſe fateatur Anonymus §. 15. ex Auctoris noſtri ſententia, omnes homines, in quocunque verſentur ſtatu, communi ſuperiori, nempe Deo, per naturam ſubdi. Cur fingantur ultro monſtra, quæ adgrediaris? Cur odioſa inſtituatur comparatio cum principiis HOBBII, quæ auctoris noſtri principiis ita e diametro ſunt oppoſita?

*§. XIV. Hinc etiam nullum *jus gentium voluntarium* quidam viri docti, ab Auctore noſtro perſuaſi, admittunt, ob eam inter alias rationem, quod pactis mutuis jus efficere gentes non poſſint: quia ſcilicet a nullo

lo ſuperiore valida reddatur obligatio. Quo argumento nimium efficient, ut ſcilicet nec conſenſu & pactis homines ſuperiorem ſibi conſtituere poſſint; cujus contrarium tamen ipſe HOBBIUS agnovit.

Qui *jus gentium voluntarium*, Anonymo cum vulgo Juriſconſultorum Scholaſticorum adoptarum, & merito rejiciunt, ea non nituntur ratione, quod gentes, quia deſit communis ſuperior, nullam inter ſe validam inire conventionem poſſint: ſed adferunt, prout verum quidem eſt, iſtas *conventiones* non eſſe leges, proprie ſic dictas, quia inter pares fiant; dum a *ſuperiore lex* omnis proficiſcatur. Contendunt porro, (nec oſtendit quisquam, aut oſtenſurus eſt contrarium) non exſtare generalem omnium gentium conventionem circa res illas mere arbitrarias, quas moderari ſuppoſitum illud jus gentium debuerit. Si ulla ſubſit obligatio ratione momentorum, quæ eo referuntur, & vere arbitraria ſunt: (aliqua enim eorum capitum, quæ iſti gentium juri adſcribuntur, fundata deprehenduntur in ipſo Jure (*a*) Naturæ, adeoque gentium conſenſu non indigent) ſi, inquam, ratione momentorum vere arbitrariorum ulla obligatio ſubſit: inde, meo judicio, fuerit, quod, cum apud pleroſque populos, citra ullum quidem generale inter eos pactum, uſus eadem ſenſim introduxerit, hinc cenſeatur quis, ac cenſeri poſſit velle ſe eo accommodare, ubi ſuſcepto ſuper aliqua ejusmodi re negotio non manifeſte declaraverit, nolle ſe receptam conſuetudinem ſequi, quod quidem unicuique eſt integrum. Hæc obſervatio, cujus in notis meis ad GROTIUM frequens adplicatio videbitur, evertendis fautorum juris gentium voluntarii maxime ſpecioſis argumentis inſerviet.

(*a*) Vide J. N. & G. *Lib. II. cap.* 3. §. 23.

*§. XV. Equidem medela aliqua videtur adferri poſſe huic doctrinæ, conſiderando Deum velut omnium ſuperiorem: quod etiam ſubinde fit ab Auctore. Nempe dicet aliquis, dogma offendere tantum ſpecie pravitatis; ſi vero profundius introſpicias, nihil mali deprehendi; quum ſemet corrigat, & remedium ſecum ferat; quoniam ſtatus ſine ſuperiore fingi quidem poſſit docendi gratia, exiſtere autem non poſſit, quod omnes per naturam Deo ſubdantur. Ita jam & pacta hominum ſuperiorem, & conſenſus gentium jus facient, Deo pactis validitatem præbente. Atque hoc quidem de Deo, natura omnium ſuperiore, veriſſimum eſt: ſed tamen ipſa per ſe doctrina offenſione atque errore non caret, quæ habet, jus decreto ſuperioris naſci; utcunque excuſes,

cuſes. Nam ut taceam, quod (1) GROTIUS bene notavit, fore aliquam naturalem obligationem, etſi daretur, quod dari non poteſt, Deum nullum eſſe, aut licet divina exiſtentia ſeponatur tantisper; quoniam certe multa ab hominibus erga alios exigit propriæ conſervationis commoditatisque cura; quæ HOBBIUS etiam pro parte adnotavit; & hoc obligationis vinculum latronum ſocietates exemplo ſuo confirmant, dum aliis hoſtes, inter ſe quædam officia colere coguntur; quanquam, ut jam notavi, imperfectum ſit valde Jus Naturæ, quod hoc ſolo fluat: hæc, inquam, ut taceam, ſciendum eſt, Deum ipſum laudari, quod juſtus eſt; adeoque eſſe quandam, immo potius eſſe ſummam ipſius Dei juſtitiam, etſi ſuperiore careat, & ſponte naturæ excellentis omnia bene agat, ut nemo de eo cum ratione queri poſſit. Neque ipſa norma actionum, aut natura juſti, a libero ejus decreto, ſed ab æternis veritatibus, divino intellectui objectis, pendet; quæ ipſa, ut ſic dicam, divina eſſentia conſtituuntur: meritoque a Theologis Auctor reprehenſus eſt, quando contrarium defendit, credo, quod pravas conſequentias non perſpexiſſet. Neque enim juſtitia eſſentiale Dei adtributum erit: ſi ipſe jus & juſtitiam arbitrio ſuo condidit. Et vero juſtitia ſervat quaſdam æqualitatis proportionalitatisque leges, non minus in natura rerum immutabili, diviniſque fundatas ideis, quam ſunt principia Arithmeticæ ac Geometriæ. Neque adeo juſtitiam aut bonitatem quisquam divini arbitrii eſſe defendet, niſi qui & veritatem: quod paradoxon inauditum CARTESIO excidit, inſigni documento, magnos poſſe viros magnopere labi: quaſi ſcilicet triangulum ſit trilaterum, aut duo contradictoria incompatibilia ſint, aut denique ipſe exiſtat Deus, quia ita Deus juſſit. Sequeretur etiam, quod quidem imprudenter dixere, Deum jure poſſe damnare innocentem, quando hoc ipſum jus facere poterat. Nimirum qui talia excidere ſibi paſſi ſunt, non diſtinxere juſtitiam ab ἀνυπευθυνία. Deus ob ſummam in omnia poteſtatem eſt ἀνυπεύθυνος; quum nec cogi, nec puniri poſſit, neque rationibus cuiquam reddendis obnoxius ſit: ſed ob juſtitiam ita agit, ut omni ſatisfaciat ſapienti, & quod ſummum eſt, ſibi.

De-

§. XV. (1) De *Jure Belli ac Pacis*, *Prolegom.* §. 11.

Debili valde modo heic ſtatim loquitur Anonymus, obtendendo tanquam benignioris alicujus judicii teſtimonium, excuſationem illam, qua Auctorem noſtrum, parum ſibi conſtantem, conſequentiarum periculum prævertiſſe innuit. Credas, (*a*) incidenter tantum, ac nullo fere conſilio, Auctorem, de Deo, ceu omnium hominum ſuperiore, mentionem injicere. Sed nonne iſti principio, velut (2) principali ſuo fundamento, univerſum ejusdem ſyſtema ſuperſtruitur? Invitus quidem eloquar: at nihil tandem verius: nec id juverit diſſimulaſſe, quod demonſtrare jam ad oculum obſtringor: non intellectis ſatis Auctoris noſtri principiis, Anonymus in ejus cenſuram deſcendit; atque inde fit, ut ſtatum quæſtionis non rite ingrediatur.

(*a*) *Quod etiam ſubinde fit ab Auctore &c.*

Non hæc Auctori noſtro ſtat ſententia, ac ſi id omne, quod *jus* vocatur aut *juſtitia*, a *voluntate*, nedum *arbitrio* ſuperioris emanet. De *jure* loquitur ac *juſtitia*, quæ obnoxiis imperio entibus conveniunt: inveſtigat normam *actionum humanarum*. Centies repetiit, Deum ſumme eſſe juſtum: (3) ipſum conſtantiſſime juſtitiæ regulas, immenſis ſuis perfectionibus conformes, ſequi, ita quidem ut aliter agere neque velit, neque velle poſſit; ſed eo etiam modo, ut propter ejus ἀνυπευθυνίαν nemini jus ſit exigendi, ipſum ita vel ſecus agere, aut ad reddendam geſtorum rationem eundem adſtringendi. Agnovit quoque, reſpectu hominum, Creatoris licet imperio ſubjectorum, non arbitrio Dei jus ac juſtitiam condi; nec potuiſſe Deum, ſalvis ſuis perfectionibus atque eſſentia, hominibus alias, quam juſtitiæ regulas, in natura ipſorum fundatas, præſcribere. Verum ſtatuit nihilominus, propriam ac directam rationem, quare ad ſequendas juſtitiæ leges homines *obligentur*, id, quod ipſis *neceſſitatem* moralem ſe ad easdem adtemperandi imponit, eſſe voluntatem Dei, cui ut ſupremo Domino, naturalem eorum libertatem pro lubitu conſtringendi pleniſſimum jus competit.

Ita corruunt omnes illæ *pravæ conſequentiæ*, quas Anonymus defendendis Scholaſticorum quorundam *Theologorum*, qui ſuperſtitem jam tum Auctorem ſugillarunt, præjudicatis opinionibus adfectibusque promtior, eorum exemplo, ex innoxia omnino ſententia, circa quam ſiniſtræ interpretationes jam abunde retuſæ erant, elicere inſtituit. Atque huc redit quæſtio: *an proximum & immediatum fundamentum neceſſitatis hominibus incumbentis, ea faciendi, quæ Deus certe vult ab ipſis fieri, ſit illa ipſa Dei voluntas, an aliud quidpiam?*

Non

(2) Vide *cap.* 3. hujus Compendii §. 10. 11.

(3) Vide J. N. & G. *lib. II. cap.* 1. §. 3. & *cap.* 3. §. 5. 20. nec non in *Erid. Scand. Apolog.* §. 7. 8. *Specim. Controverſ. cap.* 4. §. 3. *ſeqq.* & *cap.* 5. tot. &c.

Digitized by Google

Non bene in principiis ſuis ſibi conſtat Anonymus: nimium dicit, aut non ſatis. Fundamentum quippe obligationis obſervandi Jus Naturæ collocat (§. 13.) in *ipſa rerum natura, rectæque ſecundum hanc rationis præceptis*, conſiſtentibus (§. 15) in *quibusdam æqualitatis proportionalitatisque legibus:* ſupponit, *aliquam fore naturalem obligationem etſi daretur Deum nullum eſſe.* Attamen *jus, quod hoc ſolo fluat*, *valde imperfectum* habet, ac terminatum eo, quod *propriæ conſervationis commoditatisque cura* exegerit. Jam iſtæ *æqualitatis ac proportionalitatis leges*, iſta *rectæ ſecundum naturam rationis præcepta*, nonne in ſingulis ac quibuscunque officiis locum habent? Nullum excipit, aut excipere Anonymus poteſt. Admittere ergo neceſſum habet, ſecretis quidem illis, quæ Directe Deum reſpiciunt, reliqua omnia, ſublata etiam Dei exiſtentia, in toto ſuo vigore ſubſtituta eſſe. Enimvero eadem ſemper natura rerum remanet: & quamvis de *ideis intellectus divini* loquatur Anonymus; non in iis tamen ideis naturam rerum, nexusque inde reſultantes contemplamur; quemadmodum non in ſubtiliori aliqua Metaphyſica, egregia Naturalis Juris ac doctrinæ moralis principia quærere conſultum fuerit. Aſt heic iterum, ut jam ſupra §. 6. Anonymus *honeſtum* cum *utili* manifeſte confundit; quod etiam allato *ſocietatis latronum* exemplo conſtat. An enim honeſti cura, perditi homines prædam e. g. æqualiter inter ſe dividant? Num credas, illos ducturos religioni, aliquam, ſi fieri poſſit, portionem avertere, aut habendam eſſe talis ſcrupuli rationem, tanquam obſervati ipſis officii?

Nullum itaque datur medium: *obligatio* legum juſti inter homines aut prorſus non pendet a Deo, ac unice in ipſa rerum natura fundata eſt, ſicuti *principia Arithmeticæ ac Geometriæ*; aut vero in natura rerum eadem plane non fundatur. Jam autem natura rerum per ſe obligationem, proprie ſic dictam, imponere nobis non poteſt. Qualiscunque ſe æqualitatis ac proportionalitatis, convenientiæ aut diſconvenientiæ nexus in natura rerum prodat: hoc ſolo non niſi ad agnoſcendum iſtum nexum inducimur. Aliquid amplius accedat, neceſſe eſt, ut conſtringatur libertas noſtra, ac ad componendas certo quopiam modo noſtras actiones compellamur. Neque ratio, in ſe conſiderata, ac ſemoto Creatore, qui ea nos dotavit, injicere nobis poteſt neceſſitatem illas notiones ſequendi, etſi easdem, tanquam in natura rerum fundatas adprobet. 1. Enim abſtractis hiſce ac ſpeculativis ideis adfectus ſenſibiles quasdam ac patheticas ideas opponunt: in pluribus actionibus, quibus aliquis diſconvenientiæ nexus ineſt, longe vividiorem nexum, ſenſum voluptatis easdem, ipſo, quo ſuſcipiuntur, momento comitantem, nobis repræſentant. Si ab ejusmodi actionibus intellectus lumen nos avertat:

tat:

ſat: multo validiore motu inclinatio voluntatis, nos ad eas propellit. Cur ergo illud magis, quam hanc ſequamur: ſi nullum exiſtit principium externum, nullum ens ſuperius, quod nos eo adſtringat? Nonne hac hypotheſi inclinatio voluntatis æque naturalis eſt, ac ideæ intellectus? Ratio, inquies, liquido pandit, obſervatis convenientiæ legibus in natura rerum fundatis, proſpectum iri melius commodis noſtris, quam ſi dirigi nos adfectibus patiamur. Aſt, miſſis quoque iis, quæ ex adverſo adfectus facile occinuerint: non hic de *utilitate* quæritur, ſed de *officio* ac *obligatione.* Fateor, quod jam quidem ſupra obſervavi, ſi res penitius exploretur, deprehenſum iri, omnibus bene expenſis, commoda noſtra exigere, ut dictamini rationis aurem præbeamus. Nonne vero renunciare utilitatibus ſuis cuilibet licet, quamdiu nihil eſt, quod prohibeat, quamdiu nullus alter exiſtit cujus interſit, ut ne rebus ſuis ille noceat, cuique jus competat exigendi, ut iisdem invigilet? Adeoque neglectis convenientiæ ideis, in natura rerum fundatis, *imprudenter* tantum actum fuerit: & vero imprudentia heic non opponitur *officio* proprie ſic dicto; quandoquidem, an aliquod exſtet officium, adhuc inquirimus.

2. Verum quod in primis ſedulo adtendendum, ac evertendæ adverſæ opinioni ſufficit, hoc eſt, quod ratio noſtra, extra omne imperium Creatoris, cui eam acceptam referimus, conſiderata, revera nihil aliud ſit, quam nos ipſi. Jam vero nemo ſibi ipſi neceſſitatem hoc vel illo modo agendi, aut non agendi, imponere poteſt. Ut enim vere locum habeat neceſſitas, requiritur omnino, ut non pro lubitu ejus, qui eidem ſubjectus eſt, tolli queat: alias in nihilum ipſa abierit. Si ergo is, cui imponitur neceſſitas, ille ipſe ſit, qui eam impoſuit: liberari eadem, quandocunque placuerit, poterit; aut potius nulla adfuerit vera *obligatio:* pariter ac transeuntibus in *debitorem* bonis ac juribus *creditoris*, nullum ſupereſt *debitum.* Paucis, quæ antiqua eſt SENECÆ obſervatio, *nemo ſibi debet*, accurate loquendo . . . *hoc verbum*, debere, *non habet niſi inter duos locum. De Benefic. lib. V. cap.* 8.

Concludo, rationis etiam dictamina, quantumvis naturæ rerum conformia, nullam inducere *obligationem*, donec illa ipſa ratio nobis Auctorem exiſtentiæ ac naturæ rerum omnium detexerit. Et quæritur jam, unde tunc proveniat *obligatio:* an a voluntate Dei, an ab alia quapiam re in ipſo exiſtente.

Heic vero haud videtur valde eſſe ambigendum. Ex quo enim rectam de Deo notionem quis habuerit: jus, quod ipſi competat, facultatibus nobis conceſſis, quos lubet, limites conſtituendi, non potuerit non agnoſcere. Neque minus fuerit liquidum, ipſum certo *velle*, homines ſequi lumen ſuæ

rationis, tanquam quod in ſe eſt præſtantiſſimum, ac ſolum eos ad naturæ ſuæ deſtinationem perducere idoneum. In ipſius porro *voluntate* quicquid ad fundandam *obligationem* pertinet, deprehenditur: quippe cum ea voluntas ſit Superioris omnium hominum, ac voluntas cum univerſis divinæ naturæ perfectionibus nunquam non conſentiens. Cur ergo aliud principium quæratur, quam illud, quod omnium patet captui, ac tam prone ex nexu inter *creatorem* & *creaturam* conſequitur?

Qualecunque aliud Numinis adtributum intuearis: remota ejusdem voluntate, non ſolidius in eo *obligationis* fundamentum, quam in ipſa natura rerum invenies. Si per impoſſibile concipere *Epicureorum* more Numen liceret, nulla tactum cura, an homines modo naturæ rerum ac propriæ conformi agerent, vel minus: talis Numinis conſpectus, vel cum maxime infinitis alias in ipſo elucentibus perfectionibus, ad ſummum nil niſi exemplum nobis ſuppeditaret; & vero exemplum per ſe nullam imitandi imponit neceſſitatem. Vel potius, niſi ſuppoſueris, Deum *velle*, ut homines, ac univerſæ creaturæ intelligentes, leges juſti inter ſe obſervent: quo ejus abierit juſtitia? Adverſus quem eam exercuerit? Ad quid conduxerit? Sanctusne fuerit & juſtus, ſi tales eſſe homines, vel minus, perinde quaſi habeat; ſi non eos ad hoc ipſum ſtrictiſſime *obliget?*

Dicas, quod ipſos ad hoc *obliget*, etſi jam ante ſuam *voluntatem* obligati fuerint: hoc vero ipſo iſtam voluntatem heic merum aliquod acceſſorium, quod ad ſummum *obligationem* tantum validiorem reddat, conſtitues. Ambitus imminuetur ſupremæ ejus auctoritatis, eaque ad imperium rerum in ſe indifferentium reſtringetur. Non major voluntat Numinis ratione legum juſti vis adſcribetur, quam principis, patris, heri, aut cujuscunque alterius in his terris ſuperioris, qui poteſtati ſuæ obnoxios vult honeſtati morum ſtudere. Denique an in ſacris litteris quicquam eſt uſitatius quam ut obſervatio officii, virtutis cura, per *impletionem voluntatis divinæ* exprimatur? Quod exemplum ſuum (*a*) ſubinde Deus imitandum proponat: hoc teſtatur quidem ſe nihil ab hominibus exigere, quod non ipſe faciat, quantum ſupremæ ſuæ perfectiones poſtulant aut patiuntur; ſeque adeo (*b*) *aſperum dominum* non eſſe.

(*a*) *Matth.* V 48. *Luc.* VI. 36.

(*b*) *Matth.* XXV. 24.

* §. XVI. Atque hoc etiam non parum ad praxi veræ pietatis facit. Neque enim ſufficit, ita nos De ſubmiſſos eſſe, uti etiam tyranno obediremus; nec tantum timendus eſt ille ob magnitudinem, ſed etiam amandus ob bonitatem, quæ non magis a ſcriptura ſacra, quam

quam a recta ratione præcipiuntur. Atque huc ducunt meliora univerſalis jurisprudentiæ principia, quæ etiam cum ſana Theologia conſpirant, & ad veram virtutem excitant. Tantumque abeſt, ut, qui non ſpe aut metu a ſuperiore, ſed propenſione animi recte agit, juſte non agat, ut ipſe potiſſimum juſte agat, quadam divinæ juſtitiæ humana imitatione. Nam qui amore Dei aut proximi benefacit, in ipſo recte facto invenit voluptatem, (ea enim amoris natura eſt) neque alio ſtimulo indiget, aut juſſu ſuperioris opus habet: ac de tali dictum eſt, (a) *legem juſto poſitam non eſſe.* Usque adeo abhorret a ratione, ſolam legem aut coactionem juſtum facere: tametſi fatendum ſit, eos, quorum animus eo perfectionis non devenit, non niſi ſpe metuque obligari; & in divinæ maxime vindictæ exſpectatione, quam nec morte effugere detur, neceſſitatem plenam & in omnes valituram ſervandi juris & æqui poſſe inveniri.

(a) *Timoth.* I. 8.

Hæc monita principiis Auctoris noſtri neutiquam adverſentur: aliqua etiam a ſtatu quæſtionis abeunt. Quamvis *obligatio*, proprie ſic dicta, leges *juſti* obſervandi, fundetur in voluntate Dei, qui tanquam ſupremus dominus nos eo adſtringit: haudquaquam tamen inde ſequitur, Deo tantum veluti *tyranno*, aut ſolo metu obediendum eſſe. Ac nimis profecto liberalis eſt Anonymus in eliciendis odioſis conſequentiis ex principiis, quibus id contigit infortunii, ut ipſi diſpliceant. Quicunque veram de Deo notionem habet, intelligit, ipſum bonum æque, ac magnum, ejusque voluntatem perfectionibus ipſius neceſſario conformem eſſe; ſapientem adeoque ac ſanctam, & quæ nil, niſi juſtum non ſolummodo, ſed & nobis proficuum velle queat. Ita ut, & cum Deus nobis res in ſe adiaphoras injungit, ipſi veluti patri optimo, nullatenus tanquam tyranno obtemperandum ſit. Conformare ſeſe ad ſanctiſſimam illam ac optimam voluntatem, cui te agnoſcas ſubmiſſum: hoc eſt *ex officio agere:* hoc univerſis hominibus neceſſitatem moralem, ſecreto omni alio reſpectu, imponit. Spes aut metus ſunt tantum rationes, quibus ad obſervationem *officii* extimulemur; quibus hærentem nobis forte repugnantiam ſuperemus, ac in vehementioribus tentationibus ſuffulciamur.

Aliena itaque a propoſito quæſtio eſt: uter agat juſtius, qui ſpe aut metu a ſuperiore; an qui propenſione animi recte agat? Felix iſta propenſio, ut ſit laudabilis, lumine procul dubio colluſtrata eſſe debet, adeoque producta vera notione

cum ipſius officii, tum Numinis, in quo ſeparari recte non poteſt nexus Creatoris ac Rectoris generis humani, ab ejusdem *voluntate*, ut homines juſtitiæ leges, naturæ ſuæ conformes, ſequantur.

Ut adferretur aliquid, principia Auctoris noſtri ferire aptum, quærendum foret, uter ſit juſtior, an qui virtuti dat operam, quia ab ſanctiſſima Dei voluntate impoſitam ſibi ejus obligationem credat; an vero qui inſcius aut immemor, ſe pendere a Deo, eumque velle, ut ad virtutis leges ſeſe adtemperet, ipſas jam tanquam meras convenientiæ regulas, in natura rerum, aut etiam *in ideis æternarum veritatum, divino intellectui objectarum*, fundatas obſervaret? Quæſtionem deciderit Anonymus.

Obſervaverim, occaſione commemoratæ propenſionis in bonum, inſignem equidem in Deo eſſe perfectionem, quod non niſi modo naturæ ſuæ convenienti agere queat: verum quod ad homines adtinet, eſſentialiter imperfectos ac legi alicui ſubjectos, (1) feliciores illos eſſe habendos, quam de ſe melius merentes, qui naturæ aut educationis beneficio talem conſecuti fuerint diſpoſitionem, ut nullo negotio in officium ferantur. Ita quidem, ut qui repertis vel in naturali ſua conſtitutione, vel in prava, cui ab infantia permisſus eſt, adſuetudine, validioribus obſtaculis, eadem vincere nititur, ac vincit, is profecto *juſtior* ſit, ac laudabilior altero, cui, ut bonæ frugis foret, nullo fere labore opus fuit.

Ex iis autem, quæ jam dicta ſunt, prorſus evaneſcit commodum illud, quod ex ſuo, excluſo Auctoris noſtri ſyſtemate, Anonymus *ratione praxeos veræ pietatis* derivare pertendit. Veriſſimum e contrario, a partibus noſtris manifeſte ſtans commodum ipſi opponere poſſumus. Nempe quod utrumque illud vitioſum extremum, in quod circa hanc materiam multi collapſi ſunt, pariter evitemus: quorum alterum eſt falſa ſententia illorum Philoſophorum ac Theologorum, qui ſtatuerunt, pendere juſtum a mero Dei arbitrio, & poſſe ipſum, ſi velit, contrarium juſtum efficere; alterum, eorum opinio, qui juſtum concipientes, tanquam a voluntate Dei liberum, idque unice in natura rerum fundantes, virtutem quoque tanquam liberam a religione, ac Atheismum; tanquam ſyſtema, quod morali doctrinæ ac Juri Naturali omnem ſuam vim relinquat, repræſentarunt. Conſtat, quanto

§. XVI. (1) *Itaque ego illum feliciorem dixerim, qui nihil negotii ſecum habuit: hunc quidem de ſe melius meruiſſe, qui malignitatem naturæ ſuæ vicit, & ad ſapientiam ſe non perduxit, ſed extraxit.* SENEC. Epiſt. LII. Vide, quæ antecedunt.

Digitized by Google

to niſu BAYLIUS, Atheorum cauſam agens, oſtendere conatus ſit, (a) *poſſe illos credere ſe obligatos ad ſequendas rectæ rationis ideas, tanquam regulam boni Moralis a bono utili diſtincti.*

(a) *Contin. cogit. circa cometam.* art. CLII.

* §. XVII. Ex his intelligi datur, quantum juventutis, immo reipublicæ interſit, meliora ſcientiæ juris principia conſtitui. Neque recte d. c. 11. §. 4. dicitur, *Superiorem non agnoſcenti neminem neceſſitatem injicere poſſe*: quaſi non quædam ipſa exigat natura rerum, curaque propriæ felicitatis & ſalutis; & multa nobis imperat ipſa ratio, ut naturæ melioris ductum ſequamur, ne nobis vel malum accerſamus, vel bonum intercipiamus. Hoc rationis præceptum omne, quum ſimul alios ſpectat, quorum id refert, ad juſtitiam pertinet. Et vero licet quidam *officium* latius accipiant; de omni ſcilicet virtutis actu, etiam quum aliorum nihil intereſt, aut an eorum interſit, non conſideratur; quo ſenſu dici poteſt, ad noſtrum quoque *officium* pertinere *fortitudinem* & *temperantiam*; verbi gratia, ut valetudinem curemus; quum culpentur merito, qui non faciunt; non adſpernor tamen uſum Auctoris noſtri, qui officium ad ea reſtringit, quæ a jure deſiderantur.

Everſis falſis conſequentiis, quæ Auctoris noſtri principiis adfingebantur, oſtenſaque ex adverſo firmiſſima eorundem ſoliditate: concluſionem Anonymi nullam pronunciare, credo, mihi licuerit, atque adſerere e contrario, citra damnum vel juventutis, vel reipublicæ, hocce compendium *de Officiis Hominis & Civis*, omnibus Juris Naturæ ſtudioſis poſſe commendari. Si non ab omni nævo eſt immune; ſaltem nihil continet periculoſi. Optima in univerſum ejus ſunt principia: nec difficile foret commonſtrare, mutatis hic & illic paucis tantum lineis, corrigi id, quod non prorſus accuratum eſt, poſſe. Æquiores ſimus, ac minus promti damnandis propter aliquos defectus, aliorum operibus: in hoc omnium eorum, qui in publicum ſcribere inſtituunt, res vertitur.

Tædet adhuc repetere, confundere ſemper Anonymum *convenientiam* cum *obligatione*, ac *utilitatem* cum *officio*. Videamus, an obſervatio circa varium vocis *officii* uſum, inſigni alicui invento, quemadmodum in paragrapho ſequenti promittitur, locum præbuerit.

* §. XVIII. Sed ejus rei rationem habeo parum Auctori agnitam. Quoniam nempe in generali ſocietate ſub Rectore Deo, omnis virtus, ut jam plus ſemel diximus, juſtitiæ univerſalis obligationibus continetur: neque actus tantum externi, ſed etiam omnes adfectus noſtri certiſſima juris regula diriguntur: & digne de jure philoſophanti non tantum humanæ tranquillitatis, ſed etiam divinæ amicitiæ ratio habetur, cujus poſſeſſio nobis duraturam felicitatem ſpondet. Non nobis tantum nati ſumus: ſed partem noſtri ſibi alii vindicant, Deus totum.

Quod heic Anonymus pro cogitato ſibi peculiari, adeoque *noſtro Auctori parum agnito*, venditat, id ipſum jam veteres (1) *Stoici* Philoſophi profeſſi ſunt. Atque hoc Auctori noſtro parum adeo ignotum fuit, ut potius expreſſe de eo loquatur, tanquam de notione, quam non rejicit quidem, ſed pro populari tamen habet: (2) *ſi popularia,* ait, *ad rem quid facerent: dici quoque poſſet, hunc mundum magnam eſſe civitatem, cujus ſupremus Rector Deus eſt.* Adeoque idem Anonymi, quod plurium aliorum recentiorum ſyſtemati cedit, qui dum proferre aliquid novi voluerunt, nil fere, niſi voces mutavere, ita ut denique in re ipſa ad Auctoris noſtri ſyſtema recurrant. Enimvero *juſtitia* illa *univerſalis* in *generali ſocietate* omnium hominum *ſub Rectore Deo*, quid aliud eſt, niſi complexus legum, quas Deus hominibus, tanquam ipſorum dominus, præſcribit. Ac proinde Jus Naturæ omnem ſuam vim ab Auctoritate & voluntate ſupremi illius legislatoris trahit. Quod ad internorum *adfectuum* directionem, & curam conciliandæ ſibi *divinæ amicitiæ* adtinet ſuffecerit remittere ad dicta ſuperius circa §. 6. 7. 8. 9. 10. 11. 16.

*§. XIX. Nec video, quomodo Auctor, quamvis acutus, a contradictione facile excuſari poſſit, cuum omnem juris obligationem a ſuperioris decreto derivat, quemadmodum locis ejus citatis oſtendimus; & tamen mox *Lib. I. cap.* 2. §. 5. ad *ſuperiorem* conſtituendum re-

§. XVIII. (1) *Duas reſpublicas animo complectamur: alteram magnam & vere publicam; qua Dii atque homines continentur; in qua non ad hunc angulum reſpicimus, aut ad illum, ſed terminos civitatis noſtræ cum ſole metimur: alteram, cui nos adſcripſit conditio naſcendi.* SENEC. *de otio Sapientis*, *cap.* 31.

(2) *Specim. Controverſ. cap.* 4. §. 7.

Digitized by Google

requiri ait, non tantum, ut vires cogendi habeat, ſed etiam ut *juſtas* habeat *cauſas* vindicandi ſibi in me poteſtatem. Ergo juſtitia cauſæ ipſo ſuperiore anterior eſt, contra quam adſeverabatur. Nempe ſi ad juris originem opus eſt *ſuperiore*; & rurſus ad ſuperiorem conſtituendum cauſis opus eſt jure ſubnixis: circulus orietur, quo nullus unquam manifeſtior fuit. Unde enim conſtabit, juſtas eſſe cauſas: ſi nullus adhuc ſuperior exſtat, a quo ſolo ſcilicet jus proficiſci poteſt? Mirum eſſet, virum acutum ſecum adeo pugnare potuiſſe: niſi ſciremus, facile evenire paradoxa tuentibus, ut prævalente ſenſu communi, ſui dogmatis obliviſcantur. Ipſa auctoris verba exhiberi intereſt, ne quid imponi videatur. *Introducitur obligatio in animum hominis* proprie *a* ſuperiore, *id eſt, tali, cui non ſolum vires ſunt malum aliquod repræſentandi contranitentibus; ſed etiam juſtæ ſunt cauſæ, quare poſtulare queat, ex ſuo arbitrio voluntatis noſtræ libertatem circumſcribi. Talia enim ubi in aliquo fuerint: poſtquam quid velit, ſignificavit, neceſſe eſt, in animo hominis oriri metum reverentia temperatum . . . . . Qui vero nullam rationem adlegare novit, quare mihi invito obligationem velit impingere, præter ſolas vires: is terrere quidem me poteſt, ut evitando majori malo, ipſi tantiſper parere ſatius ducam; ſed eo metu remoto nihil amplius obſtat, quominus meo potius, quam illius arbitrio agam. Contra qui rationes quidem habet, quare ego ipſi parere debeam; a viribus tamen malum aliquod mihi imponendi deſtituitur: ejus juſſa impune a me poſſunt negligi, ni potentior aliquis hujus auctoritatem proculcatam adſertum eat.* Ratione autem, quare quis poſtulare queat, ut ab altero ſibi obtemperetur, ſunt: *ſi ab iſto in hunc inſignia quædam bona ſint profecta: ſi conſtiterit, eum & bene huic velle, & rectius, quam ipſe valet, eidem proſpicere poſſe: ſimulque ſi actu iſte hujus directionem ſibi vindicet: & denique ſi quis ultro alteri ſe ſubjecerit, & in ipſius directionem conſenſerit.* Hactenus Auctor. Sed qui bene hæc examinaverit, ſatis animadvertet, nec ſibi conſtare Auctorem, nec difficultati ſatisfacere. Sane ſi neque coactio ſine rationibus, neque rationes citra vim ſufficiunt: cur quæſo, ceſſante vi, ſuperſtitibusque ſolis rationibus, non redibo ad libertatem, quam dicor habuiſſe, quum nondum admota vi ſolæ rationes adeſſent? Quod enim

Auctor ait, *metu remoto nihil amplius obſtare, quominus meo potius, quam alterius arbitrio agam*, valebit, etiamſi rationes adſint. Quod ſi vero rationes jam ſolæ obſtant, cur non ſolæ obſtitere etiam ante metum? & quam, quæſo, vim rationibus ultra ſe ipſum metus dabit, quam ſine rationibus non præſtat ſibi? An adfectus iſte, parum durabilis, characterem quemdam indelebilem invitæ imprimet menti? Finge hominem, qui alteri ex ſolis rationibus obedientiam debet, ejuſdem mox viribus adigi; & tamen in eo animo perſeverare, ut non ultra obedire velit, quam cogatur: non adparet, cur ideo, quia ſemel coactus eſt, perpetuo ſubjiciatur. Velut ſi æger Chriſtianus a medico Turca capiatur: adeone jam præceptis ſalutaribus, diu ante cognitis, ſed nunc neceſſitate armatis, obſtringetur, ut etiam data aufugiendi occaſione, magis exinde ad temperantiam obligetur, quam ante captivitatem? Alterutrum ergo dicendum eſt: vel rationes ante vim obligare, vel nec obligare vi ceſſante.

Exprobratum Auctori noſtro vitioſum circulum dilabi ab illorum oculis confido, qui dicta ſuperius ad §. 15. legerint. Omnis *ſuperior* infra Deum auctoritatem habet nitentem rationibus, quarum *juſtitia* ab aliquo Juris Naturalis præcepto pendet, adeoque etiam ad illius *juſti* leges refertur, cujus *obligatio* vere a *ſuperioris*, aut *Regis Regum*, ac *Domini Dominantium* voluntate emanat. Verum *jus* imperandi, ſupremo illi Enti competens, *rationibus* ſuperſtruitur, quæ *juſtitiam* ſuam ſecum vehunt, nec mutuari aliunde vim ullam opus habent. Nondum cognito Deo, aut ſemota ejus exiſtentia, nil ſatis magnum conſpicimus, quod voluntatum noſtrarum depoſcat ſubjectionem; nil ſatis juſtum, quod actionum noſtrarum norma neceſſario haberi debeat. Neque etiam in natura rerum, libertas noſtra, eximia illa facultas ex intimiori naturæ noſtræ conſtitutione oriunda, quicquam invenit, quod ad ipſam conſtringendam ſatis habeat validitatis: illi *convenientiæ*, *ordinis*, *decoris*, *honeſtatis* nexus, quibus tunc *juſtum* abſolvitur, meræ ſpeculativæ notiones remanent, donec nobis conſtiterit, illum, qui naturam rerum, ac rationem ipſas perſpicientem atque adprobantem condidit, *velle*, ut iiſdem externos & internos noſtros motus conformemus. Ibi incipit *officium*: Entis ſumme perfecti voluntas, noſtræ eſt norma, atque is, a quo, quicquid ſumus, accepimus, exigere procul dubio poteſt, ut, ne quicquid forſan nobis in mentem venit, proprio arbitrio ſuſcipiamus. De-

pre-

prehenſo in eius voluntate obligationis fundamento, jam in ejusdem bonitate & potentia validiſſimas utilitatis rationes, quibus ad obſervandum officium efficaciſſime excitemur ac moveamur, deprehendimus. An non ſolidiſſimum ſit, ac optime cohærens ſyſtema, lector judicaverit.

Circa id, quod de *viribus*, conjunctis cum *rationibus* tradit Auctor noſter; ad vocem *impune*, quæ in locis citatis exſtat, ac ſententiæ ipſius clavis quidem eſt, adtendere par fuiſſet. *Qui*, ait, *rationes quidem habet, quare ego ipſi parere debeam; a viribus tamen malum aliquod mihi imponendi deſtituitur: ejus juſſa* IMPUNE *a me poſſunt negligi; ni &c.* Non dicit, *recte poſſunt*: non ſtatuit, ceſſare ideo officium, *juſtas cauſas* ideo vim ſuam amittere: loquitur de efficacia, quam pro ingenio ac diſpoſitione plerorumque hominum exſerere tunc iſtæ rationes aptæ fuerint. Excutiendis omnibus, quæ Anonymus hoc loco nectit, ratiociniis hæc ſuffecerint.

Fateor nihilominus, Auctoris noſtri doctrinam heic non ſatis eſſe perſpicuam, ac melius diſtinguendum fuiſſe id, quod ſuperiori proprie *jus* imperandi adtribuit ab eo, quod ipſi facultatem dat *efficaciter imperandi*; prout illud tetigi in brevi nota, quæ prima eſt ad §. de quo agitur. Non hæc mihi eſt indoles, ut auctoritate me patiar occoecari, aut excuſare quemquam quacunque etiam ratione velim: quin obſervari poterit, me, ſequente ibidem ampliori nota, alia minus accurate poſita reprehendiſſe, quæ non animadvertit Anonymus, aut condonare Auctori noſtro dignatus eſt. Verum non obſtant leves nævi, quin rectam ingreſſus ſit & docuerit viam, ac ejus ſyſtema in univerſum optime fundatum ſit. Etſi illud melius, ut videtur, quam ipſe, explicuerim, correxerimque nonnulla ex parte: abſit tamen, ut debitam ipſi laudem mihi arrogem, aut non eidem proprias meas cogitationes, quibus occaſionem ſuppeditavit, adſcribam.

Unum addam tantum circa exemplum ab Anonymo propoſitum de *ægro Chriſtiano a medico Turca* capto. Uti hic captivus, non qua æger, captivus eſt: ita nec medicus dominus eſt corporis illius, qua medicus. Diverſi hi omnino ſunt reſpectus. Unde non video, quam ob rem hic comparentur præcepta iſtius medici, qua medici, (vel potius materia præceptorum ejusdem: nec enim ſupponitur, ut deberet, ipſum hæc præcepta, antequam caperetur æger, mandaviſſe, ſed tantum illa ægro jam ante pro ſalutaribus fuiſſe cognita) quam ob rem, inquam, comparentur iſta præcepta, quatenus ante vel poſt ægri captivitatem mandata ſunt. Ante & poſt, præſcriptis ægro utilibus medicamentis, medicus ſemper agit, tanquam medicus, non tanquam dominus. Aut ſi neceſſitatem medicamento utendi imponere ægro inſtituat: haud amplius tunc agit tanquam medicus. Verum ſive medicus me-

dicamentum præſcribat tanquam medicus, ſive tanquam dominus: obligatio eo utendi aliunde provenit, nempe ab illa lege naturali, quæ vult, ut acceptam a Deo vitam quisque nitatur conſervare, adeoque in hunc finem omnia legitima media, a quocunque illa ſibi offerantur, adhibeat. Inde quod de *data aufugiendi occaſione* memorat Anonymus, quin totum omnino exemplum nihil ad rem facit. Accedamus denique ad Epilogum.

*§. XX. Hæc ſatis oſtendunt, deeſſe Auctori principia certa, quibus veras juris rationes conſtituat: quoniam principia pro arbitrio ipſe effinxit, quæ ſibi ſufficere non poſſunt. Ceterum fundamenta & communia omni juri, (etiam quod ex æquo & bono tantum deſcendit) & propria ſtricto, (quod etiam ſuperiorem conſtituit) alias indicata ſunt. Et ut dicta paucis recolligamus, in univerſum dicendum eſt, *finem* Juris Naturalis eſſe bonum ſervantium: *objectum*, quicquid aliorum intereſt, & in noſtra eſt poteſtate: *cauſam* denique *efficientem* in nobis eſſe rationis æternæ lumen divinitus in mentibus accenſum. Hæc tam plana & ſimplicia credo viris quibusdam acutis nimis obvia viſa eſſe, atque inde paradoxotera quædam excogitata, quæ novitatis ſpecie blandirentur: quod neque priorum fœcunditas, neque horum imperfectio ſatis perſpiceretur. Hæc ad Te, Vir Summe, perſcribenda putavi, ut adpareat, opus *Pufendorfianum*, etſi minime adſpernandum, in ipſis tamen principiis multiplici emendatione indigere. Ceterum ad particularia nunc deſcendere non vacat. Vale.

Oppoſitam concluſionem, ex dictis fluentem, Lector meo loco elicuerit. Sufficit mihi, verbum circa principia, quæ Auctoris noſtri fundamentis ſubſtituere vult Anonymus, adjicere.

Fateor quidem, me in illis nihil niſi valde vagum reperire. Id, quod pro *cauſa efficiente* Juris Naturalis (hinc enim incipiendum) venditat, generale principium eſt omnium ſcientiarum naturalium: an enim ulla exiſtit, vere talis, quæ non ab *æternæ rationis lumine, divinitus in mentibus noſtris accenſo*, emanet? *Objectum*, (aut, ſi accuratius loquaris, *materia* Juris Naturalis: objectum enim proprie ſunt illi, erga quos jus illud eſt obſervandum) *objectum*, inquam, prout hoc Anonymus conſtituit, depromtum ex generalitate, in qua remanet, ad principium *ſocialitatis* reducitur: nec enim crediderim, Anony-

Anonymum his verbis, *quicquid aliorum intereſt*, velle ipſum Deum comprehendere, adeoque innuere, aut credendi occaſionem præbere, Dei intereſſe, ut ipſi obſequia noſtra exhibeamus- illum, qui *ipſe ſibi ſufficit*, creaturis ſuis indigere, utilitatemve aliquam ex earum actionibus capere poſſe. *Finis* denique Juris Naturalis, quem *bonum* eſſe *ſervantium* docet Anonymus, nihil, quod non omnibus diſciplinis practicis commune ſit, ſiſtit: ſingulæ *bonum* aliquod aut commodum habent propoſitum; & ſciendum reſtat, quodnam illud ſit, quod Juri Naturæ peculiariter conveniat. Suntne iſta *lucidæ illæ fœcundæque* definitiones, quæ nobis deerant?

Lauſannæ d 1. *Octobr.* 1716.

F I N I S.

Digitized by Google

OBSERVATIONES TITII,

Quæ in prioribus editionibus per numeros erant diſtributæ, in hac Editione literis indicatæ, per hunc indicem facili opera inveniri poſſunt.

AD PRÆFATIONEM AUCTORIS.

Obſerv.	1.	§. 1.	lit.	(a)
	2.	§. 4.		(e)
	3.	——		(f)
	4.	——		(g)
	5.	§. 5.		(i)
Obſerv.	6.	§. 9.	lit.	(s)
	7.	§. 10.		(t)
	8.	§. 12.		(z)
	9.	——		(a)
	10.	§. 15.		(e)

AD LIBRUM I.

Cap. I.

Obſerv.	11.	§. 1.	lit.	(a)
	12.	§. 2.		(d)
	13.	§. 3.		(g)
	14.	§. 4.		(i)
	15.	——		(m)
	16.	§. 5.		(p)
	17.	——		(i)
	18	§. 6.		(x)
	19.	——		(y)
	20	§. 7.		(z)
	21.	——		(b)
	22.	——		(c)
	23.	§. 8.		(g)
	24.	——		(b)
	25.	——		(l)
	26	——		(m)
	27	——		(p)
	28.	§ 9.		(q)
	29	——		(s)
	30.	——		(x)
	31.	§. 10.		(b)
	32.	§ 11.		(c)
	33.	——		(e)
	34.	§. 12		(g)
Obſerv.	35.	§. 13.	lit.	(l)
	36.	§. 14.		(p)
	37.	§. 15.		(s)
	38.	——		(x)
	39.	§. 16.		(z)
	40.	§. 17.		(d)
	41.	§. 17.		(f)
	42.	——		(g)
	43.	——		(i)
	44.	§. 18.		(m)
	45.	§. 20.		(s)
	46.	§. 22.		(v)
	47.	§. 23.		(y)
	48.	§. 24.		(c)

Caput. II.

Obſerv.	49.	§. 1.	lit.	(o)
	50.	§. 2.		(r)
	51.	——		(s)
	52.	§. 3.		(v)
	53.	——		(x)
	54.	§. 4.		(a)
	55.	§. 5.		(d)
	56.	——		(g)
	57.	§. 6.		(i)

Obſerv.

Obſerv. 58.	§. 7.	lit.	(n)
59.	§. 8.		(q)
60.	§. 9.		(v)
61.	——		(y)
62.	§. 10.		(*)
63.	§. 11.		(c)
64.	——		(d)
65.	——		(g)
66.	——		(i)
67.	§. 12.		(l)
68.	——		(m)
69.	——		(*)
70.	§. 13.		(p)
71.	§. 14.		(t)
72.	——		(v)
73.	——		(x)
74.	——		(y)
75.	§. 15.		(z)
76.	§. 16.		(e)

CAP. III.

Obſerv. 77.	§. 1.	lit.	(i)
78.	§. 2.		(l)
79.	§. 8.		(s)
80.	§. 10.		(y)
81.	——		(z)
82.	§. 11.		(b)
83.	——		(d)
84.	§. 12.		(e)
85.	——		(g)
86.	——		(i)
87.	§. 13.		(l)
88.	——		(o)
89.	——		(q)
90.	——		(s)
91.	——		(t)

CAP. IV.

Obſerv. 92.	§. 1.	lit.	(v)
93.	§. 2.		(a)
94.	——		(e)
95.	——		(f)
96.	§. 3.		(g)
97.	——		(i)
98.	——		(l)
Obſerv. 99.	§. 3.	lit.	(n)
100.	§. 4.		(q)
101.	——		(s)
102.	§. 5.		(v)
103.	——		(d)
104.	——		(f)
105.	§. 6.		(h)
106.	§. 8.		(q)
107.	§. 9.		(*)
108.	——		(y)

CAP. V.

Obſerv. 109.	§. 1.	ſign.	(*)
110.	——		(†)
111.	§. 2.	lit.	(d)
112.	——		(e)
113.	§. 8.		(o)
114.	§. 9.		(s)
115.	——		(v)
116.	——		(x)
117.	——		(z)
118.	——		(a)
119.	§. 10.		(d)
120.	——		(f)
121.	§. 11.		(h)
122.	——		(k)
123.	§. 12.		(l)
124.	§. 13.		(o)
125.	——		(p)
126.	——		(r)
127.	§. 14.		(t)
128.	§. 15.		(z)
129.	——		(b)
130.	——		(e)
131.	——		(f)
132.	§. 16.		(g)
133.	§. 17.		(i)
134.	§. 18.		(k)
135.	§. 19.		(n)
136.	§. 20.		(o)
137.	§. 21.		(q)
138.	——		(s)
139.	——		(t)
140.	§. 22.		(x)
141.	§. 23.		(z)
142.	§. 24.		(c)

Obſerv.

Digitized by Google

Obſerv. 143.	§. 25.	lit.	(e)
144.	——		(f)
145.	§. 26.		(b)
146.	§. 27.		(m)
147.	§. 28.		(q)
148.	§. 29.		(x)
149.	——		(z)
150.	——		(a)

CAP. VI.

Obſerv. 151.	§. 1.	lit.	(b)
152.	——		(c)
153.	§. 2.		(e)
154.	§. 4.		(i)
155.	§. 5.		(m)
156.	§. 6.		(p)
157.	——		(r)
158.	§. 7.		(t)
159.	§. 8.		(z)
160.	——		(b)
161.	——		(c)
162.	——		(d)
163.	§. 9.		(f)
164.	——		(g)
165.	——		(i)
166.	——		(l)
167.	§. 10.		(n)
168.	§. 11.		(q)
169.	§. 12.		(v)
170.	§. 13.		(a)
171.	——		(b)

CAP. VII.

Obſerv. 172.	§. 1.	lit.	(e)
173.	§. 2.		(g)
174.	——		(i)
175.	——		(k)
176.	——		(m)
177.	§. 3.		(n)
178.	§. 4.		(q)
179.	§. 5.		(t)
180.	——		(v)
181.	——		(y)
182.	——		(a)
183.	——		(b)
184.	§. 6.		(c)

CAP. VIII.

Obſerv. 185.	§. 1.	lit.	(d)
186.	§. 2.		(f)
187.	§. 3.		(b)
188.	§. 4.		(k)
189.	§. 5.		(p)
190.	——		(r)
191.	§. 6.		(t)
192.	§. 7.		(v)
193.	§. 8.		(x)
194.	——		(z)
195.	——		(b)

CAP. IX.

Obſerv. 196.	§. 1.	lit.	(d)
197.	——		(e)
198.	§. 2.		(b)
199.	§. 3.		(*)
200.	§. 4.		(l)
201.	§. 5.		(p)
202.	§. 6.		(r)
203.	§. 7.		(z)
204.	§. 8.		(a)
205.	§. 9.		(c)
206.	——		(f)
207.	——		(g)
208.	§. 10.		(b)
209.	§. 11.		(k)
210.	——		(n)
211.	——		(p)
212.	§. 12.		(r)
213.	——		(s)
214.	——		(v)
215.	——		(y)
216.	——		(b)
217.	§. 13.		(c)
218.	——		(d)
219.	——		(e)
220.	——		(g)
221.	——		(k)
222.	§. 14.		(m)
223.	§. 15.		(o)
224.	——		(p)
225.	——		(q)
226.	——		(s)

Obſerv.

Obſerv. 227.	§. 16.	lit.	(v)
228.	§. 17.		(y)
229.	——		(a)
230.	——		(b)
231.	§. 18.		(d)
232.	——		(g)
233.	§. 19.		(k)
234.	——		(m)
235.	§. 20.		(p)
236.	——		(q)
237.	——		(s)
238.	——		(t)
239.	——		(v)
240.	§. 21.		(a)
241.	§. 22.		(f)

CAP. X.

Obſerv. 242.	§. 1.	lit.	(i)
243.	——		(l)
244.	§. 2.		(p)
245.	——		(r)
246.	——		(s)
247.	——		(v)
248.	§. 3.		(x)
249.	——		(z)
250.	§. 4.		(a)
251.	§. 7.		(e)
252.	——		(i)
253.	§. 8.		(l)
254.	§. 9.		(o)
255.	§. 10.		(s)

CAP. XI.

Obſerv. 256.	§. 1.	lit.	(x)
257.	——		(y)
258.	——		(a)
259.	§. 2.		(c)
260.	§. 3.		(e)
261.	§. 4.		(b)
262.	——		(i)
263.	§. 5.		(l)
264.	§. 6.		(o)
265.	——		(q)
266.	——		(r)
267.	——		(s)
Obſerv. 268.	§. 6.	lit.	(v)
269.	——		(x)
270.	——		(z)
271.	§. 7.		(b)
272.	——		(d)
273.	§. 8.		(i)
274.	§. 9.		(k)
275.	§. 10.		(n)

CAP. XII.

Obſerv. 276.	§. 1.	lit.	(r)
277.	§. 2.		(x)
278.	——		(z)
279.	——		(b)
280.	——		(e)
281.	——		(h)
282.	§. 3.		(k)
283.	——		(l)
284.	——		(o)
285.	§. 4.		(q)
286.	——		(r)
287.	——		(s)
288.	——		(x)
289.	§. 5.		(y)
290.	——		(z)
291.	§. 6.		(a)
292.	——		(e)
293.	——		(f)
294.	——		(i)
295.	——		(l)
296.	——		(n)
297.	§. 7.		(r)
298.	——		(t)
299.	§. 8.		(v)
300.	§. 9.		(d)
301.	——		( )
302.	§. 10.		(b)
303.	——		(k)
304.	§. 11.		(m)
305.	§. 12.		(r)
306.	——		(t)
307.	§. 13.		(x)
308.	——		(y)
309.	——		(a)
310.	——		(c)
311.	§. 14.		(e)
312.	§. 15.		(h)

CAP.

CAP. XIII.

Obſerv.	313.	§. 1.	lit.	(*l*)
	314.	§. 2.		(*o*)
	315.	§. 3.		(*q*)
	316.	§. 4.		(*x*)
	317.	§. 5.		(*y*)
	318.	§. 6.		(*b*)
	319.	———		(*c*)
	320.	———		(*d*)
	321.	§. 7.		(*f*)
	322.	§. 8.		(*g*)
	323.	§. 9.		(*i*)
	324.	§. 10.		(*k*)
	325.	———		(*l*)
	326.	§. 11.		(*n*)

CAP. XIV.

Obſerv.	327.	§. 1.	lit.	(*p*)
	328.	———		(*r*)
	329.	§. 2.		(*s*)
	330.	———		(*t*)
	331.	§. 3.		(*x*)
	332.	———		(*a*)
	333.	§. 4.		(*f*)
	334.	———		(*b*)
	335.	———		(*i*)
	336.	———		(*k*)
	337.	———		(*l*)
	338.	———		(*n*)
	339.	§. 5.		(*p*)
	240.	———		(*q*)
	341.	———		(*s*)
	342.	———		(*v*)
	343.	§. 6.		(*x*)
	344.	———		(*a*)
	34[illegible].	———		(*b*)
	346.	§. 7.		(*c*)
	347.	———		(*e*)
	348.	§. 8.		(*f*)
	349.	———		(*h*)
	350.	§. 9.		(*k*)
	351.	———		(*m*)
	352.	———		(*p*)
	353.	———		(*q*)

CAP. XV.

Obſerv.	354.	§. 1.	ſign.	(*)
	355.	§. 2.	lit.	(*v*)
	356.	———		(*y*)
	357.	§. 3.		(*z*)
	358.	———		(*c*)
	359.	§. 4.		(*e*)
	360.	———		(*h*)
	361.	§. 5.		(*k*)
	362.	———		(*l*)
	363.	§. 6.		(*q*)
	364.	———		(*r*)
	365.	———		(*t*)
	366.	———		(*v*)
	367.	§. 7.		(*y*)
	368.	———		(*z*)
	369.	———		(*e*)
	370.	§. 8.		(*i*)
	371.	§. 9.		(*m*)
	372.	———		(*o*)
	373.	———		(*r*)
	374.	———		(*v*)
	375.	———		(*x*)
	376.	———		(*y*)
	377.	§. 10.		(*z*)
	378.	———		(*c*)
	379.	§. 11.		(*f*)
	380.	———		(*i*)
	381.	———		(*k*)
	382.	§. 12.		(*n*)
	383.	———		(*p*)
	384.	§. 13.		(*t*)
	385.	———		(*v*)
	386.	———		(*)
	387.	———		(*x*)
	388.	———		(*y*)
	389.	———		(*z*)
	390.	———		(*a*)
	391.	———		(*b*)
	392.	§. 14.		(*d*)
	393.	———		(*e*)
	394.	———		(*g*)
	395.	———		(*h*)
	396.	———		(*l*)
	397.	§. 15.		(*o*)
	398.	———		(*p*)

Obſerv.

Digitized by Google

Obſerv. 399.	§. 15. lit.	(*q*)
400.	——	(*s*)
401.	——	(*v*)
402.	——	(*z*)
403.	§. 16.	(*b*)

CAP. XVI.

Obſerv. 404.	§. 1. lit.	(*c*)
405.	——	(*e*)
406.	§. 2.	(*n*)
407.	——	(*q*)
408.	§. 3.	(*s*)
409.	§. 4.	(*x*)
410.	§. 5.	(*a*)
411.	§. 6.	(*d*)
412.	§. 7.	(*f*)
413.	§. 8.	(*i*)
414.	——	(*l*)
415.	§. 9.	(*m*)

CAP. XVII.

Obſerv. 416.	§. 1. lit.	(*n*)
417.	§. 2.	(*)
418.	§. 3.	(*v*)
419.	——	(*y*)
Obſerv. 420.	§. 4. lit.	(*b*)
421.	——	(*d*)
422.	§. 5.	(*f*)
423.	§. 6.	(*h*)
424.	§. 7.	(*k*)
425.	§. 8.	(*n*)
426.	——	(*p*)
427.	§. 9.	(*q*)
428.	——	(*s*)
429.	——	(*t*)
430.	§. 10.	(*y*)
431.	——	(*z*)
432.	——	(*a*)
433.	§. 11.	(*d*)
434.	——	(*f*)
435.	§. 12.	(*i*)
436.	——	(*k*)
437.	——	(*m*)
438.	——	(*o*)
439.	§. 13.	(*p*)
440.	——	(*r*)
441.	——	(*v*)
442.	——	(*y*)
443.	——	(*z*)
444.	——	(*c*)
445.	——	(*f*)
446.	——	(*i*)

AD LIBRUM II.

CAP. I.

Obſerv. 447.	§. 1. lit.	(*a*)
448.	——	(*c*)
449.	§. 2.	(*e*)
450.	——	(*f*)
451.	§. 3.	(*g*)
452.	§. 4.	(*k*)
453.	§. 5.	(*m*)
454.	§. 6.	(*p*)
455.	§. 8.	(*y*)
456.	§. 9.	(*c*)
457.	——	(*d*)
458.	——	(*e*)
Obſerv. 459.	§. 9. lit.	(*f*)
460.	——	(*g*)
461.	——	(*h*)
462.	§. 10.	(*k*)
463.	——	(*m*)
464.	——	(*n*)
465.	——	(*p*)
466.	——	(*s*)
467.	——	(*t*)
468.	——	(*v*)
469.	——	(*y*)
470.	——	(*z*)
471.	§. 11.	(*a*)
472.	——	(*e*)

CAP. II.

Obſerv. 473.	§. 1. lit.	(g)
474.	§. 2.	(b)
475.	§. 3.	(m)
476.	——	(o)
477.	——	(p)
478.	§. 4.	(r)
479.	——	(t)
480.	——	(v)
481.	——	(x)
482.	——	(z)
483.	——	(b)
484.	——	(e)
485.	§. 5.	(f)
486.	——	(g)
487.	——	(i)
488.	——	(k)
489.	§. 6.	(m)
490.	——	(p)
491.	——	(q)
492.	——	(r)
493.	§. 7.	(t)
494.	——	(x)
495.	§. 8.	(z)
496.	——	(b)
497.	——	(e)
498.	§. 9.	(g)
499.	——	(i)
500.	§. 10.	(*)

CAP. III.

Obſerv. 501.	§. 1. lit.	(m)
502.	§. 2.	(n)
503.	——	(o)
504.	——	(p)
505.	——	(r)
506.	——	(v)
507.	§. 3.	(y)
508.	——	(a)
509.	——	(g)
510.	§. 4.	(i)
511.	§. 5.	(m)
512.	——	(o)
513.	§. 6.	(r)
Obſerv. 514.	§. 6. lit.	(t)
515.	§. 7.	(x)
516.	§. 8.	(z)
517.	§. 9.	(c)
518.	——	(d)
519.	§. 10.	(g)
520.	——	(l)
521.	§. 11.	(m)
522.	——	(n)
523.	——	(o)
524.	§. 12.	(q)
525.	§. 13.	(t)

CAP. IV.

Obſerv. 526.	§. 1. lit.	(x)
527.	——	(z)
528.	§. 2.	(d)
529.	——	(g)
530.	§. 3.	(b)
531.	——	(m)
532.	——	(n)
533.	——	(o)
534.	§. 4.	(r)
535.	——	(v)
536.	——	(z)
537.	§ 5.	(a)
538.	§. 6.	(e)

CAP. V.

Obſerv. 539.	§. 1. lit.	(k)
540.	§. 2.	(l)
541.	§. 3.	(n)
542.	§. 7.	(s)
543.	——	(x)
544.	§. 8.	(z)
545.	——	(b)
546.	§. 9.	(c)
547.	——	(f)

CAP. VI.

Obſerv. 548.	§. 1. lit.	(i)
549.	——	(k)
550.	——	(m)

Obſerv.

Digitized by Google

Obſerv. 551. §. 2. lit. (n)
552. §. 3. (p)
553. §. 4. (s)
554. §. 7. (y)
555. §. 8. (a)
556. §. 10. (c)
557. —— (d)
558. §. 11. (f)
559. —— (g)
560. §. 12. (k)
561. §. 13. (o)
562. —— (r)
563. —— (s)
564. —— (t)
565. —— (x)
566. §. 14. (y)
567. —— (a)
568. —— (b)

CAP. VII.

Obſerv. 569. §. 1. lit. (d)
570 §. 2. (f)
571. —— (h)
572. §. 3. (l)
573. —— (n)
574. §. 4. (o)
575. §. 8. (t)
576. §. 9. (y)
577. —— (z)
578. —— (a)

CAP. VIII.

Obſerv. 579. §. 1. lit. (c)
580. §. 2. (e)
581. —— (f)
582. §. 3. (h)
583. §. 4. (l)
584. —— (m)
585. §. 5. (p)
586. § 12. (s)
587. —— (v)
588. —— (z)
589. §. 13. (d)
590. §. 14. (e)
Obſerv. 591. §. 15. lit. (f)

CAP. IX.

Obſerv. 592. §. 1. lit. (k)
593. —— (l)
394. §. 2. (n)
595. §. 3. (p)
596. §. 4. (s)
597. —— (t)
598. §. 5. (y)
599. —— (a)
600. §. 6. (b)
601. —— (c)
602. §. 7. (f)
603. —— (k)

CAP. X.

Obſerv. 604. §. 1. lit. (l)
605. §. 2. (n)
606. §. 3 (q)
607. —— (r)
608. §. 4. (t)
609. —— (y)
610. —— (a)
611. §. 5. (c)
612. —— (d)
613 §. 6. (e)
614. §. 8. (i)
615. §. 12. (p)

CAP. XI.

Obſerv. 616. §. 1. lit. (t)
617. §. 2. (x)
618. §. 3. (a)
619. §. 4. (c)
620. §. 5. (g)
621. §. 6. (i)
622. §. 8. (k)

CAP. XII.

Obſerv. 623. §. 1. lit. (b)
624. §. 3. (d)

Digitized by Google

Obſerv. 625.	§. 6. lit.	(n)
626.	——	(o)
627.	§. 7.	(r)
628.	§. 8.	(t)
629.	§. 9.	(y)
630.	——	(z)
631.	——	(c)

CAP. XIII.

Obſerv. 632.	§. 1. lit.	(e)
633.	§. 2.	(f)
634.	——	(b)
635.	——	(i)
636.	§. 3.	(l)
637.	§. 4.	(n)
638.	——	(p)
639.	——	(s)
640.	——	(t)
641.	——	(v)
642.	——	(y)
643.	§. 5.	(z)
644.	§. 6.	(c)
645.	§. 7.	(f)
646.	§. 11.	(c)
647.	§. 15.	(o)
648.	§. 16.	(v)
649.	§. 17.	(y)
650.	——	(z)
651.	——	(a)
652.	——	(c)
653.	§ 18.	(d)
654.	§. 19.	(f)

CAP. XIV.

Obſerv. 655.	§. 1. lit.	(n)
656.	——	(o)
657.	§ 2.	(r)
658.	§ 3.	(s)
659.	§ 4.	(v)
660.	§. 5.	(y)
661.	§. 7.	(a)
662.	§. 8.	(c)
663.	§. 9.	(g)
664.	§. 10.	(i)
Obſerv. 665.	§. 10. lit.	(k)
666.	§ 11.	(m)
667.	——	(o)
668.	§ 12.	(p)
669.	——	(q)
670.	§. 13.	(r)
671.	§ 14.	(v)
672.	——	(y)
673.	§. 15.	(z)
674.	§. 16.	(b)
675.	——	(d)

CAP. XV.

Obſerv. 676.	§. 1. lit.	(f)
677.	——	(b)
678.	§. 2.	(k)
679.	§ 3.	(n)
680.	§. 4.	(q)
681.	§. 5.	(t)
682.	——	(v)
683.	§. 6.	(y)

CAP. XVI.

Obſerv. 684.	§. 1. lit.	(b)
685.	——	(c)
686.	——	(d)
687.	§. 2.	(g)
688.	§. 3.	(l)
689.	§. 4.	(o)
690.	§. 5.	(r)
691.	§ 6.	(v)
692.	——	(a)
693.	§. 7.	(b)
694.	§. 8.	(f)
695.	§ 9.	(b)
696.	——	(m)
697.	§. 10.	(o)
698.	§. 11.	(r)
699.	§ 12.	(v)
700.	——	(z)
701.	——	(b)
702.	§ 13.	(d)
703.	——	(b)
704.	——	(l)

Obſerv.

Obſerv. 705.	§. 13.	lit.	(*m*)
706.	§ 14.		(*o*)
707.	§. 15.		(*s*)
708.	——		(*t*)
709.	§ 16.		(*v*)
710.	——		(*x*)
711.	§. 17.		(*y*)
712.	——		(*a*)
713.	——		(*b*)
714.	——		(*d*)

CAP. XVII.

Obſerv. 715.	§. 1.	lit.	(*g*)
716.	——		(*k*
717.	§. 2.		(*l*)
718.	§. 6.		(*p*)
719.	§ 7.		(*s*)
720.	§. 8.		(*x*)
721.	——		(*y*)
722.	——		(*a*)

CAP. XVIII.

Obſerv. 723.	§ 1.	lit.	(*c*)
724.	——		(*d*)
725.	——		(*e*)
726.	§ 2.		(*g*)
727.	§. 3.		(*h*)
728.	§. 4.		(*k*)
729.	§. 5.		(*m*)
730.	§. 6.		(*o*)
731.	——		(*p*)
732.	§. 7.		(*s*)
733.	§. 15.		(*h*)
734.	——		(*c*)
735.	——		(*d*)
736.	——		(*e*)
737.	——		(*g*)
738.	——		(*h*)
739.	——		(*i*)
740 } 741. }	——		(*k*)

INDEX RERUM.

Numerus Romanus librum, Arabicus primus caput, ſequens paragraphos denotat. *Pr.* præfationem Auctoris, *numeri* ſequentes ejusdem paragraphos deſignant.

A.

Acceptatio neceſſaria in quavis promiſſione, I. 9. 16.
Acceptilatio tollit obligationem, II. 16. 3.
Acceſſiones quid ſint & ad quem pertineant, I. 12. 7.
Acquiſitio imperiorum, II. 13. 1. II. 16. 14. bellica, I. 12. 15. II. 16. 13.
Acquirendi modi originarii & derivativi, I. 12. 5. *ſeqq.*
Actio humana quæ, I. 1. 2. quæ ejus principia, *ib.* §. 3. cur alicui imputetur, *ib.* §. 10. voluntaria, *ib.* §. 9. *ſeqq.* involuntaria, coacta, vel mixta, *ib.* §. 16. alterius, qui alteri imputetur, *ib.* §. 18. & 27. moralis, I. 2. 11. *ſeqq* extra commercium poſita, I. 14. 3. bona, ejusque diſcrimen a juſta, I. 2. 13.
Actio judicialis de quibus detur vel negetur, II. 12. 5. ingrati non datur, I. 8. 7. legi naturali datur jure civili, II. 12. 4. *ſeqq.* noxalis, I. 6. 11. de pauperie, I. 6. 12.
Addictio in diem, I. 15. 9.
Adoptionis jus, II. 3. 10.
Adpetitus quibus ſtimuletur, I. 5. 6. ratione moderandus, I. 5. 4.
Adulatio, qui criminis participem reddat, I. 1. 27.
Adulterium rumpit matrimonium, II. 2. 6
Æqualitas hominum communis, I. 7. 1. *ſeqq.* in ſtatu naturali viventium, II. 18. in contractibus oneroſis ſervanda, I. 15. 6. & 7.
Æquitas, I. 2. 10. I. 17. 12.
Ærarium Principis eſt, II. 7. 7. uſufructu. II. 15. 5. & 14.
Ætas tenera ad contractus inepta eſt, & rectore indiget, I. 9. 11.
Affectus quomodo moderandi, I. 5. 5. & 8. quam vim habeant, I. 1. 14.
Affirmativa præcepta cedunt negativis, I. 17. 13.
Aggreſſor non ſemper ad extrema adigendus, I. 5. 14. quando moderamine inculpatæ tutelæ uti poſſit, *ib.* § 24.
Alea, ei nihil committendum, I. 5. 4. contractus eam continentes, I. 15. 13.
Aliena domino relinquenda, I. 13. 1. extra caſum neceſſitatis, I. 5. 28. & 29. quatenus de iis contrahi poſſit, I. 9. 19. qui bona fide poſſidet, ad quid tenea-

Digitized by Google

neatur, I. 13. 2. *ſeqq.* quatenus imputentur, I. 1. 18. *ſeqq.* I. 1. 27. *ſeqq.*
Alienatio regni quo uſque licita, II. 15. 6.
Alimenta debentur liberis naturalibus, I. 12. 11.
Alumnus educatori filialem obſervantiam debet, II. 3. 3.
Ambitio temperanda, I. 5. 5.
Amicabilis compoſito tentanda in litibus gentium, II. 1. 19. II. 16. 3. & ſucceſſione in regnum dubia, II. 10. 12.
Amor ſui ipſius inter principia fundamentalia juris naturalis, I. 5. 6.
Anima mundi Deus non recte vocatur, I. 4. 3.
Animalia hominum uſibus recte adplicantur, I. 12. 1. damnum, ab iis datum, à domino reſarciendum, I. 6. 12.
Animi cultura neceſſaria, I. 5. 2. I. 8. 1.
Animoſitas animum obfirmare debet, I. 5. 8.
Antichreſis quale pactum, I. 15. 15.
Arbiter qualis eſſe debeat, II. 1. 11. in cauſis gentium, II. 1. 10.
Arbitrii liberi rectus uſus valorem hominis in primis determinat, I. 1. 9. I. 5. 4.
Ariſtocratiæ indoles, II. 6. 11. nævi, II. 8. 7.
Artium ſtudia quo uſque neceſſaria, I. 5. 9.
Aſſecuratio, qualis contractus, I. 15. 13.
Aſtrologia judiciaria veris principiis moralibus adverſa, I. 5. 3.
Atheiſmus inexcuſabilis, I. 4. 2. ſocietati humanæ pernicioſus, I. 4. 9.
Auctio quale negotium, I. 15. 9.
Averſio, emtio per eam, I. 15. 9.
Autochiria jure naturæ prohibita, I. 5. 9.

B.

Bellum quo jure regatur, II. 7. 5. II. 16. 1. cauſæ ejus juſtæ, II. 16. 2. injuſtæ, II. 16. 4. offenſivum & defenſivum, II. 16. 2. ſolenne & minus ſolenne, II. 16. 7.
Bellica licentia, II. 16. 12.
Beneficentia, I. 8. 5.
Beneficia quomodo danda, I. 8. 5.
Bona (generatim accepta) quotuplicia, I. 1. 11. mediis illicitis quæri, minus excuſabile, quam mala avertere, I. 1. 14. (pro divitiis accepta) civitatum publica, II. 15. 5. civium quo uſque ſubſint imperio ſummæ poteſtatis, II. 15. 3. an poſſint cum internecione invaſoris defendi, I. 5. 21.
Bonitas actionis in quo conſiſtat, I. 2. 11. a juſtitia quomodo differat, I. 2. 13.

C.

Cœlibatus utrum permiſſus, II. 2. 3.
Calamitas communis quod jus tribuat, I. 5. 24.
Caſus fortuitus quando præ-

ſtetur, I. 1. 18. a quo præſtetur in emtione venditione, I. 15. 9. ratior a quo feratur in locatione conductione, I. 15. 10. ancipitum exempla, I. 5. 25.
Cauſarum concurſus, I. 5. 7.
Cautionis obligatio, I. 15. 14.
Chirographi redditio ſolvit debitum, I. 16. 3.
Civis quis, II. 6. 13. quomodo deſinat, II. 18. 15. bonus quis, II. 5. 5. ejus officia, II. 18. 1. *ſeqq.* quotuplex, II 6 13.
Civitas quid? II. 6. 10 ejus voluntas quomodo ſe exſerat, II. 6. 11. quare condita, II. 5. 7. ejus ſtructura interna, II. 6. 1. finis, II. 7. 3. an conveniat ſtatui integritas, *Pr.* 12.
Coactio quotuplex, I. 1. 24. tollit imputationem, I. 1. 24.
Coactum, ſynonymum inviti, I. 1. 18.
Cogitationes extra legem humanam poſitæ, I. 1. 12. II. 13. 11.
Cognitio ſui ipſius homini neceſſaria, I. 5 4.
Colliſio legum divinarum & humanarum, I. 5 23. contrariarum in genere, I. 17. 13. officiorum & jurium, I. 4. 10. & 23.
Commercii leges generales, I. 14 6. ei quænam exemta, I. 14. 3.
Commiſſoria lex an pignori adjici poſſit, I. 15. 15.
Commodatum quid & quæ ejus obligatio, I. 15. 4. obligat ad culpam leviſſimam, I. 15. 6.
Commodum alterius quot modis promoveatur, I. 8. 1. *ſeqq.*
Communio primæva, I. 12. 2. quomodo ab ea diſceſſum, *ib.* in quibus duraverit, I. 12. 3.
Communis res, I. 12. 3. quomodo habenda, I. 7. 4. quomodo communioni eximenda, *ib.*
Compenſatio quid, I. 16. 2.
Conditio obligationum quotuplex, I. 9. 20. tacita ineſt juramentis, I. 11. 8. impoſſibilis quid operetur? I. 9 20.
Condonatio debiti, I. 16. 3.
Conjecturæ in interpretatione ſenſus ambigui unde petendæ, I. 17. 4.
Conjugium, vid. *Matrimonium.*
Conjugum officia, II. 2. 10.
Conſcientia quid, I. 1. 5. recta, probabilis. I. 1. 5. dubia, ejus regula, I. 1. 6. non ſufficit reprimendæ malitiæ, II. 5. 9.
Conſenſus quomodo declaretur, I. 9. 9. verus quæ requirat I. 9. 10. in pactis neceſſarius, I. 9. 8. parentum in nuptiis liberorum an neceſſarius, II. 3. 10. debet eſſe mutuus, I. 9. 15.
Conſilium, datum ad delictum, quomodo obliget, I 1. 27.
Conſuetudinis vis in moralibus, I. 1. 13.
Contemtus aliorum vitandus, I. 7. 6.
Contractus quid, I. 15. 1. beneficus, vel onerofus, I. 15. 2. *ſeqq.* quomodo a pacto differat, I. 15. 1. aleam continens, I. 15. 13.

Contradictio apparens quomodo concilianda, I. 17. 4.
Conventio quid, I. 9. 4. quæ requirat ad producendam obligationem, I. 9. 8. *ſeqq.* expreſſa, tacita, præſumta, I. 9. 9.
Corporis cultura quid exigat, I. 8. 8. *ſeq.* propter ſocialitatem neceſſaria, I. 8. 2. *ſeq.*
Correalis obligatio, I. 6. 7. *ſeqq.*
Crimen unde æſtimandum, II. 13. 16. alienum quomodo noceat innocenti, II. 13. 19. quodnam pœnis humanis exemtum, II. 13. 15.
Culpa quotuplex, I. 2. 15. quomodo præſtetur, I. 6. 9.
Cultus Dei externus & internus, I. 4. 6. *ſeqq.*

D.

Damnum quid, I. 6. 5. reſarciendum, I. 6. 4. quot modis detur, I. 6. 7. & reparetur, I. 6. 8. *ſeqq.*
Defenſio inculpata quid, I. 5. 10. ſine damno aggreſſoris, I. 5. 10. cum ejus periculo, vel internecione, I. 5. 11. *ſeqq.* quousque permisſa, I. 5. 15–21.
Delectatio quomodo licite quæratur, I. 5. 7
Delegatio quid, I. 16. 9. *ſeq.*
Delictum vid. *Crimen.*
Dementia impedit conventiones, I. 9. 10.
Democratiæ indoles, II. 6. 11. nævi, II. 8. 8.
Depoſitum quid & ad quid obliget, I. 15. 7. miſerabile, irregulare, *ib.*
Deſertio malitioſa rumpit matrimonium, II. 2. 6.
Deus auctor legis naturalis, I. 3. 11. de eo ejusque attributis quid ſentiendum, I. 4. 2. *ſeq.* quo cultu venerandus, I. 4. 6. & 7.
Diſpenſatio quid & quomodo concedenda, I. 2. 9. differt ab interpretatione reſtrictiva, I. 2. 10.
Diſſenſus mutuus tollit obligationes, I. 16. 4.
Diſſimulatio licita, I. 10. 6.
Divitiæ quomodo quærendæ, I. 5. 5.
Diviſio rerum communium quando cœperit, I. 12. 2. quomodo facienda, I. 7. 4.
Divortii juſtæ cauſæ, II. 2. 6.
Doctoris publici officium, II. 18. 8. & 9.
Doctrinæ publicæ ſaluti civitatis adtemperatæ eſſe debent, II. 7. 8. II. 11. 4. quæ civitati noxiæ, I. 5. 3.
Dolus in conventionibus quid operetur, I. 9. 13.
Dominium qua ratione introductum, I. 12. 2. in quo conſiſtat, I. 12. 3. quibus in rebus detur, nec ne, I. 12. 4. quibus modis adquiratur, I. 12. 5. *ſeqq.* quæ officia producat, I. 12. 1. *ſeqq.* liberis per parentes adquiritur, II. 3. 5. Eminens Summi Imperantis, II. 15. 4.
Dominus quæ officia debeat ſervis, II. 4. 1. *ſeqq* obligatur ex damno, a ſervo vel animali dato, I. 6. 11. & 12. rem ſuam vindicans, non

non tenetur ad reſtitutionem pretii, I. 13. 10.
Donatio, I. 12. 14. reciproca, I. 15. 8.
Duellum privatum in ſtatu civili excludit favorem juſtæ defenſionis, I. 5. 18.

E.

Ebrietas, morbus animi momentaneus, I. 1. 15. impedit conſenſum in conventionibus, I. 9. 10.
Electio imperantis, II. 10. 3.
Emtio venditio, ejusque indoles jura & ſpecies, I. 15. 9.
Error, quid & quotuplex, I. 1. 7. impedit conſenſum in conventionibus, I. 9. 12. & juramentis. I. 11. 6. aggreſſoris non tollit jus defenſionis, I. 5. 10. quousque liberet ab obligatione, I. 9. 12. juris non prodeſt, I. 4. 24.
Exiſtimatio ſimplex & intenſiva, I. 5. 5. II. 14. 1. *ſeqq.* ſimplex potiſſimum acquirenda & conſervanda, I. 5. 5. qua ratione minuatur vel perdatur, II. 14. 5. & 6.
Expoſitio infantis, II. 3. 10.
Expromiſſor, diverſus a fidejuſſore, I. 15. 14.
Executio in ſtatu naturali fit ab ipſo creditore, II. 1. 10. mandatorum Principis injuſtorum quousque licita, II. 12. 9.
Eventus quando poſſit imputari, I. 1. 18. inſperatus æquo animo ferendus, I. 5. 4.

F.

Falſiloquium licitum & a mendacio diverſum, II. 10. 9.
Fati Stoici admiſſio civitati noxia, I. 5. 3.
Favorabile interpretatione extendendum, I. 17. 9.
Felicitas qualis in his terris exſpectanda, I. 5. 4.
Fidejuſſor ejusque obligatio, I. 15. 14.
Finis quid, I. 1. 9. quomodo voluntas circa eam verſetur. *ib.* quis agenti proponendus, I. 5. 4.
Fœdus commune, vel ſingulare, II. 17 1. æquale, vel inæquale, II. 17. 3. *ſeqq.* reale, vel perſonale, II. 17. 7. pertinet ad jus Summi Imperantis, II. 7. 5. inter Deum & hominem, *Pr.* 7.
Formæ Rerumpublicarum, II. 8. regulares, II. 8. 3. *ſeqq.* earum vitia, *ib.* §. 5. *ſeqq.* irregulares, II. 8. 12. *ſeqq.*
Fortuna cuique ſua patienter ferenda, I. 5. 5.
Fraus legis interpretatione avertenda. I. 17. 10.
Fructus quomodo æſtimentur, I. 6. 6. de damno iis dato, *ib.* ad quem pertineant, I. 13. 6. *ſeqq.*
Fuga invaſo non eſt præcepta, I. 5. 18.
Fungibile quid, I. 15. 11.
Furor impedit conſenſum & obligationem, I. 9. 10. aggreſſoris non adimit jus legitimæ defenſionis, I. 5. 10.
Furtum in caſu ſummæ neceſſitatis non committitur, I. 5. 29.

Ge-

G.

Generoſitas, I. 7. 5.
Gloria quouſque captanda, I. 5. 5.
Gradus conſanguinitatis & affinitatis, conjugium impedientes, II. 2. 8.
Gratia delinquenti aliquando facienda, II. 13. 15.
Gratitudo viris egregiis debita, I. 8. 3. erga benefactorem, I. 8. 5. *ſeqq.*

H.

Habitus quam vim habeant, I. 1. 13.
Homicidium neceſſarium licitum eſt, I. 5. 20. *ſeqq.*
Homo diverſis inclinationibus regitur, I. 1. 11. ingenio ab alio diverſus eſt, I. 3. 6. ſe ipſum impenſe amat, I 3. 2. ſine aliorum auxilio miſerrimus, I. 3. 3. variis vitiis obnoxius, I. 3. 5. aliis periculoſus, I. 3. 5. natura opus habet ſocialitate, I. 3. 7. ſibi ipſi non fruſtra obligatur, I. 5. 1. quibus officiis ſibi teneatur? I. 5. 2. *ſeqq.* viribus pollet valde circumſcriptis, I. 5. 4. ut homo, dignationem meretur, I. 7. 1. homini naturaliter æqualis, I. 7. 1. *ſeqq.* quis ad ſocialitatem aptiſſimus, I. 7. 3. jus habet in creaturas, extra humanam ſortem conſtitutas, I. 12. 1. tanquam ſubjectum juris naturalis, concipiendus eſt, ut corruptus, non integer, *Pr.* 19. 14.
Honor quid, I. 4. 6. ad quid hominem obliget, I. 5. 5. II. 14. 11. *ſeqq.*
Humanitatis officia a legibus juſtitiæ diverſa, I. 2. 14. I. 9. 3 promiſcue præſtanda, I. 8. 1. *ſeqq.*
Humilitas, generoſitatis comes, I. 7. 5.
Hypotheca ejusque jus, I 15. 15.

I.

Ignorantia quid & quotuplex, I. 1. 8. quatenus imputetur, I. 1. 20. *ſeqq.* invincibilis in præceptis naturalibus non datur, I. 1. 4. juris non excuſat, I. 1. 21.
Illicitorum nulla eſt obligatio, I. 9. 18.
Impenſæ rerum & fructuum, I. 13. 5.
Imperantium Summorum officia, II. 11. *ſeqq.* poteſtas in bona ſubditorum, II. 15. 1. *ſeqq.*
Imperium familiare, II. 3. 8. vi bellica occupatum, II. 10. 2. II. 16. 14. Summum, ejusque partes, II. 7. 1. *ſeqq.* affectiones, II. 9. 1. *ſeqq.* modi habendi, II. 9. 7. ſanctitas, II 9. 4. quomodo a Deo ſit, II. 6. 14.
Impoſſibilium omiſſio nemini imputatur, I. 1. 23. nulla prope obligatio eſt, I. 2. 8. I. 9. 17. I. 11. 6.
Imputatio damnorum, I. 6. 2. *ſeqq.* quando locum habeat, I. 1. 18.
Imputativitas actionum humanarum, I. 1. 17.
Inceſtus, juri naturæ contrarius, II. 2. 8.

Digitized by Google

Inclinatio naturalis, I. 1. 12.
Induciæ bellicæ, II. 16. 15.
Infamia quomodo contrahatur, II. 14. 8. *ſeqq.*
Infans quare vapulet, I. 1. 25. an valide obligetur, I 9. 10. & 11.
Ingenii humani diverſitas, I. 1. 11. I. 3. 6. in diverſis nationibus unde oriatur, I. 1. 12.
Ingratitudo fœda ac deteſtabilis, I. 8. 7. actionem tamen non producit, *ib.*
Injuria quid, I. 2. 15. nemini facienda, I. 7. 6. levis toleranda, I. 5. 12.
Injuſtitia quomodo committatur, I. 2. 15. an committenda juſſu Summi Imperantis? II. 12. 9.
Inquietudo animi ſopienda, I. 5. 4.
Inſtinctus naturalis non impedit obligationem, I. 5. 1.
Integritatis ſtatus non eſt norma juris naturalis poſt lapſum, *Pr.* 11. 14.
Intellectus quid, I. 1. 3. in moralibus naturaliter rectus, I. 1. 4. quomodo eo utendum? I. 5. 3. & 4.
Intemperantia quare vitioſa, I. 5. 10.
Internuncius, I. 9. 21.
Interpretatio juramentorum, I. 11. 8. legum & conventionum, I. 17. 1. *ſeqq.* extenſiva & reſtrictiva, I. 17. 10. authentica, I. 2. 6.
Interregnum, II. 10. 4.
Inventio rerum deperditarum, I. 12. 6. I. 13. 10 *ſeqq.*
Invidia vitanda, I. 5. 6.
Invita actio, I. 1. 16.
Ira refrænanda, I. 5. 6.
Judex ad quid obligetur, II. 11. 9. corruptionibus obnoxius, non ferendus, *ib.*
Judiciaria poteſtas, pars Summi Imperii, II. 7. 3. *ſeqq.*
Juramentum, quid & ad quid obliget? I. 11. 1. *ſeqq.* concipiendum ſecundum religionem jurantis, I. 11. 4. eſt vinculum acceſſorium, I. 11. 6. interpretandum ex mente deferentis, I. 11. 8. aliud aſſertorium, aliud promiſſorium I. 11. 10.
Jus (pro qualitate morali activa acceptum) hominum in res & animalia, I. 12. 1. perfectum & imperfectum, I. 2. 14. *ſeqq.* I. 6. 5. I. 9. 4. II. 14. 14. *ſeqq.* vitæ ac necis competit Summo Imperanti, II. 13. 1. *ſeqq.* non parentibus in liberos, II. 3. 4. nec dominis in ſervos mercenarios, II. 2. 4. an in perpetuos? II. 2. 3. & 4.
Jus naturæ. vid. *Lex naturæ*, principium univerſæ jurisprudentiæ, *Pr.* 3. vitam futuram non reſpicit, *Pr.* 8. I. 4. 8. & 9. conſtituit peculiarem diſciplinam, *Pr.* 4. *ſeqq.* differt a Theologia morali, *Pr.* 5-9. & jure civili *Pr.* 4. in ſtatu corrupto aliud eſt, quam in integro, *Pr.* 11. 14.
Juſtitia quid? I. 2. 12. alia actionum, alia perſonarum, I. 2. 12. univerſalis, vel particularis, I. 2. 14. diſtributiva, vel commutativa, I. 2. 14. quomodo a bonitate differat? I. 2. 13.

Digitized by Google

L.

Læſio quævis injuſta prohibita, I. 6. 2. I. 15. 3. obligat lædentem ad damnum reſarciendum, I. 6. 13. I. 15. 3. jure civili in contractibus toleratur, niſi enormis ſit, I. 15. 4.

Lætitia ratione moderanda, I. 5. 6.

Laus quando participem reddat injuriæ laudatæ, I. 1. 27.

Legati officium, II. 18. 13.

Legiſlator unde cognoſcatur, I. 2. 6.

Legiſlatoria poteſtas, pars Summi Imperii, II. 7. 2.

Lex neceſſaria, I. 2. 1. quid, I. 2. 2. conſtat præcepto & ſanctione. I. 2. 7. diſponit de poſſibilibus & utilibus, I. 2. 8. ejus ratio, I. 17. 8. interpretatio, I. 17. 10. *ſeqq* promulganda, I. 2. 6. *commiſſoria* in emtione, I. 15. 3. & pignore, I. 15. 15. *divina*, I 2. 16. *humana*, ſive *civilis*, I. 2. 16. II 12. 1. *ſeqq.* ejus ultima obligandi ratio, *Pr.* 4. Sanctio pœnalis, II. 12. 4. Summum Imperantem non obligat, II. 9. 3 bona, quæ? II. 11. 5. quomodo jus naturæ afficiat? II 12. 5. & 7. a jure naturæ differt, non cum eo pugnat, *Pr.* 4. obligat etiam in conſcientia, II. 12. 8. *imperii* fundamentalis, II. 9. 6. *naturalis*, I. 2 16. ejus propoſitio fundamentalis, I. 3. 9. quo ſenſu natura nota & cordibus inſcripta, I. 3. 13 non ſufficit reprimendæ hominum malitiæ, II. 5. 8. II. 12. 3. *poſitiva*, I. 2. 16.

Liberi qui ſint, I. 12. 11. proximi heredes parentum inteſtatorum, I. 12. 11. eorum officia, II. 3. 12. *ſeqq.* parentum in eos poteſtas, II. 3. 8. & 9.

Libertatis ſtatus, vid. *Status naturalis.*

Liberum arbitrium voluntatis, I. 1. 9. homini naturaliter competit, I. 5. 4. ejus rectus uſus homini verum pretium dat, I. 7. 5.

Libido vaga, juri naturali adverſa, II. 2. 2.

Lis quomodo decidatur in ſtatu naturali, II. 1. 10. de ſucceſſione regni quomodo componenda, II. 10. 12.

Locatio conductio ejusque jus, I. 15. 10.

Lotaria, I. 15. 3.

Ludi, quibus pretio certatur, I. 15. 13.

Luxuria, rerum pretia auget, I. 14. 4.

M.

Magiſtratus conſtituuntur a Summo Imperante, II. 7. 6 eorum officium, II. 18. 10. officium Summi Imperantis circa eos, II. 11 9.

Majeſtas, vid. *Imperium Summum.*

Majora vota concludunt, II. 6. 12.

Mali averſatio facilius affectum excuſat, quam boni deſiderium, I. 1. 14.

Mandatarii obligatio, I. 9. 21.

Mandatum ejusque jura, I. 5. 5.

Mariti officium, II. 2. 10.
Mater an liberos habeat in poteſtate, II. 3. 3.
Matrimonium quid? II. 2. 1. an ab omnibus ineundum ſit, II. 2. 3. ejus pacta, II. 2. 4-6. inter quos contrahatur, II. 2. 7. & 8. tribuit marito directionem uxoris. II. 2. 4. liberorum, an requirat conſenſum parentum, II. 3. 10. ſolennia requirit ex lege civili, II. 2. 9.
Media, libera voluntate eliguntur & adhibentur, I. 1. 9.
Medicus ſegnitiæ non arguendus, nemine ægrotante, I. 1. 22.
Membra licite defenduntur, I. 5. 19. & abſcinduntur ad corpus ſervandum, I. 5. 24.
Mendacium illicitum, I. 10. 8.
Mercator recte rationem habet laborum & expenſarum, I. 14. 6.
Mercenarius temporarius, II. 4. 2. perpetuus, II. 4. 3.
Merx vitioſa bona fide indicanda, I. 15. 6.
Metalla rariora, pretii eminentis optima materia, I. 14. 8.
Metus tollit imputationem, I. 1. 24. ejus effectus in obligationibus, I. 9. 14. & 15. itemque in juramentis, I. 11. 7.
Miles ad quid obligetur, II. 13. 2. II. 18. 11. *ſeqq.*
Miniſtri Principum obedientiam merentur, I. 2. 6. conſtituuntur a Summo Imperante, II. 7. 6. prudenter eligendi & tractandi, II. 11. 9. eorum officium, II. 18. 7.
Minor quatenus obligetur, I. 9. 11.
Monarchiæ conſtitutio, II. 6. 11. vitia, II. 8. 6.
Moralis doctrina, ſenſu lato accepta, *Pr.* 4. habet, principia evidentia, I. 1. 4. & 7.
Moralitas actionum, I. 2. 11.
Morbi, rationem corrumpentes, tollunt imputationem, I. 1. 15. Rerumpublicarum, II. 8. 5.
Mors ſolvit obligationes, I. 16. 8.
Mundus non credendus æternus, I. 4. 3.
Mutuum ejusque jus, I. 15. 11.

N.

Nationes diſcrepant moribus, I. 1. 12.
Natura non eſt Deus, I. 4. 3.
Naufragium quam licentiam det, I. 5. 27. 28. 31.
Nauticæ leges, I. 5. 29.
Neceſſitas non habet legem, I. 5. 23. bellum reddit legitimum, II. 16. 1. auget rerum pretia, I. 14. 4. res viliores numis ſubſtituit, I. 14 8.
Negligentia, vid. *Culpa.*
Notitia ſui ipſius cuique neceſſaria, I. 5. 4.
Noxæ deditio ſervi, I. 6. 11. animalis, I. 6. 12.
Numus continet continet pretium eminens, I. 14. 2. valo-

Digitized by Google

ſorem accipit a Summo Imperante, I. 14. 9.

O.

Obligatio quid & quæ ejus indoles? I. 2. 3. & 4. quibus modis tollatur, I. 16. 1. *ſeqq.*
Occaſio deficiens tollit obligationem, I. 1. 21. *ſeqq.*
Occupatio modus acquirendi originarius, I. 12. 6. bellica regni, II. 10. 1. II. 16. 14. rerum, II. 16. 13.
Oceanus vaſtus manet in communione primæva, I. 12. 14.
Ochlocratia, democratia corrupta, II. 8. 11.
Odioſa interpretatione reſtringenda, I. 17. 9.
Odium animo expellendum, I. 5. 6.
Officium quid? I. 1. 1. variæ ſpecies, ſecundum jus naturæ, I. 3. 13. ex tribus fontibus promanat, *Pr.* 4. ex diverſis ſcientiis diſcitur *Pr.* 4. erga *Deum*, I. 4. 1. *ſeqq.* ſe *ipſum*, I. 5. 1 *ſeqq.* *alios* abſolutum, I. 6. 1. *ſeqq.* humanitatis promiſcuum, I. 8. 1. *ſeqq.* hypotheticum, I. 9. 22.
Oligarchia; ariſtocratia corrupta, II. 8. 11.
Olla fortunæ, I. 15. 13.
Omiſſio quo uſque imputetur, I. 1. 22.
Opes quomodo quærendæ ac diſpenſandæ, I. 5. 5.
Opinio quo uſque imperio ſubſit, II. 7. 8.

P.

Pactum quid? I. 15. 1. neceſſarium, I. 9. 2. bona fide ſervandum, I. 9. 3. quæ requirat, I. 9 8. circa quæ verſetur, I. 9. 17. quomodo differat a contractu, I. 15. 1. & promiſſo gratuito, I. 9 5. contractui adjectum, I. 15. 9. tacitum, I. 9. 9. duplex ad civitatis conſtitutionem neceſſarium, II. 6. 9.
Parentes eorumque jura & officia in liberos, II. 3. 9. *ſeqq.*
Paſſio, vid. *Affectus.*
Patria poteſtas, II. 3. 1. *ſeqq.*
Pauperies ad quid dominum animalis obliget, I. 6 12.
Pax ejusque jus, II. 16. 17.
Peccatum pro joculari non habendum, I. 5. 3. quodnam extra pœnam? II 13. 11.
Peculium liberornm, II. 3. 5.
Pecunia, vid. *Numus.*
Periculum quando adeundum, I. 5. 9.
Permiſſa actio, I. 2. 11.
Permutatio ejusque jus, I. 15. 8. antiquiſſima, I. 14. 1. deſerta primæva ſimplicitate, inſufficiens, I. 1. 7.
Perturbatio animi culpam minuit, I. 6. 9. in moderamine inculpatæ tutelæ non omnia ad vivum reſecari permittit, I. 5. 18.
Phantaſia quousque imputetur, I. 1. 26.
Philautia, vid. *Amor.*
Pignus ejusque jus, I. 15. 15. admittit legem commiſſoriam, *ib.*
Piſcatio modus acquirendi, I. 12. 6.

Plures ad unum damnum concurrentes, qui teneantur, I. 6. 8.
Pœna quid? II. 13. 4. dominium aliquando aufert, I. 12. 14. quos fines habeat, II. 13. 7. *ſeqq.* humana, non ad quævis peccata pertinet, I. 1. 12. II. 13. 11-15. conſtituenda a Summo Imperante, II. 7. 3. II. 11. 8. imponenda delinquenti, non alii innocenti, II. 13. 10. utilitatem reſpicere debet, II. 13. 6 aliquando exaſperanda, II. 13. 17. vel remittenda, II. 13. 15. deſignanda ex qualitate delicti & perſona delinquentis, II. 13. 17. & 18.
Politicum animal homo, II. 5. 5.
Polygamia non uſque licita, II. 2. 5.
Poſſeſſor bonæ fidei ad quid teneatur, I. 13. 4. *ſeqq* favorem meretur, II. 16. 3.
Poſſibilis actio cum aliquo temperamento intelligenda, I. 1. 18.
Potentia, nimium creſcens, an juſta belli cauſa, I. 5. 17.
Præcedentia Principum & populorum quo jure nitatur, II. 14. 15.
Præcepta juris naturæ ſumma eadem ſunt in ſtatu integritatis & corrupto, non ſpecialia, *Pr.* 12-14.
Præda in bello cujus ſit, II. 16. 13.
Præſcriptionis jus, I. 12. 12.
Pretium quid? I. 14. 1. rerum & operarum, I. 14. 1. in quæ non cadat, I. 14. 3. cur intendatur vel remittatur, I. 14. 4. a quo definiatur, I. 14. 5. comprehendit diem, I. 14. 6. eminens, add. *Numus*, I. 14. 2. in metallis rarioribus, I. 14 8. vulgare, I. 14. 2. affectionis, I. 14. 4.
Princeps ad quid obligetur, II. 11. 2. *ſeqq.* quæ jura habeant, II. *cap.* 12. *ad* 17.
Principia humanarum actionum, I. 1. 3.
Prior tempore, potior jure, I. 9. 19.
Procurator ejusque jus, I. 9. 21.
Profeſſor ejusque officium, II. 18. 9.
Promiſſum quid? I. 9. 5. quæ requirat, ut valeat, I. 9. 8. *ſeqq.* ſancte ſervandum, I. 9. 2. perfectum & imperfectum, I. 9. 6. purum & ſub conditione, I. 9. 20. conditionatum juramento non mutatur in purum, I. 11. 6.
Promulgatio legum neceſſaria, I. 2. 6. qui fiat, I. 2. 6.
Propagatio ſpeciei generi humano incumbit, II. 2. 3.
Protimeſeos jus, I. 15. 9.
Providentia divina, I. 4. 4.
Publici cura quomodo remuneranda, I. 8. 3.
Pudicitia recte defenditur cum internecione aggreſſoris, I. 5. 20.

Q.

Qualitates naturales nemini imputantur, niſi quatenus eas cultura auxit, I. 1. 19.
Quantitates mutuo dantur, I. 15. 11.

R.

R.

Raptor in repetitione raptorum, quæ depoſuit, domino cedit, I. 13. 2.
Ratio intelligit legem naturæ, I. 13. 12. ejus imbecillitas in pueris jure naturæ terminum generalem non habet, I. 9. 11. ejus uſu carenti nihil imputatur, I. 1. 25. nec is obligatur, I. 9. 10.
Reditus publici quomodo adminiſtrandi a Præfectis? II. 18. 14.
Regio deſerta cedit occupanti, I. 12. 6.
Regnum an poſſit alienari integrum ejusve pars? II. 15. 6. patrimoniale, II. 9. 7. admittit diſpoſitionem Regis de ſucceſſione, II. 10. 6. uſufructuarium, II. 9. 7.
Religio naturalis in quibus capitibus conſiſtat, I. 4. 1. ſeqq. intra ſphæram hujus vitæ terminatur, I. 3. 13. I. 4. 8. ſocietatis humanæ firmiſſimum vinculum, I. 3. 9. I. 4. 9. I. 5. 3. ſola tamen non ſufficit reprimendæ hominum malitiæ, II. 5. 8. opiniones ipſi contrariæ, I. 5. 3. ejus cura Summo Imperanti incumbit, II. 11. 4. doctorum ejus publicorum officia, II. 18. 8.
Repreſſaliæ juſtæ, II. 16. 10.
Res, vid. *Bona*, fungibilis, I. 15. 11.
Reſervationes mentales prohibitæ, I. 10. 10. I. 11. 5.
Reſpublica, vid. *Civitas*, item *Forma*, quomodo conſtituatur, II. 6. 9.
Retractus, I. 15. 9.

S.

Sacerdotum officia, II. 18. 8.
Sanctio pœnalis, pars eſſentialis legis perfectæ, I. 2. 7.
Sanctitas Summi Imperii, II. 9. 4.
Scientiæ variæ, quousque addiſcendæ, I. 5. 9.
Separatio conjugum quoad thorum & menſam, II. 2. 6.
Sermo utiliſſimus, I. 10. 1. officia circa illum, I. 10. 1. ſeqq.
Servitutes prædiorum & aliarum rerum, I. 12. 1.
Servitus perſonarum quomodo orta, II. 4. 1. ſeqq. ejus ſpecies, ib.
Servus damnum dans, ad quid dominum obligat, I. 6. 11. etiam is, qui ex mancipio genitus, II. 4. 6 ejus officia, II. 4. 4. ſeqq.
Silentium, quando ſignum conſenſus, I. 9. 9. diſſimulantis quando licitum, I. 10 4.
Simonia crimen, I. 14. 3.
Simulatio licita, I. 10. 6.
Socialitas, homini neceſſaria, I. 3. 7. ſeqq. eſt fundamentum juris naturalis, Pr. 4. 6. I. 3. 7. ſeqq. non producit deſiderium ſocietatis civilis, II. 5. 2.
Societas qualis contractus, I. 15. 12. civilis, quare ab hominibus inita, II. 5. 1. ſeqq. interna ejus ſtructura, II. 6. 1. ſeqq.
Sodomia, juri naturæ contraria, II. 2. 2.
Solitudo hominem redderet miſerrimum, II. 1. 4.

Solutio obligationum, I. 16. 1. *ſeqq.*
Somniantis actio qui imputetur, I. 8. 26.
Sors litibus finiendis apta, I. 7. 4. in ludis, I. 15. 13. in caſu neceſſitatis, I. 5. 20.
Spes ratione moderanda, I. 5. 6. ejus emtio, I. 15. 9.
Sponſio, contractus, aleam continens, I. 15. 13. pactum miniſtri Summæ poteſtatis, absque mandato initum, I. 17. 8.
Spontaneitas voluntatis quid? I. 1. 19. homini in naturalibus competit, I. 1. 10.
Status quid & quotuplex, II. 1. 1. mutatus tollit jura, ei ſuperſtructa, I. 16. 6. *adventitius*, I. 6. 1. *civilis* qualis, II. 5. 3. in quibus a naturali diverſus, II. 1. 9. quoad defenſionem violentam, I. 5. 15. & 16. *integritatis* normam non præbet juri naturali ſtatus corrupti, *Pr.* 11–14. *naturalis*, I. 3. 3. *ſeqq.* II. 1. 3. conſideratur in relatione ad Deum, ſe ipſum & alios, II. 1. 2. *ſeqq.* eſt rationalis, I. 5. 15. pacis, II. 16. 1. ſed minus fidæ, I. 5. 15. II. 1. 11. 5. 7. *ſeqq* incommodis premitur, II. 1. 9. *ſeqq.* quem habeat judicem, II. 1. 10.
Strategemata in bello licita, II. 16. 5.
Studia ſcientiarum a quibus excolenda, I. 5. 7.
Subditus, vid. *Civis*, quis & quotuplex, II. 6. 13. ejus officia. II. 18. 1. *ſeqq.*
Succeſſio ab inteſtato, I. 12. 10. in regnum quotuplex, II. 10. 5. *ſeqq.* linealis, II. 10. 10. agnatica, vel cognatica, II 10. 11. controverſa quomodo decidatur, II. 10. 12. teſtamentaria, I. 12. 13.
Summum imperium abſolutum, vel reſtrictum, II. 9. 5.
Superbia vitanda, I. 7. 5.
Supererogationis opera neganda, I. 5. 3.
Superſtitio vitanda, I. 5. 3.
Suſpicio non præbet cauſam belli adverſus potentiam creſcentem, I. 5. 15.
Syſtema civitatum, II. 8. 13. ex communi imperante, II. 8. 14. ex perpetuo fœdere, II. 8. 15.

T.

Temperamentum non adigit invincibiliter ad peccandum, I. 1. 12.
Tempus lapſum tollit obligationes, ad illud initas, I. 1. 6. 7.
Teſtamenti jus, I. 12. 13. quando ad regna pertineat? II. 10. 6.
Teſtis ejusque officium, II. 1. 10.
Theologia moralis a jure naturæ diverſa, non eidem adverſa, *Pr.* 4–9. ejus principium cognoſcendi, *Pr.* 4. 6.
Theſaurus cedit inventori, I. 12. 6.
Tributum cur & quomodo exigendum, II. 11. 10. II. 15 3.
Triſtitia moderanda, I. 15. 6.

Tur-

Turpium nulla obligatio, I. 9. 18
Tutela inculpata, I. 5. 10. *ſeqq.*
Tyrannis, corrupta monarchia, II. 8. 11.

V.

Varietas adpetituum & actionum inter homines unde? I. 1. 11. *ſeqq.* major quam inter bruta, & in uno etiam homine diverſo tempore conſpicitur, I. 3. 6.
Vectigalia a Summo Imperante imponuntur, II. 15. 3.
Venatio ejusque jus, I. 12. 6.
Venditio, vid. *Emtio.*
Venditor vitia mercis occulta indicare debet, I. 15. 3.
Venia danda lædenti pœnitenti, I. 6. 13. delictis aliquando concedenda, II. 13. 15.
Veracitas in quo conſiſtat, I. 10. 7.
Verna ejusque conditio, II. 4. 6.
Vicini potentia creſcens ſola non dat juſtam belli cauſam. I. 5. 15.
Vindicta in ſtatu naturali quo uſque licita, I. 5. 15. ejus libido refrænanda, I. 5. 6. juri naturali adverſa, I. 6. 13. in ſtatu civili prohibita, II. 5. 16.
Virtus adverſus alium, I. 2. 13.
Vis non ſufficit ad imponendam obligationem, I. 2. 5. hominis limitata, I. 5. 4. pacta reddit invalida, I. 9. 15. juramentum reddit nullum, I. 11. 6.
Vita quousque in cujusque poteſtate, I. 5. 11. quænam circa eam cujusque officia, I. 5. 9. *ſeqq.* civium in poteſtate Summi Imperantis, I. 5. & 9. 23. ejus honeſtum genus mature amplectendum, I. 5. 9. I. 8. 2.
Vitricus an habeat patriam poteſtatem, II. 3. 3.
Univerſitas quomodo punienda, II. 13. 19. *ſeqq.*
Voluntaria actio, I. 1. 16.
Voluntas quid? I. 1. 9. ad aliquas actiones præ aliis fertur, I. 1. 12. *ſeqq.* quomodo formanda? I. 5. 4. *ſeqq.* multitudinis in Summo Imperante unienda, II. 6. 5. civitatis quæ, II. 6. 11.
Voluptas ratione temperanda, I. 5. 6.
Uſucapio modus adquirendi, I. 12. 12.
Uſufructuarium regnum, I. 9. 7.
Uſura in mutuo licita, I. 15. 11.
Utilitatis innoxiæ officia, I. 8. 4.
Uxor quo usque ſub imperio mariti, II. 2. 4. ejus officia, II. 2. 10.

FINIS.

JAN 21 1919

Digitized by Google

UNIVERSITY OF MICHIGAN
3 9015 06291 5973

Digitized by Google